8
4 B
34

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52.3.12
52 E 13
52-E-13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ADVERSVS
IMPIOS ATHEOS
Diſputationes Quatuor Philoſophicæ.

AVTHORE
F. PHILIPPO FABRO
FAVENTINO
Ord. Minor. Conuent. in Vniuerſitate Patauina
Sacræ Theologiæ Profeſſore.

In quibus doctrina Scoti etiam dilucidatur, & defenditur.

CVM DVPLICI INDICE.

Ad Illuſtriſ. & Reuerendiſ. D.
D. FRANCISCVM BARBERINVM
S. R. E. Cardinalem Ampliſ.



Permiſſu Superiorum, & Priuilegio.

VENETIIS, M DC XXVII.
Ex Officina Marci Ginammi.

ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISS.
DOMINO
D. Franciſco Barberino S. R. E.
Cardinali Ampliſsimo.

F. Philippus Faber Fauentinus, Or. Min. Conu.
In Vniuerſitate Patauina S. Theol. profeſſor.
S. P. P.

EA *eſt quorundam hominum hebetudine, an peruicacia dixerim, Cardinalis Ampliſſime, qui tametſi perennem illam, & nunquam deficientem D. Auguſtini vocem in præcordijs ſuis clamantem habeant,* Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec quieſcat in te, *Nihilominus magis ac magis ſemper ſordeſcant; Immo animũ hoc deſiderio anxium, & penè æſtuantem in lacus putidos & fetentes ad ſitim hanc ardentem explendam impellant; vt meritò de illis dici poſſit illud Prophetæ,* Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, et foderunt ſibi Ciſternas diſſipatas, quæ aquas continere non valent. *Anima rationalis humana Deo ſummo bono ſuo frui anhellat, & miſeri homines in hoc deſiderio reprimendo labo-*

rant, ſudant, toti totis viribus ſunt; & cum naturæ vis omne eorum effugium coarguit, eò ſe recipiunt, vt non minus impiè, quàm temerè Deum eſſe negent. Vel ſi concedant, agens quidem, ſed ſine libertate, ſine prouidentia, ac veluti in animæ quoddam Ens naturale alligatum Cœlorum motioni faciunt. Nec verentur ſeipſos quædam paulò amplius Equo vel Boue nobiliora Bruta, immo longè miſerabiliora, vt Grillus apud Plutarchum ſe iactabat ſe ſe affectare. Reclamant Natura, Experientia, & Ratio, qua ab ipſo Deo donati ſunt. At miſeri pluſquam letargico morbo conſopiti, non aduertunt. Fęlix Populus ſimplex Chriſtianus, & Catholicus, qui lacte fidei, vt dicebat D. Auguſtinus, nutritus horum peſſimorum hominum non agitatur quæſtionibus. Horum ignorantiam docere, & temeritatem obtundere, meum eſſe exiſtimaui, Illuſtriß. & Reuerendiß. Antiſtes, qui in hac celeberrima Accademia Patauina benignitate & fauore Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ad Sacræ Theologiæ lecturam tot annos ſum euocatus. Opus aggreſſus ſum Deo dante, fortaſſe perfeci; atque id non Sacræ ſcripturæ, nec Diuinæ reuelationis, cui non credunt (licèt omni ratione longe præponderet) principijs, ſed ipſius luminis naturalis, quod negare non poſſunt, & Philoſophorum aſſertis, quibus confidunt, innixus. Prodeunt ergo in lucem hi noſtri labores, & (quod animum mirificè recreat) non niſi omine fęlici; Siquidem hoc illis cõtingit ſub fęliciſſimis auſpicijs tuis, Ampliſſime Cardinalis, cui adhuc ab ineunte ętate, quã litterarum bonarum, et multo magis grauiorum ſtudiorum partus iucundi, & grati eſſent, litterarij labores Accademiæ continuę concertationes cum viris doctis ſatis, ſuperque manifeſtum fecerunt. Accipe itaque

munu-

munuſculum, ſed magno deuotionis affectu oblatum, & qua ſoles animi magnanimitate aſpice. Meæ interim partes erunt aſſiduè Deum precari, vt te, quem ex generoſa Progenie ad Regna, ad Imperia natum, ad res grauiſſimas Orbis Chriſtiani inter ſummos Reges, & Principes gerendas à Deo Eccleſiæ ſuæ datum cernimus, conſeruet incolumem; tuique Aui Summi Pontificis Vrbani Octaui Pontificatum maximè diuturnum, & conſiliorum, ac rerum ſuarum curſum iubeat eſſe felicem.

Digitized by Google

F. Felix Franciſchinus Caſsianus, Art. et Sacræ Theol. Doct. totius Ord. Min. Conuent. S. Franciſci Min. Generalis.

Vti laude, ita luce dignum exiſtimauit opus contra Atheos Patris Magiſtri Philippi Fabri Fauentini in Vniuerſitate Patauina Theologi publici, & Prouinciæ Bononiæ Miniſtri Prouincialis Ordinis noſtri diligentia elaboratum, Pater Magiſter Bernardinus Seneſius Lucinianenſis in Gymnaſio magnæ Domus Venetiarum Regens, cui examinandum, & ventilandum commiſimus; vt igitur typis demandari valeat, harum robore licentiam elargimur.

In fid. Romæ 16. Ianuarij 1627.

F. Felix Generalis.

F. Franciſcus Iannoctius de Capranica Secr. Ord.

TABVLA DISPVTATIONVM, ET CAPITVM.

DISPVTATIO PRIMA.

An Deus, Angeli, & Dæmones dentur.

Rationes pro Atheiſtis. Caput Primum. pag. 1

Rationes, quibus antiqui Deum, & Deos eſſe ſuſtinebant contra Atheos adducuntur, & defenduntur. Caput Secundum. 8

Aliæ rationes antiquorum ad idem probandum adducuntur, & defenduntur. Caput Tertium. 16

Deum, Angelos, & Dæmones eſſe ex confutatione rationum pro Atheiſtis, cap. 2. adductarum probatur. Caput Quartum. 24

Deum, Angelos, & Dæmones eſſe probatur ex confutatione communis aſſerti Atheorum. Quod Deus, & Spiritus non videntur, non ſentiuntur, & quod proinde fictio ſit illos admittere. Vbi ratio Ariſtot. 12. Met. tex. 48. confutatur. Caput Quintum. 29

Dæmones eſſe ſubſtantias ſeparatas immortales diſtinctas ab aliis ſubſtantiis ſeparatis immortalibus, quæ mouent Orbes, & ab Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ bonæ à materia etiam ſeparatæ ex prodigiis mirabilibus, & quaſi miraculis ab eis factis dari probatur efficaciter. Caput Sextum. 42

Opinio eorum, qui effectuum mirabilium prædictorum cauſas eſſe volunt corpora Cæleſtia, non Dæmones, impugnatur. Caput Septimum. 55

Opinio eorum, qui effectus prædictos præter naturales, ex imaginatione hominis fieri contendunt, reiicitur. Caput Octauum. 68

Non poſſe per operationes ſenſuum, ſcilicet viſionis, tactus, nec per verba actiones prædictas, quæ præter naturales dicuntur, naturaliter fieri. Caput Nonum. 78

Opinio eorum, qui opera prædicta ex proprietate naturæ, ſeu complexione hominis, vel ex atra bili, aut halitibus terræ fieri poſſe aſſerunt, reiicitur. Caput Decimum. 93

De arte Magica, Cabala, & poteſtate Dæmonum ad opera miranda facienda. Caput Vndecimum. 113

Immortalitas Animæ rationalis ex dictis, & authoritatibus, rationibus, & hiſtoriis fide dignis fortiſſimè probatur. Caput Duodecimum. 129

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrùm aliqua ſincera, & pura veritas haberi poſſit ex puris naturalibus in hac vita abſque ſpeciali illuſtratione Dei.

Quàm vtilis ſit diſcuſſio præſentis diſputationis ad cognoſcendum vanitatem negantium vnum verum Deum, Creatorem, & Gubernatorem omnium, Angelos, & Dæmones, & immortalitatem animæ rationalis. Caput Primum. 154

Opinio Accademicorum, & Scepticorum, qui negauerunt ſcientiam dari, & nihil verum eſſe, nec veritatem vllam haberi dixerunt. Caput Secundum. 158

Opinio Henrici circa prædictam difficultatem. Caput Tertium. 161

Opinionem allatam Henrici coincidere cum opinione Accademicorum, non autem eſſe Diui Auguſtini, ſed falſum eſſe oſtenditur à Scoto; & obiectiones Mirandulani reijciuntur. Caput Quartum. 167

Opinio Accademicorum cap. 1. allata refellitur à Scoto. Caput Quintum. pag. 173

Rationes pro opinione Henrici ſoluuntur. Caput Sextum. 187

Solutio rationum pro Accademicis 1. cap. allatarum. Caput Septimum. pag. 192

Explicatur opinio Scoti, & D. Auguſtini, quomodo ſincere veritates videantur in regulis æternis. Caput Octauum. 199

Dicta in hac diſp. applicantur ad propoſitum, & oſtenditur ad lucem increatam in habenda vera intelligentia rerum eſſe recurrendum; Atque ijs quæ ipſa docet de Deo, Angelis, Dæmonibus, Anima rationali, & alijs rebus, eſſe firmiter inhærendum propter ambiguitatem doctrinæ Philoſophorum; Et contra Auerroem, & Auicennam fides Chriſtiana defenditur. Caput Nonum. 205

DISPVTATIO TERTIA.

Vtrùm Mundus ſit æternus, ita quod nunquam habuerit principium, nec vnquam ſit habiturus finem. Vbi æternitas Mundi, quæ eſt fons omnis impietatis, confutatur.

Quid ſenſerint Plato, & antiquiores Philoſophi de Mundi origine, & duratione. Caput Primum. 223

Rationes eorum, qui aſſerunt Mundi æternitatem. Caput Secundum. pag. 238

Oſten-

Oſtenditur Cœlum & Mundum, in tempore fuiſſe productum ex ſolo lumine naturali; omiſſa authoritate Sacræ Scripturæ, quæ omni ratione præponderat. Caput Tertium. 244

Solutio rationum pro æternitate Mundi. Caput Quartum. 252

DISPVTATIO QVARTA.

Vtrùm myſteria principalia fidei Chriſtianæ ſolo lumine naturali poſſint cognoſci, & cognita fuerint à Gentilibus, & antiquis Philoſophis. Vbi oſtenditur Philoſophiam à Diuina reuelatione ortam eſſe; & ad poſteros, ſed ſemper magis, ac magis vitiatam & corruptam deſcendiſſe, & doctrina fidei magis roboratur.

Authoritates ex antiquis Philoſophis, & Scriptoribus, quibus ipſos myſterium Trinitatis, & alia arcana fidei Chriſtianæ nouiſſe videntur. Caput Primum. 265

In quo conueniant Theologi in propoſita difficultate, & in quo diſcrepent. Caput Secundum. 288

Opinio Scoti cur homo viribus naturalibus non poſſit cognoſcere Trinitatem, & myſteria diuina pro hoc ſtatu; & rationes Raimundi Lulli confutantur, & explicatur art. 1. quæſt. 14. quolibetalis, in quo diſſeritur de cognitione naturali hominis & Angeli. Caput Tertium. 296

An Anima rationalis pro quocunque ſtatu naturæ etiam perfecto ex perfectione ſua naturali poſſit habere cognitionem perfectam immediatam Trinitatis, & idem de Angelo, in quo explicatur ſecundus articulus quæſt. 14. quolibetalis Scoti. Caput Quartum. 308

An Anima pro quocunque ſtatu ex naturalibus, vel Angelus poſſit cognoſcere eſſentiam diuinam ſub ratione propria per aliquod medium; Vbi explicatur tertius articulus q. 14. quolibetalis Scoti. Caput Quintum. pag. 319

FINIS.

TABVLA RERVM NOTABILIVM.

A

Accademici.

Accademicorum rationes quod non detur veritas, nec ſcientia.d.2 c.1.per totum. Eorumdem cauillus quo negabant primum principium, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe ſoluitur.diſp.eadem.cap.7.nu.75.

Anima Rationalis.

Anima rationalis eſt immortalis, ſecundum Ariſtotelē producitur immediatè à Deo diſp.1.cap.7.nu.121. Vel illam producit Deus mediantibus corporibus Cęleſtibus ſecundum eumdem Ariſtotelem.ibidem. Eſt immortalis ſecundum veritatem, ſed de hac veritate dubius fuit Ariſtoteles, & ob quam cauſam.diſp.1.cap.12.nu.258. Auctoritates Ariſtotelis pro immortalitate.nu.259. & ſequentibus. Opinio quod Mūdus ſit æternus, fuit cauſa perplexitatis Ariſtotelis circa Animę immortalitatem.nu.261. Obiectiones Pōponatij reijciuntur.262. 274.& 278. Sententia Philoſophorū de Animæ immortalitate.nu.265.& ſequentibus. Ratio efficax ex Religione.269. Ratio efficax ex principijs Ariſtotelis.270. Textus Ariſtotelis. 19.& 20.ex 3.de Anima exponitur. 276. Anima rationalis eſt immaterialis, & inorganicha ex Ariſtotele, & ideo eſt immortalis.diſp.1.c.12.nu.259.& 273. Differentia in cognitione inter Animam rationalem, & bruta contra Pomponatium. ibid.nu. 262.263.& 272.

Animæ Rationalis apparitiones diuerſæ.diſp.1.cap.12.nu.279. Hiſtoria ex Bernardo Arluno.280. Apparitio Galeatij Sforziæ ibidem. Apparitio Ludouici Alidoſij.281. Apparitio Marſilij Ficini.283. Apparitio Ioannis Pici Mirandulani.284. Apparitio vxoris cuiuſdam Illuſtriſſimi.nu.290. Apparitio Matris Neronis ipſi Neroni. 284. Apparitiones factæ Simonidi Poetæ.285. Apparitio. SS. Petri, & Pauli Coſtantino. 287.

Cur poſſibile eſt Animas apparere, & modus. diſp.1.cap.12.nu.290. & 291. Animę non repugnat mouere ſe poſt mortem. ibidem. Cur Anima ad Corpus proprium informandū non redeat.ibid. Cardani reſponſio refellitur. 292. Modus quo Anima ſeparata ſit viſibilis.293. Quomodo Animæ, & Dæmones apparere poſſint in corporibus. 293. Apparitio relata à Gulielmo Pariſienſi.ibid.

Myſterium Trinitatis non eſt contra rationem naturalem, ſed ſupra vires naturales intelligendi. diſp. 4. cap.3.

cap.3.nu.77. Anima pro quocunque ſtatu non poteſt habere notitiam immediatam Dei. diſp. 4. cap.4. nu.84. Obiectum adęquatum intellectus ex natura potentię quodnam ſit. nu.91. Quis ſit ordo motionis in entibus. nume. 98. Producere verbum quomodo ſit actio immanens, & quomodo nō. n. 99. Contradictio apparens in Scoto ſoluitur. nu. 102. Notitia Beatorum non eſt verbum, & cur. nu.107. Quomodo Lapis in Deo videatur. nu.109.

Apparitio.
Vide Anima Rationalis. Dæmon.

Ariſtoteles.

Ariſtot. Deum eſſe conceſſit. diſp. 1. cap.2. nu.30. Non poteſt effugere quin fateatur Deum eſſe Agens liberum. diſp.1.cap.3. num. 39. Ariſtot. ratio quod Dæmones non dentur refellitur. diſp.1.cap.5.nu. 64. Deridetur à Cicerone. ibid. Ariſtot. in rebus difficilibus recurrit ad fidem, & traditionem Antiquorum. nu.69. Ariſt. variæ ſententiæ quod Deus ſit. nu.71. & ſequentibus. Aſſerit Deum eſſe factorē omnium. num.72. Librum Ariſtot. ad Alexandrum re vera eſſe Ariſtot. nu. 73. facit Deum cauſam efficientem. nu.74. & ſequentibus. Laudat Anaxagoram, qui poſuit mentē primam, eſſe cauſam efficientem omnium. ibid.

Ariſtoteles conceſſit dari Dæmones. diſp.1.cap.5.nu.77. Solutio Argumenti Ariſt. ex 12. Met. tex.48. nu.78. & 82. Deum habere voluntatem, & prouidentiam ſub nube cognouit, & cur apertè eam non conceſſerit. ibid. Opinio eiuſdem de Dæmonibus. n. 79. Deos nō fictè, ſed verè conceſſiſſe. nu.80. Fatetur oracula fuiſſe. diſp. 1. cap.6. nu.92. Admittit Sibyllas, et Bachas, & quomodo. nu.92.

Ariſtot. Philoſophia non eſt omnis Philoſophia. diſp.1. cap.12. num. 258. Ariſtot. credidit Animam Rationalem eſſe immortalem ſed ſub dubitatione, & quare. ibid.

Iuditium Mirandulani de doctrina Ariſt. diſp.2. cap.9. nu.98. Doctrina eius quam ſit incerta. nu.99. & ſequentibus. Falſum eſt Ariſt. impoſuiſſe opiniones falſas antiquis. diſp. 3. c. 1. nu. 11. Erat Ariſt. aſſerens omnes antiquos excepto Platone poſuiſſe Mundum Aeternum. diſp. 3. c.2. nu. 44. Aſſerit deinde omnes antiquos poſuiſſe Mundum eſſe factum ſed diuerſo modo. diſp.3. cap.3. nu.57.

Athei, & Atheiſmus.

Atheiſmus renouatur ab Hereticis. diſp.1.cap.1.nu.1. occaſio incidendi in illum. ibid. Rationes pro Atheiſtis. nu.4. & ſequentibus. Atheiſmus tollit religionem, ſanctitatem, ſapientiam, Iuſtitiam. diſp.1.cap.3. nu.49. Ratio præcipua Atheiſtarum quod Deus, & Dæmones non ſint quia non videntur, nec ſanciuntur, refellitur. diſp.1.cap.5.nu.63. Atheiſtæ cur non credant Deum eſſe. nu. 68. Atheiſtæ acceptant religionem, quia putant eſſe vtile ad cohibendos homines à malo; At nihil prodeßet, ſi Religio eſſet fictio. num.70.

Antropophagi.

De Antropophagis. diſp. 1. cap. 10. num.211.

Aſtrologi. Vide Cœlum.

Aſtrologorum fundamenta reijciuntur. diſp. 1. cap. 7. nu. 117. Diſputatio Cicer. aduerſus ipſos. Eorũ rationes ſoluuntur. nu. 119. eorum prædictiones cur falſæ. nu. 120. Vis conſtellationum non poteſt ſeruari, & permanere. ibid. Eorum aſſertiones quam vanæ. nu. 126. & 127.

C

Cadauer.

Cur Cadauer occiſi aliquando coram occiſore fundat ſanguinem. diſp. 1. cap. 9. num. 176.

Caſtor, & Polux.

Caſtoris, & Polucis apparitio ex Cicerone. diſp. 1. cap. 6. nu. 83.

Cabala. Magia.

Cabalæ prima acceptio quod ſit ars per numeros, nomina. &c. non differt à Necromantia. diſp. 1. cap. 11. num. 236. & 237. Accepta pro ſcientia numerandi. nu. 238. refellitur. 239. Cabala propriè dicta quæ. nu. 240. & ſequentibus. Magia Dæmoniaca quę. num. 242. Vide Magia.

Caſus & Fortuna.

Effectus fortuiti non habent cauſam per ſe, ſed per accidens ſecundum Ariſt. & tamen alibi ſecũdum eundem habet cauſam per ſe, & quomodo. diſp. 1. cap. 7. nu. 121. Secus ſecundum Theologos. ibid.

Cœlum. Vide Mundus.

Corpora Cęleſtia ſunt cauſæ vniuerſales non particulares, ideò non poſſunt eſſe cauſa prodigiorum, Serpentis, Epidauri. &c. diſp. 1. cap. 7. nume. 110. Siderum aſpectus non ſunt cauſa miraculorum. nu. 111. Non ſunt cauſa veneficiorum. nu. 112. Non producũt mirabilia per certas figuras, characteres, numeros &c. num. 113. Quę dicuntur de numeris Mathematicis vana ſunt. n. 114. Agunt in hæc inferiora ſolo lumine, & motu, eſt dubiũ de influentijs. nu. 115. Actiones eorũ in hęc inferiora ſunt vniuerſales, non particulares. diſp. 1. cap. 7. num. 121. Per acceſſum, & receſſum Solis tempora variari, ſed miracula fieri eſt impoſſibile, & quare. nu. 124. Quomodo ſidera Cæleſtia præſint, & ad quid. nu. 125. Quomodo extra Cęlum ſit nihil. diſp. 3. cap. 4. num. 69.

Cognitio.
Vide Veritas. Scientia.

Impoſſibile eſt cognoſcere ſpeciem rei, & non rem. diſp. 2. cap. 7. num. 83. Cognitio duplex, in vniuerſali, & in particulari, & quæ. nu. 84. Memnonis cauillus ſoluitur. ibid.

Coſtantinus Imperator.

Coſtantinus Imperator curatur à Lepra. d. 1. cap. 12. nu. 288. Vide Lepra. Baptizatur Romæ. ibid. Teſtimonia Ethnicorũ, cõfirmãtia, quę dicta ſunt. ibid. Coſtantinum pęnituit de morte Criſpi filij ſui. num. 289.

D

Deus.

Deum eſſe naturaliter oſtendi poteſt,

Digitized by Google

teſt.diſp.1.cap.2.num. 20. Quatuor vijs antiqui probabant Deum eſſe. ibid.nu.21. Deum eſſe, eſt communis conſenſus hominum.ibid.nu.52. Obiectio Cottæ apud Ciceronem.ibid.num. 22. Eiuſdem confutatio. nu.23. Deũ eſſe non poteſt fuiſſe fictio hominum. ibid.num. 24. Antiqui attribuerunt Diuinitatem rebus illis, quas ipſi beneficas cognouerunt.ibid.nu.25. Diodorus Siculus de prima hominũ cognitione. ibid. Ratio Ciceronis quod Dij ſint.nu.26. Ægiptij dixerunt Deum illud, quod videbant vtilitatem offerre.nu.28. Veteres Philoſophi conceſſerunt Deum eſſe, vt habet Plutarchus. ibid. Plutarchus impiè repræhendit Platonem, & antiquos Philoſophos. ibid. Philoſophi aliqui cur herbas, &c. Deos vocauerint.ibid.nu.31.

Quod alij Dij prętet ſupremum darentur apud antiquos. diſp.1. cap.3. nu.40. Deus eſt Animal perfectiſſimum.nu.41. & 53. Antiqui dicebant Deum eſſe Animam Mundi, & quomodo.ibid.nu.42. quæ virtutes ſint in Deo.nu.54. & 57. licet Deus non habeat virtutem continentiæ, & fortitudinis, tamen non eſt vitioſus.ibi. Deus quomodo cognoſcat laborem, & dolorem, quæ tamen non ſentit. ibid. num. 55. in Deo eſt prudentia, & prouidentia, & quomodo.nu.56. Deus eſt infinitus, & quomodo.num.58. Deus non eſt mutus, & quomodo.nu.61. Loqui in Deo quid ſit. ibid. Carneadis ratio valet contra Deos Gentilium, nõ contra Deum verum, & alios ſpiritus. num.62. Argumentum efficax quod Deus detur. diſp. 1.cap.9. num. 179. Deus cur non creauit Mundum ab ęterno.diſp.3.cap.4.nu.67. in Deo non poteſt cadere inuidia & quare. ibid. nu.66. Deus non potuit fuiſſe per infinitum tempus antequam tempus crearetur, & quare.n.69. Deus cur creando non mutatur.ibid.nu.81.

Dæmones.

Vide Prodigia. Miraculum.

Prodigia Dæmonum adducta à D. Auguſtino.diſp.1.cap.6. num.84. & ſequentibus. Prodigium de ſectione cotis per nouaculam. ibid. Dæmones ligatos eſſe ſtatuis arte quadam ab hominibus docuit Triſmegiſtus. ibid. nu.225. Dæmones ex pacto facere veneficia. nu. 246. & 247. In Dęmonibus eſt tantum vis intellectiua, & motiua.nu.248. eorum potentia. ibidẽ. Quomodo Dæmones tranſtulerint Deos Pęnnates ex Alba Lauinium. num.249. Dæmones poſſunt omne illud quod cauſę naturales.nu.253. Apparitiones diuerſæ. Dæmonum. num. 294. Fauni, Nymphę, Satiri, Driades, & ſimilia ſunt Dęmones in illis formis apparentes. ibid. Apparitio relata à Gulielmo Pariſienſi. ibid. Dęmon Socratis.diſp.1.cap.6.nu.95. Natura Dæmonia dicitur, & quare.ibid. num.196.

Diagoras.

Diagoras cur Deum negauit.diſp. 1.cap.2.num.29.

Diodorus Siculus.

Diodorus Siculus de prima hominũ cognitione, quomodo Deum cognouerint.diſp.1.cap.1.nu.25.

Diuinatio.

Diuinatio fit tribus modis, ex Ariſtot. diſp. 1. cap. 9. nu. 195. Cauſa ſomniorum adducta à Democrito refellitur ab Ariſtot. ibid. num. 197. negat Ariſtot. diuinationem fieri virtute diuina. nu. 201. Quomodo velit naturaliter fieri. ibi. Halitus, & exalationes vult eſſe cauſas diuinationis, & ſic Sibyllas, & Pythiam diuinaſſe. num. 202. Opinio Ariſtotelis refellitur. num. 226. Diuinationes Oraculorum, & Energumenorũ à Dæmonibus fieri, & quomodo. nu. 227. Opinio Pomponatij ridicula, & impia. num. 228. & 229.

E

Epicurus.

Epicurus quid de Deo dixerit. diſp. 1. cap. 2. nu. 29. Voluit Deum eſſe corporeum, & figuræ humanæ, ſed reijcitur. cap. 3. num. 53.

Exemplar.

Opinio Henrici de modo quo per exemplar habeatur cognitio certa, & infallibilis adducitur, & reijcitur à Scoto. diſp. 2. c. 3. & ſequentibus.

Extaſis.

De extaſi. diſput. 1. cap. 10. numero 200.

F

Fides.

Magna pars eorum quæ ſcimus fide innituntur. diſp. 1. cap. 5. nu. 65. Multa pro veris credimus de quibus nec ſcientiam, nec cognitionem ſenſitiuam habemus, ſed ſolam fidem. nu. 66. D. Aug. ſcripſit librum de vtilitate credendi. nu. 65. Credere ſine ratione quomodo ſtultitia ſit, & quomodo non. num. 67. & 68.

Rationabilius eſt ſequi fidẽ quam doctrinam Philoſophorum. diſp. 2. cap. 9. nu. 98. Fidei Chriſtianæ fundamentum quale ſit. diſp. 2. cap. 9. nu. 123. Defenditur contra Auicennam. num. 122. Contra Mahumetanos. nu. 124. Defenditur contra Auerroem. num. 108. Miraculum de dono linguarum non poteſt negari. ibid. Cognoſcens articulum fidei aliter quam per fidem non amittit meritum fidei. diſp. 4. nu. 48. Quam cognitionem habere poſſit homo de Deo Trino, & vno pro hoc ſtatu. nu. 60. fides humana ex D. Auguſtino. nu. 66. fides quomodo ſit donum Dei. num. 70. fides acquiſita, & infuſa quomodo differant. nu. 71.

Faſcinatio.

Vide Maleficium. Veneficium.

Faſcinatio per oculos fieri non poteſt. diſp. 1. cap. 9. nu. 169. Vetulæ minus faſcinare poſſent ſi &c. ibid. Faſcinatio non poteſt fieri per tactum. numero 170.

G

Gentiles.

Vide Philoſophi. Religio.

Genius. Dæmon.

De Genijs opinio Heſiodi, & Plutarchi. diſp. 1. cap. 6. nu. 94. Genios differre à Dijs, diũ viuere, ſed tamen tandem

dem mori ait Plutarchus.ibid. De morte Geniorum hiſtoria quędam. ibid. de Genio,ſeu Dęmone Socratis.n.95.

I

Infernus.

Non omnia dicta à Poętis de Inferno fabulæ ſunt,ſed multa vera.diſp.1. cap.2.nu.33.& ſequentibus,& num. 130.& ſequentibus.

Imaginatio.

Miracula,& opera miranda,non poſſunt fieri per imaginationem. diſp. 1.cap.8.per totum, nu. 128. De ouibus Iacob concipientibus agnos coloribus variatos. ibid.nu.136. & 151. in mulieribus prægnantibus fętum ex earum varia imaginatione vario modo affici.ibid.135.fundamentum Authorum dicentium opera miraculoſa fieri per imaginationem.ibi. Homines diuinare per imaginationem quorumdam opinio.nu.137. Refellitur etiam à Pomponatio.n.138. Quod Moyſes per imaginationem eduxerit aquam ex ſilice, & ex virga Serpentem fuit opinio Algazel, & Auicennæ,& falſa oſtenditur.num.139.Imaginationi non obediunt res,& quare.nu.140. & ſequentibus. Neque Anima quantũcunque nobilis, & eleuata à materia poteſt hæc opera efficere per imaginationem. nu.143. & ſequentibus. Ratio Ariſt.contra Ideas hic valet.num. 144. Imaginatio non emittit ſpiritus extra corpus,& quare. nu.145.qualis ſit actio imaginatiuæ. ibid. Definitio imaginatiuę ponderatur.ibid. Non poteſt alterare corpus diſtans,& diſtinctum.num.147.Imaginatio quomodo alteratur à ſpeciebus. nu.148. Cur in mulieribus prægnantibus fętus ex imaginatione afficiatur.num.149.Diuinationem non poſſe fieri per imaginationem.num.150.

Intellectus.

Ratio propter quam ſi ſenſus decipiatur, tamen intellectus poteſt non decipi.diſp.2.cap.5.nu.47.

Iudicatorium. Vide Veritas.

Datur Iudicatorium certum ad diſcernendum verum à falſo, atque hoc eſſe intellectum,& ſenſum.diſp.2.c.7. nu.74.rationes contra Iudicatorium ſoluuntur. ibid. & ſequentibus. Diſcordia Philoſophorum, de diſcordia veritatis non debet non turbare. numero 85.

L

Leo.

Leo Apollonij apud Philoſtratum quid eſſet.diſp.1.cap.11.nu.250.

Lepra.

Curatur à Lepra Coſtantinus Imperator.diſp.1.cap.12.nu. 288. Plinius de Medicina Lepræ.ibid.

M

Magia, & Magæ.

Magia Dęmoniaca,& quæ.diſp. 1.cap.11.nu. 242.Magia eſt nomen Equiuocum.diſp. 1.cap.11.num.231. Eſt triplex.232. Magia naturalis eſt ſciẽtia honeſta infuſa Adę à Deo. ibi.

Magia

Magiæ naturali aliqui miſcent Dę-
moniacam.nu.233.Signum ad diſcer-
nendum Magiam Dæmoniacam à na
turali.ibid.Exempla iſtarum 234.&
235. Necromantes iactant ſe habere
ſuam artem à Salomone, & ab Adam
falsò.nu. 237. Plinij opinio, quod ars
Magica non detur, refellitur.n.243.
Cur Neroni Deus nõ permiſit vti ar-
te magica.ibid. Hanc artem dari pro-
batur ex veneficijs.n.294. De clauis,
oſſibus,acubus,&c.proiectis per vomi
tum à veneficatis.ibid.& n.254. Ob-
iectio negantium Dæmones veneficia
facere poſſe,& ſolutio.n.246. Agrip
pa quendam ſuffocatum à Diabolo fin
xit reſuſcitaſſe. nu. 249. Quid de re-
ſuſcitatis apud Platonem.num. 250.
Claudia Veſtalis, & Tutia quomodo
mirabilia fecerint,quæ narrantur.nu.
250. De Serpente Epidaurio, de Ca
ſtore,& Poluce.nu.251.

Artem Magicam permittit Deus
ne Philoſophi, & Atheiſtę excuſa-
tionem vllam habeant.nu.242.& ſe-
quentibus. Magi veneficia efficiunt
ex pacto cum Dæmonibus innito. nu.
246. Magicos effectus aliqui tribuũt
atrę bili, & humori melancholico. n.
193. Fundamentum eorum. nu. 194.
De Sagis eiſdem euntibus ad ludum
corporaliter.ibid. nu.213. & ſequen-
tibus. Hiſtoria de puella delata è Ber
gamo Venetias à Dęmone.n.214.Hi
ſtoria recitata à Magiſtro Zacharia
de Rauenna de quadam vetula Ma-
ga.num.215. Ignarum lingua Lati
na non poſſe loqui Latinè niſi arte Dę
monis.num.217.

Mahumetus.

Legis Mahumetanæ deliramenta.
diſp.2.cap.9.num.119.Laudat Euan
gelium à quo multa accipit, & teſta-
mentum vetus. ibid. Non habet ſen-
ſum allegoricum.nu. 120. Lex Chri-
ſtiana defenditur contra Auicennam.
num.122.

Maleficium.

Vide Dæmones. Magia.

Maleficium quodam ex Codron-
co.diſp.1.cap.6.nu.99. Aliud malefi-
cium ex Fernelio,ibid.nu.100.Aliud
ex Codronco.diſp.1.cap.9.num.157.
Mulieres menſtruatę non poſſunt ef-
ficere maleficia.diſp.1. cap. 10. num.
209. Sanguis menſtruus datus eſt mu
lieribus ad beneficium,non ad malefi-
cium.ibid.Cur inficiant ſpeculum.nu-
mero 164.

Materia.

Materia non potuit exiſtere ſine
forma ab ęterno.diſp.3. cap.1.nu.20.
Argumentum Ariſt. quod materia
ſit ingenita,ſoluitur.ibid.

Miraculum. Prodigium.

Miracula fieri vi corporum Cœ-
leſtium eſt vaniſſimum.diſp.1. cap.7.
nu. 123. Non poſſunt fieri ab imagi-
natiua.diſp.1.cap.8.num.128. & ſe-
quentibus. Opinio Auicennæ quod in
intelligentijs, & hominibus ſint ſpe-
cies per quas poſſint producere res,
refellitur. ibid. num. 129. Quod im-
perfectiora obediant homini ad nu-
tum eſt falſum. ibid. Miracula, &
opera externa nõ poſſunt fieri ab ima-
gina-

ginatione vnius in aliorum corpora. num.130.& 131. Eorum fundamenta.num.132.& ſequentibus, refellun tur.nu.138.& ſequentibus. Miracula ex Antipatia, & Simpatia fieri non poſſunt.num.177. Differentia inter miracula Magorum, & Sanctorum.n.255. Quid ſit miraculum. ibi. Tres gradus miraculorum.num.256. & ſequentibus. Pomponatius qui dixit miracula poſſe fieri naturaliter refutatur.diſp.1.cap.7.nu.123.& 124. Prodigium de ſectione cotis per nouaculam ab Atio Nauio. diſp. 1. cap.6. nu.84.et ſequentibus. Prodigium red ditus Deorum Penatum ex Alba Lauinium.nu.85. Prodigium de Serpente Epidaurio.nu.86. Prodigia de Tutia, & Quinta Clandia Virginibus, Veſtalibus.nu.87.& 88.

Melancholia, & Melancholici.

Melancholia non poteſt eſſe cauſa miraculorum,&c.diſp.1.cap. 10. nu. 212. Effectus Magorum, vt vehi per aerem,loqui aliena lingua, Serpentis Epidaurij diſceſſus, &c. non poſſunt fieri per melancholiam. num.212. & 213. Cur Ariſt. hos effectus melancholiæ tribuerit. ibid. Teſtimonium Ciceronis quod opera prędicta diuinationis,&c. non poſſint fieri per melancholiam contra Peripateticos. numero 221.

Motus. Vide Mundus.

Ab emanatione differt.diſp.3.c.4. nu.73. potentia in motu quomodo accipitur.ibid.nu.74.75. & ſeq. Diffinitio motus aſſignata ab Ariſt.nō competit omni motui. d.3.c.4.nu.73.et ſeq.

Magi.

Balaham fuit de numero Magorū Gentilium.diſp.4.cap.1.nu.2.

Mundus.

Mundus hic inferior ſublunaris gubernatur à Mundo ſuperiori in vniuerſali tantum.diſp. 1. cap.7. num. 122. Eius actio eſt vniformis, & naturalis.ibid. Pomponatius refellitur.nu. 123.& 124.

Opinio Platonis de Mundi productione.diſp.3.cap.1.nu.10. & ſequentibus. Vide Plato. Mercurius Triſmegiſtus aſſeruit creationem Mundi. num.22. Orpheus, Homerus idem dixerūt.ibid.n.24. Heſiodus, Thales, & alij antiqui idem dixerunt. ibid. & ſequentibus. Rationes, quod Plato poſuerit Mundum æternum, ſoluuntur. n.28.& ſeq. Opinio quod Mundus ſit æternus eſt fons omnis impietatis.diſp.1.cap.12.num.261. Rationes pro Mundi æternitate. diſput. 3. cap.2.num. 34. & ſequentibus. Rationes pro productione Mundi. ibid. cap.3.num.31. & ſequentibus. Obiectio Simplicij contra Moyſen. ibid. nume.51. Eiuſdem confutatio. num. 53. Abſurda quæ conſequuntur ad æternitatem Mundi.nu.58. Si Mūdus eſſet æternus Deus eſſet ignobilior homine, quia non eſſet liber. numero 61.

Quare Deus non creauit Mundum ab æterno.diſp.3.cap.4.num.67. Hoc non fuit ex inuidia Dei.num.66. Rationes Ariſt.pro æternitate Mundi ſoluuntur. diſp.3.cap.4. num.66. & ſequentibus. Falſa eſt imaginatio

✠ ✠ ✠ quod

quod tempus præceßerit Mundum, & quare.nu. 68. In rebus corruptibilibus duratio an diſtinguatur ab eorum eſſentia. ibid. Ratio D. Auguſtini ad idem. Deus non fuit per infinitum tempus antequam Mundus crearetur, & quare, nu. 69. Quomodo nihil ſit extra Cęlum. ibid. Falſa imaginatio quod tempus præceſſerit Mundum. num. 67.

Moyſes.

Moyſes defenditur contra Simplicium. disp. 3. cap. 3. num. 53. Fuit in magna veneratione apud Gentiles. num. 53. & 54. Simplicius mentitur. ibid. Moyſes duplicem legem accepit à Deo. disp. 1. cap. 11. num. 240.

N

Ninphæ, Satyri, &c.

Ninphæ, Satyri, Fauni, Napeæ, &c. ſunt Dæmones in illis formis apparentes. disp. 1. cap. 12. num. 294.

O

Oculus. Viſio.

Per viſum fieri opera miraculoſa opinio quorundam, & fundamenta eorum. disp. 1. cap. 9. num. 152. Oculi cur ſubrideant ex gaudio, ex timore langueſcant, & ſimilia. nume. 162. Quomodo per oculos generetur Amor. nu. 163. An mulier menſtruata viſu maculet ſpeculum. nu. 164.

Oracula.

Oracula diuerſa antiquorum. disp. 1. cap. 6. num. 89. Reſponſio Atheiſtarum quo ad oracula refellitur. nu. 90. & ſequentibus. Ariſtotelis teſtimonium de oraculis. num. 92. Oracula cur tempore Chriſti ceſſauerint. num. 94. Plutarchus voluit emanaſſe à Genijs. ibid. Oracula ceßaſſe in aduentu Chriſti argumentum magnum eſt, illa à Dęmonibus prouenißе. disp. 1. cap. 11. num. 225.

Orpheus.

Orphei carmina ad Titanes. disp. 1. cap. 1. num. 3. & 5.

P

Phantaſia. Vide Imaginatio.

Quomodo cognoſcatur quando phātaſia errat. disp. 2. cap. 6. nume. 71. & 72.

Philoſophi Gentiles, & Philoſophia.

Reprehenduntur à Paulo quod cognouerint Deum, & non glorificauerint. disp. 1. cap. 1. num. 1. Philoſophia quam inconſtans, & varia. disp. 2. cap. 1. num. 1. & 6. Philoſophi Gentiles conceſſerunt prouidētiam in Deo. disp. 3. cap. 3. nu. 56. Philoſophi Gentiles cognouerunt creationem. disp. 4. c. 1. num. 30. & ſequentibus. Teſtimonia varia eorumdem de Trinitate in Deo. nu. 13. Gentilium dicta tendunt ad pietatem, & primum gradum pietatis eſſe Deum. ibid. nume. 34. Cur Philoſophi clarè non potuerint cognoſcere Trinitatem. disp. 4. cap. 2. num. 45. & ſequentibus. Differentia inter Scotum, & D. Thomam. ibid. de Myſterio incarnationis quid D. Auguſtinus

ſtinus repererit apud Gentiles. diſp. 4. cap. 1. num. 35. Gentiles qui locuti ſunt de Myſterijs fidei duplicis generis fuerunt. diſp. 4. cap. 2. num. 50. cognitio quam habuerunt de Myſterijs fidei fuit ex reuelatione, & quomodo. ibid.

Pitagorici.

Falſum Dogma Pitagoricorum de Iuſtitia. diſp. 1. cap. 3. nume. 49. Dicebāt nos eſſe cognatos Brutis ideò iniuſtè agere, qui occideret Bruta. ibid. & num. 50.

Plato.

Quàm dubius in ſua doctrina. diſp. 2. cap. 9. num. 110. Iulianus apoſtata à Religione Chriſtiana apoſtatauit propter doctrinam Platonis. ibid. Religio Gentilium ſecundum Platonem falſa. num. 112. Quàm variæ ſint opiniones de eius mente quo ad Mundi originem. diſput. 3. cap. 1. num. 2. Rationes pro Mundi æternitate ſecundum Platonem. nume. 3. & ſequentibus. Vera eius opinio. num. 10. & ſequētibus. Quomodo ſe habuerit Deus in productione Mundi ſecūdum eum. num. 12. Eius excuſatio quod non adduxerit demonſtrationes pro productione Mundi. num. 13. Deum creaſſe prius animam Mundi. num. 15. Tempus creatum à Deo. ibid. Deos & alia Animalia creata à Deo. ibid. nu. 17. Deos Gentilium quomodo approbet Plato. ibid. Quomodo differat à fide Chriſtiana. num. 18. & 19. Differentia inter Ariſtotelem, & Platonem de principijs rerum. num. 18. Diui Auguſtini vera ſententia de opinione Platonis. nu. 19. Ioannis Grammatici opinio de mente Platonis. ibid. Plato ſuſtinuit Prouidentiam explicitè. diſput. 3. cap. 3. num. 56. Platonis cognitio de Trinitate. diſp. 4. cap. 1. num. 13. & ſequentibus. Qua de cauſa Theologi antiqui magis comendauerint Platonem quam Ariſtotelem, Theologi verò poſteriores ſequuntur magis Ariſtotelem. diſput. 4. cap. 2. in fine.

Plutarchus.

Fatetur Philoſophos antiquos conceſſiſſe Dei Prouidentiam. diſput. 1. cap. 2. nume. 28. Impiè reprehendit Platonem. ibid.

Pſylli.

De his agitur. diſp. 1. cap. 10. num. 211. Pſyllos vſos fuiſſe incantationibus ex Plutarcho. ibid.

R

Raimundus Lullus.

Raimundi Lulli demonſtrationes fatua refelluntur. diſput. 4. cap. 3. nume. 75. Earum confutatio. num. 78. & ſequentibus. Eius doctrina indigna vt per manus hominum vagetur. ibid. num. 80. Fuit mercator Catelanus imperitus. ibid.

Religio.

Religio eſt cauſa Animæ. diſput. 1. cap. 5. num. 70. Suadet aliquid vltra id quod viribus noſtris poſſumus, eſſe credendum. diſput. 2. cap. 1. nume. 6. Diſcernit hominem à Brutis. ibidem. Religio Chriſtiana defenditur contra

Digitized by Google

Auerroem. diſputatio 2. cap. 9. nume. 108. Quatuor Religiones præcipuæ, & quæ. nume. 111. Religio Gentilium confutatur. nume. 112. & ſequentibus. Cur Patres noſtri Gentilles Religionem Gentilium derelinquerint, & Hebraicham receperint. nume. 113. & 116. & ſequentibus. Imolatio hominum in ſacrificijs ceſſauit ſolum tempore Chriſti. numero 115. Lex data Hebreis fuit ad tempus, non vt ſemper duraret. num. 117. & ſequentibus.

Reſurrectio.
Vide Magia. Cabala.

S

Sagæ. Vide Magæ.

Sanctitas.
Sanctitas quid ſit. diſput. 1. cap. 3. nume. 49. Tolitur per Atheiſmum. ibidem.

Satyri. Vide Ninphæ. Dæmones. Anima Rationalis.

Scientia. Vide Veritas.
Ciceronis dictum de opinione Accademicorum quod non detur ſcientia. diſput. 2. cap. 1. num. 1. & 2. Sententia Ioannis Franciſci Pici Mirandulani de Doctrina Ariſtotelis. num. 3. Medicina, & Mathematicæ ſcientia quam incerta. nume. 4. & 5. Cognitio humana quam perplexa. num. 6. Datur certitudo in cognitis per experientiam. cap. 5. num. 52. Notitia certa duplex. cap. 7. num. 80.

Senſus. Vide Veritas.

Sibylla.
Sibyllas fuiſſe certum eſt ex Ariſtotele. diſput. 1. cap. 9. nu. 194. Non ex veſania. neque ex furore, carmina confeciſſe, ſed more acurati ſcriptoris, ex Cicerone. num. 221. Idem probatur de Oraculis, & reſponſis ipſorum. nu. 222. & 223. & ſequentibus. Sibyllæ Teſtimonium de Aduentu, & morte Chriſti. diſput. 4. cap. 1. num. 5. & ſequentibus. Eius teſtimonium eſt verum. num. 6. Confirmatur à Cicerone. num. 7. Teſtimonium Coſtantini Imperatoris de Sibylla. num. 8. Carmina eiuſdem Sibyllæ de Chriſto. num. 36. & 42. Qua de cauſa cum cognouerit verum Deum illum non coluerit debito modo. nu. 57. & ſequentibus.

Simplicius. Vide Mundus.

Somnium. Vide Diuinatio.
Diuinatio per ſomnium fit tribus modis, & quibus. diſp. 1. cap. 10. num. 195. Cauſa adducta à Democrito refellitur ab Ariſtotele. nume. 197. Quibus hominibus inſint ſomnia diuinantia ſecundum Ariſtotelem. numero 200.

Strumæ Regum Franciæ.
Reges Franciæ curant ſtrumas, non Reges Angliæ. diſput. 1. cap. 9. nume. 156. & 179. Cardani Modus quo Reges Franciæ curent ſtrumas refellitur. ibid.

Digitized by Google

T

Tactus.

Opera miranda per tactum fieri quidam putant. diſput. 1. cap. 9. nume. 155. & ſequentibus. Non poſſe faſcinationem fieri per tactum. num. 170. Si per tactum fit opus mirandum fit virtute Dæmonis. ibidem. & ſequentibus. Falſum eſt Tibios ſolo viſu infantibus, & alijs exitium attuliſſe. nume. 173. De Torpedine, Hienna, Vipera, fidibus Lupinis, & Agninis, de Remora. num. 174. & ſequentibus. Curationes morborum per tactũ quomodo fiant. num. 178. Pomponatij ratio refellitur. ibid. Iudicium de hiſtoria malefica adducta à Codronco. numero 182.

Temperamentum.

Temperamentũ non poſſe eſſe cauſam miraculorum. diſput. 1. cap. 9. nume. 189. & ſequentibus, & cap. 10. nume. 203. De Temperamento Iuſtitiali. num. 205. Rationes pro Aduerſarijs refelluntur. nume. 208. & ſequentibus.

Tempus. Vide Mundus.

Non præfuit ante creationem rerum. diſput. 3. cap. 4. nume. 70. Non diſtinguitur à motu. ibid. Exemplum de ijs qui dormierunt in Sardo. ibid. Tempus duplex, naſcens, & ſubſecutum. ibid. nume. 83. Tempus non poteſt eſſe ſine nunc, ſed nunc non eſt ſemper finis præteriti. ibidem numero 84.

V

Veneficium. Vide Maleficium.

Hiſtoria quædam de Muliere venefica. diſput. 1. cap. 9. nume. 157.

Verba. Vox.

Verbis, & voce mirabilia effici ab hominibus aliquorum opinio. diſput. 1. cap. 9. nume. 158. Eiuſdem fundamenta refelluntur. num. 160. In voce duo ſunt. nume. 183. Nec per vocem opera miranda, nec per verba fieri poſſunt. nume. 183. & ſequentibus. Tales effectus ſi fiant ſunt à Dæmone. nume. 185. Cantus Muſici cur mouent ad gaudium. ibid. Aues cur voce capiantur. nume. 186. De muribus, locuſtis, &c. quæ ad certa verba proſternuntur. num. 187. Malefici quomodo tactu faſcinent. num. 187. Verba non poſſunt affici aliqua qualitate ab Anima vt ad libitum dirigantur. numero 188.

Veritas.

Veritas an haberi poſſit ex puris naturalibus. diſput. 2. cap. 1. & ſequentibus. Veritas quid ſit. ibid. cap. 2. nume. 7. & cap. 5. nu. 41. Iudicatorium veritatis eſſe incertum. ibid. Septici non admittunt indicatorium, & eorum rationes. ibid. & num. 9. & ſequentibus. Opinio Henrici circa ſinceram veritatem. cap. 3. num. 17. & 24. in tribus generibus cognoſcibilium reperiri veritatem ſinceram. num. 40. & 41. in principijs per ſe notis reperiri veritatem. ibid. De veritate Concluſionum.

ſionum.num.45. An intellectus decipiatur ſi ſenſus decipitur.num.46. In cognitis per experientiam datur certitudo.num.52. Certitudo infallibilis datur in actibus noſtris. nu.59. Quomodo habeatur certitudo de his quæ cadunt ſub ſenſum.num.62. Senſus errans quomodo corrigitur. nume. 63. Sincera Veritas quid ſit.diſput.2.cap. 7.num.86. Philoſophos aliquas veritates ſinceras nouiſſe. num.90. Quomodo intellectus noſter eleuatur ad cognoſcẽdum ſinceras veritates in regulis æternis.n.93. Veritas rerum petenda eſt à Religione.d.2.c.9.n.110.

Viſio. Vide Oculus.

Viſio non fit per extramiſſionem. diſput.1.cap.9.nume.160. Per viſionem non poſſe fieri opera miranda. ibid.& ſequentibus.

X

Xanophanes.

Xanophanis carmina aduerſus Homerum, & Heſiodum, quod malè de Dijs locuti ſint. diſp.1.cap.1.nu.19.

F I N I S.

Digitized by Google

Errata quædam, amice Lector, partim quidem ex artis lubricitate, at partim certè ex amanuenſis incuria, me inuito, nedum Authorem conſulerem, Typographus vacaret, irrepſerunt. Hæc pauca, quæ raptim adnotaui, ſic corrigito.

pag. 1. lin. 20. confuſi: Eò lege confuſi, eò
pag. 3. ab infra lin. 9. amitti lege amicti
pag. 6. lin. 5. cuius lege omni
pag. 7. ab infra lin. 13. Dias lege Dea
pag. 9. ab infra lin. 5. notionem ? lege notionem
pag. 10. lin. 7. illam lege illas
ibid. beneficia lege beneficas
pag. 14. ab infra lin. 2. ficte lege fictio
pag. 47. ab infra lin. 15. aſtra lege atra
ibid. ab infra lin. 3. captum lege Captum
pag. 58. lin. 4. factum lege fatum
pag. 79. lin. 19. creatur lege cieatur
pag. 121. lin. 14. nobiles lege mobiles
pag. 133. lin. 17. inſeparabiles lege ſeparabiles
ibid. lin. 18. mortales lege immortales
ibid. lin. 19. pendent lege pendeat
ibid. lin. 32. conceditur lege concedit
pag. 134. lin. 3. ſupplicamus lege ſupleamus
pag. 136. lin. 19. animus lege animis
ibid. lin. 21. proprium lege præmium
pag. 142. lin. 12. Archite lege Anchiſis
pag. 149. lin. 16. uolo lege nolo
ibid. lin. 25. edula lege aula
pag. 165. ab infra lin. 4. caracteti tatio lege caracterizatio
pag. 205. lin. 16. obijcienda lege abijcienda
pag. 216. lin. 9. magis lege nugis
pag. 239. lin. 22. vſcibile lege vſibile
pag. 240. ab infra lin. 5. allata lege ablata
pag. 244. lin. 9. ſupra lege quinta
pag. 247. lin. 18. miſeris lege miteris
pag. 269. lin. 3. vacinatores lege vaticinatores
pag. 274. ab infra lin. 13. et lege eſt
ibid. ab infra lin. 19. exiſtentia lege exiſtentias
pag. 285. lin. 15. quaſi lege quarti
pag. 289. lin. 13. principium lege Principum
pag. 295. lin. 9. Dei non lege Dei apertè non
ibid. lin. 12. faciebat lege fauebat
pag. 304. ab infra lin. 8. principium lege Principum
ibid. principium lege Principum

Digitized by Google

R. P. F.
PHILIPPI FABRI
FAVENTINI
ORD. MIN. CONVENT. ETC.
Aduerſus impios Atheos.

An Deus, Angeli, & Dæmones dentur; aduerſus Atheiſtas. Diſputatio Prima.

Rationes pro Atheiſtis. Caput Primum.

DO peruenimus, vt quàm maximè neceſſarium ſit, impia, & ſacrilega Atheorum deliramenta inuadere. Etſi enim acerrimè etiam ab initio ortus ſui ſectam hanc; quotquot fuerunt ſapientes, immo & legum conditores, & terrenæ poteſtates extinguere, & penitus eliminare ſategerint, vt adhuc apud inferos miſer Protagoras abderites ob hanc blaſphemiam damnatus capite ab Athenienſibus, teſtis eſſe poteſt: Nihilominus his temporibus poſtquam Nouatores hæretici liberum ſibi eſſe putauerũt, legem diuinam, & humanam peruertere; cultum verum Dei, & Religionem catholicam conuellere, & totam Chriſti Domini vineam conſpurcare, aſſurgere videtur. Tanta enim opinionum diuerſitate homines confuſi: Eò tandem præcipitant, vt nullum eſſe Deum; nullam præter hanc, quam hoc mundo ſentiunt homines fęlicitatem; nullum eſſe infernum; nullos dæmones, qui vt miniſtri diuinæ iuſtitiæ ſcelera improborum poſt hanc vitam puniant; Animam rationalem eſſe corpoream, & animalem, & mortalem; Demum quidquid de Religione dicitur, & ſtatuitur, eſſe figmentum ad terrendum homines ignauos, vt à ſceleribus cohibeantur: reuera tamen nil aliud eſſe ſolidum, niſi illud Epicuri, ede, bibe, lude poſt mortẽ nulla voluptas, putent. Olim apud Gentiles, quibus lumen Euangelij nondum luxerat, potuerunt Poetarum, & Philoſophorum fabulę, & commenta de Dijs ſuſpicionem aliquam ingerere. At ijs, qui lumine Euangelij illuſtrati veram Dei viui doctrinam agnoſcunt, territamenta nugum minime officiunt: ſed & præter Euangelium, ipſa opera Dei loquuntur, & cœli enarrant gloriam Dei. Vnde iure Apoſtolus Paulus ad Rom. 1. clamat *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur ſempi-*

Occaſio irruẽdi in Atheiſmum.

Rom. 1. *Paulus reprehẽdit Philoſophos.*

A *terna*

Digitized by Google

terna eius quoque virtus, & diuinitas; & reprehendit Philoſophorum gentium vecordiam, & impietatem, atque eos ineſcuſabiles eſſe ait, quia Deum ipſum ex creaturis coacti cognouerunt, & tamē vt Deum non glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor eorum inſipiens. Si autem Gentiles ante illuſtrationem Euangelij errantes in Dei cognitione inexcuſabiles iudicio Apoſtoli ſunt, quanto magis ij punibiles erunt in ſtricto Dei iudicio, qui veritate inſpecta, & in Euangelio, & in creaturis ipſis magis impiè ab eius vero cultu declinauerunt in vanas eorum adinuentiones! Nos ergo, qui in hoc opere relicta diuina reuelatione (quæ per ſe, quàm ſufficientiſſimam eſſe, ſatis ſuperque patet) de rebus ſecundum lumen naturæ ex rebus ipſis philoſophamur, quàm vana, immò quàm ſtolida ſit hæc Atheiſtarum impietas oſtendamus.

Efficacia rationū pro veritate.

2 Quamuis autem difficillimum ſit in quacunque aſſertione probanda demonſtrationibus vti, & à priori illam oſtendere; Vnde Ariſt. ipſe, qui inſtrumentum illud tàm copioſè conſtruxit in ſuis placitis comprobandis, vix aliquando eo vſus eſt, ſed ex probabilibus vt plurimum procedit; Nos tamen in hac materia adeo cogentibus rationibus vtemur, vt nonniſi mentis non compos, & inſipiens, vt ſacræ litteræ teſtantur (*dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*) hanc euidentem veritatem negare poſſit.

Hæc materia ad duo capita reducitur.

3 Et quoniam tota hæc materia ad duo capita principalia reduci videtur, quorum primum eſt, An Deus exiſtat in rerum natura, accipiendo Deum propriè pro ſubſtantia incorporea, immortali, beatiſſima, & prima cauſa omnium rerum, & à qua omnia gubernentur; & An dentur aliæ ſubſtantiæ abſtractæ, & ſeiunctæ à materia, quæ quoque ſint immateriales, & æternę, quas ſpiritus, ſeu Angelos, & Dęmones vocamus, & ſecundum eſt. An Anima humana rationalis, ſit ęterna, & immortalis ordinata ad ſummam beatitudinem, & æternam, de vtroque agemus. Qui enim Animā rationalē mortalē eſſe tenēt, laborant quantum poſſunt omnem ſubſtantiam immaterialem ſuperiorem natura corporea è medio tollere, vt hinc, inde inferant vanum eſſe ſtatuere animam rationalem viuere poſt corpus; & ſic verum Deum, & veros ſpiritus, & ſubſtantias ſeparatas negant; & Animæ rationalis immortalitatem nec olfacere volunt. Et licèt vi coacti aliqui illorum fateantur Motores cœlorum eſſe immateriales, & immortales; tamen nomine, & re primū Motorem eſſe Deū, & alios ſubſtantias ſeparatas eſſe ſpiritus liberos, & noſtris animabus nobiliores negāt. Vtrūque aūt validiſſimis rationibus eſt comprobandū à nobis, vt perſpecta veritate miſeri ad cor redeāt; & omnes immortalitati incūbant. Ne vltimò vanis ſuaſionibus decepti illud Orphei in hymno ad Titanes experiātur.

Exhor-

Digitized by Google

Exhorrentque tuum rapidum, durumque flagellum.
Dæmones humani hoſtes, atque feri, atque maligni,
Qui noſtris animis vacuis infanda miniſtrant,
Vt ſuper diram vitam cum crimine ducant
Corpore peccantes, ſemper vincliſque retenti,
Excidat vt nobis ſummi fulgor Patris aula,
Sed tu Dux animorum.

4 Quantum ad primum; adducemus primo rationes Atheiſtarum, deinde rationes contra ipſos, & demum eorum rationes diſſoluemus. *Ordo diſput.*

Variæ rationes adducuntur à diuerſis, vt eſt videre apud Plutarchum in opuſculo de placitis Philoſophorum; ſed vberius apud Ciceronem lib. de natura Deorum, vbi introducit Cottam diſputantem aduerſus Epicurum, qui conceſſit quidem eſſe Deum, imò gloriatur fuiſſe primum qui aperte Deum eſſe ſcripſerit (quamuis notio de Deo hominibus ſit à natura inſita) ſed nullam curam habere de mundo; ſuſius apud Sextum Empiricum aduerſus Mathematicos. Ego quaſdam, quæ euidentiores eſſe videntur aducam. *Rationes pro Atheiſtis.*

5 Prima ratio quam omnes huius ſectę ſequaces adducũt, & exagerant eſt. Opinionem, quod Deus, vel Dij, ſiue Dęmones, & Numina ſupra naturam corporalem ſint, eſſe inuentum hominum. Inquiunt enim, quod Deorum notio ſemper ſuit ignota, donec ij qui primi præfuerunt hominibus, conſiderantes quantum humanæ vitæ conferret, finxerunt hanc quam habemus de Dijs opinionem. Cum enim olim eſſet vita aggreſtis, & fera immoderata, & nullo ordine procedens, fortiores debilibus iniuriam inferrebant, iuxta illud Orphei. 1. Ratio.

Victum cum ipſi homines ex eſa carne pararent
Atque ex debilibus fortes connuinia inirent

volentes iniuriam facientes reprimere, primum quidem leges tulerunt, vt ij punirentur, qui manifeſtè iniuriam facerent; poſtea autem Deos finxerunt, qui inſpicerent, quæcunque ab hominibus ſceleratè, aut non ex virtute geruntur, & ea punirent, vt ne clanculum quidem auderent facere iniuriam; cùm perſuaſum haberent quod

Dij totam terram per vadunt aere amitti.
Cernentes quid prauè recteuè geratur.

Cum ergo opinio, quod Deus, & Dij ſint, inuentum ſit hominum, ſequitur, nullam veram exiſtentiam habere.

6 Euhemerus dictus Atheon adiunxit, quod cum prius vita hominum eſſet inſolens, & incompoſita, qui cæteros ſuperabant viribus, & prudentia, adeò vt ex eorum iuſſis omnes viuerent, ſibipſis affinxerunt quandam excellentem, & diuinam potentiam ex qua, à multis Dij ſunt exiſtimati.

Digitized by Google

7 Prętcrea nullum eſſe verum Deum probabat Prodicus Chius,eò quia dicebat,à veteribus illis(quęcũque proſunt vitæ humanæ noſtræ) Deos exiſtimatos fuiſſe, vt ſolem, lunam,flumina,fontes, & quæcunque ſimilia, propter vtilitatem quam nobis afferunt; & hac de cauſa Ægiptios Nilum pro Deo; coluiſſe & eadem ratione, panem exiſtimatum eſſe Cererem; Vinum verò Bacchum; Aquam Neptunum; Ignem Vulcanum; atque ita vnumquodque eorum,quæ ſunt vſui.

2. Ratio. 8 Secundo principaliter ratione idem dogma aſtruere nituntur ſic arguendo. Si Deus, vel Dij ſunt, ſunt Animalia; Animal enim melius,ac præſtantius eſt non Animali; nihil autem eſt præſtantius Deo; ergo Deus eſt Animal. Adde quod Vulgus,& Poetæ,& præſtantiſſimorum Philoſophorum Caterua atteſtatur Deum eſſe Animal. Ex hoc autem ſequitur hanc conſequentiam valere; ſi ſunt Dij, ſunt Animalia; ſi ſunt autem Animalia, ſentiunt: Omne enim Animal ex participatione ſenſus intelligitur Animal; ſi autem ſentiunt amarore afficiuntur, & dulcedine: non enim per alium ſenſum apprehendunt ſenſibilia,& non etiam per guſtum; Neque amputare à Deo ſenſum aliquem probabile eſt; plures enim habens ſenſus homo eis melius vtitur; imò magis oportet,vt dicebat Carneades plures eis tribuere, vt poſſint plures res apprehendere, non autem quinque, vel ex eis vnum auferre. Dicendum eſt ergo, Deum habere aliquem guſtum, & per eum apprehendere quæ ſunt guſtabilia;ſed ſi per guſtum apprehendit, etiam amarore afficitur,& dulcedine: Dulcedine autem, & amarore affectus aliquibus delectatur, aliquibus vero offenditur; aliquibus autem offenſus, erit etiam capax moleſtiæ, & mutationis in deterius, quod ſi ita eſt, in ipſum quoque cadit interitus. ſi ſunt ergo Dij in eos cadit interitus. At in Dijs non poteſt cadere interitus, ergo non ſunt Dij.

9 Confirmatur diſcurrendo in vnoquoque ſenſu,vt puta in viſu ſic. Si eſt Deus eſt Animal; ſi eſt Animal totus videt; ſi autem videt, & alba videt,& nigra. Sed quoniam quidem album eſt quod diſpergit, ac digrégat viſum;nigrum autem quod congregat,ac cõfundit, Deus viſum congregat, ac confundit;ſi autem eſt capax confuſionis, & diſcretionis, eſt etiam capax interitus. In Deum autem non cadit interitus,ergo Deus non eſt.

10 Confirmatur; quia fieri non poteſt quin, qui per ſenſum aliquid apprehendit, non alteretur; ſi ergo Deus ſentit, alteratur, quod eſt capax alterationis mutatur;quod ſi hoc eſt, etiam in illum cadit interitus,ergo non eſt Deus.

3. Ratio. 11 Tertio.Si eſt Deus,certè oĩno eſt Animal; vt ſupra dicebamus. Si autem eſt Animal,eſt Animal omnino,& omni virtute præditũ, felix, & bea-

& beatum. At beatitudo ſine virtute conſiſtere non poteſt; ſi autem eſt virtute prædítus omnes etiam habet virtutes;ſed non habet omnes virtutes, neque enim habet continentiam & fortitudinem; quia non ſunt aliqua à quibus difficulter ſe continere, & abſtinere poſſit: Eſt enim continentia virtus,quæ nos ſuperiores redit ijs quæ videntur eſſe eiuſmodi, vt difficulter ab ijs abſtinere poſſimus. Fortitudo verò eſt virtus,quæ nos ſuperiores reddit ijs, quæ ſuperatu difficilia videntur. Si ergo hæ virtutes ſunt in Deo, in Deo erunt quædam, quæ à Deo difficulter poterunt tollerari, & à quibus difficulter ſe abſtinebit. Nam ſi non erunt non habebit has virtutes,nempè continentiam,fortitudinem,ac tollerantiam. Si autem has virtutes non habet,quoniam inter virtutem, & vitiū nihil intercedit, habebit vitia, quæ virtutibus aduerſantur;quod quidē dici in Deo eſt abſurdum,ergo Deus non eſt.

Accedit quod ſi Deus eſt omni virtute prēditus, habet etiam magni,& excelſi animi virtutem ſeu fortitudinem. Et ſi ita eſt, eſt Deo aliquid graue, & difficile. Neque enim quiſpiam eſt vir fortis, magnique & excelſi animi,quod ſciat quæ ſunt proximo difficilia,ſed quę ſibi. Quare cum ſit Deus magni, & excelſi animi, eſt ei aliquid graue, & difficile. Quod ſi ita eſt, eſt aliquid quod Deo afferat moleſtiam; quod ſi hoc eſt, eſt etiam aliquid quod afferat interitum; quò ſit, vt ſi eſt Deus,in eum cadat interitus; In Deo autem non cadit interitus,ergo non eſt Deus.

12 Quarto. Si in Deo ſunt omnes virtutes, etiam in Deo eſt prudentia, ſi autem prudentia; habet quoque ſcientiam bonorum, malorum,& indifferentium. Si autem hoc, ergo habet etiam ſcientiam laboris:quia labor inter indifferentia computatur. Si autem hoc,neceſſe eſt, quod ipſe in laborem quoque inciderit, quoniam ſi non incidiſſet non haberet eius notionem. Sicut enim qui nunquam incidit in colorem album, vel nigrum,vt cecus à natiuitate, non poteſt coloris habere conceptionem; ita ſi Deus non incidit in laborem non poteſt eius in mente habere notionem. Et quidem ſi nos qui aliquando in dolorem podagræ incidimus, non poſſumus apertè cognoſcere proprietatem doloris eius, neque aliquibus eum referentibus nobis conijcere;neque ab eis qui perpeſſi ſunt cōgruenter audire,propterea quod, alij aliter cum interpretantur,& alijs aſſerentibus ſimilem eſſe tornomi,ideſt dolori inteſtinorum; alijs autem fractioni; alijs autem punctioni;ex quo ſit Deum,qui certè in nullum laborem, nec dolorem incidit de dolore,& labore non poſſe habere ſcientiam. At reſpondebit aliquis. Deum quidem in laborem non incidere, at incidere in voluptatem;& ex illa doloris,& laboris habere notitiam. Verum hanc reſponſionem ſtultam eſſe proclamant nec omnino, fieri poſſe, vt quis

4. Ratio.

Tacita reſponſio.

Refellitur.

notionem doloris, & laboris habeat, niſi vtrumque ſit expertus. Voluptatis enim natura aiunt ex ablatione cuiuslibet, quod dolorem offert conſtat: non expertus ergo dolorem & laborem, voluptatem ſentire nequit.

5. Ratio. 13 Præterea ſi Deus virtute cuius eſt præditus, & habet prudentiam, habet etiam conſilij capiendi virtutem, quandoquidem virtus capiendi conſilij eſt prudentia in conſultationibus; ſi autem habet virtutem capiendi conſilium, cum conſilium verſetur in aliquo incerto, aliquid Dei incertum erit. At nihil eſt Deo incertum, ſicut nihil quod ei in infinitate interitum afferrat, ergo virtus capiendi conſilium in Deo non eſt: non eſt ergo Deus, quia non omni virtute præditus.

6. Ratio. 14 Præterea ſi eſt Deus, aut habet virtutem, aut non habet; & ſi quidem non habet, Deus eſt malus, & Cacodemon; quod quidem eſt abſurdum. Si autem habet erit Deo aliquid melius, & præſtantius. Nam ſicuti virtus eſt equo ipſo melior, & præſtantior, & hominis virtus eſt melior, & præſtantior eo qui ipſam habet; eodem modo Dei virtus erit ipſo quoque Deo melior, ac præſtantior. Si autem eſt Deo melior, ac præſtantior, Deus ipſe ſine virtute mancus erit, & male habebit, & ſi hoc eſt in eum cadet interitus.

7. Ratio. 15 Præterea ſeptimo principaliter. Si eſt Deus, vel eſt finitus, vel infinitus. At infinitus eſſe nō poteſt, eſſet enim immobilis, & inanimis. Eſſet immobilis, quia quod mouetur, mouetur de loco ad locum, quod autem mouetur de loco ad locum eſt in loco, quod autem eſt in loco finitum eſt, ergo ſi eſt Deus, & infinitus, eſt immobilis. Eſſet etiam inanimis; nam animatum mouetur ab anima à medijs ad fines, & à finibus ad media. At in infinito nullum eſt medium nec finis, quare nec infinitum eſt animatum, ſi ergo Deus eſt infinitus, neque mouetur, neque eſt animatus. Neque eſt finitus Deus, etenim finitum eſt pars infiniti; At totum eſt melius parte, ergo infinitum erit melius, & præſtantius Deo, & in diuinam naturam obtinebit dominatum. Abſurdum eſt autem dicere eſſe aliquid melius, & præſtantius Deo, ergo Deus non eſt finitus: ſed neque eſt infinitus, nec finitus, quia præter hæc non poteſt tertium intelligi, ergo nihil erit Deus.

8. Ratio. 16 Octauo. Si eſt Deus, vel eſt corpus, vel eſt res incorporea. At non eſt res incorporea: quoniam res incorporea erit inanimis, & inſenſibilis, & quæ nihil agere valebit. Neque eſt corpus, quoniam omne corpus eſt mutabile; in id autem cadit interitus; in Deo autem non cadit interitus, ergo non eſt Deus.

9. Ratio. Præterea inter contraria, & ſibi aduerſantia non eſt medium; Deus autem in neutrum eorum quæ ſibi aduerſantur incidere cernitur, ergo Deus non eſt.

17 Præterea ſi Deus eſt, aut eſt vocalis, aut mutus; & Deum quidem dicere eſſe mutum, eſt planè abſurdum, & repugnans communibus notionibus; ſi autem eſt vocalis, voce vtitur, & habet inſtrumenta vocalia, nempè pulmonem, & aſperam arteriam, & os, & linguam; hoc autem eſt abſurdum, & non procul recedens à fabulis Epicuri, qui Deo effigiem hominis, & partes omnes humani corporis affixit, aſſerens tamen, non eſſe vere corpus; ſed quaſi corpus, & partes corporis, vt ſanguinem pulmonem &c. non eſſe vere ſangninem, nec vere oſſa, ſed quaſi ſanguinem, & quaſi oſſa: Contra quem Cotta lib. 1. de natura Deorum apud Ciceronem inuehitur dicens ſe poſſe intelligere quid ſit corpus, quid ſit ſanguis. At quid ſit quaſi corpus, quid quaſi ſanguis, qualia dicebat Epicurus eſſe corpus & ſanguis, &c. Dei non intelligere. 10. Ratio. Cotta apud Ciceronem.

18 Præterea Carneades quod Deus non ſit, ſic probabat. Si Iuppiter eſt Deus, Neptunus quoque eſt Deus, cum ſit eius pater, ſi autem Neptunus eſt Deus, Achelous quoque eſt Deus; ſi autem Achelous, & Nilus; ſi Nilus, & quilibet fluuius, riui quoque erunt Dij; ſi riui, etiam torrentes. Non ſunt autẽ riui Dij nec Iuppiter, ergo Deus eſt. Si autẽ eſſent Dij, Iuppiter quoque eſſet Deus; non ſunt ergo Dij, &c. 11. Ratio.

Adhæc. Si ſol eſſet Deus, dies quoque eſſet Deus: dies enim non eſt aliud niſi ſol ſuper terram; ſi autem dies eſt Deus, menſis quoque eſt Deus: menſis enim conſtat ex diebus; Si autem menſis eſt Deus, annus quoque eſt Deus: Annus enim conſtat ex menſibus; ſed hoc non eſt, ergo neque quod primò eſt aſſumptum, ſol eſt Deus.

Adhæc. Si Venerem dicimus Deam, erit etiam amor, ſeu Cupido, cum ſit Veneris filius Deus; ſed ſi amor eſt Deus, miſericordia quoque erit Dea: ſunt enim ambo animi affectiones, & apud Athenienſes ſunt quædam aræ miſericordiæ; ſi autem miſericordia eſt Dea, & timor erit Deus aſpectu deformiſſimus; ſi autem timor eſt Dias, ergo & reliquæ corporis affectiones, & perturbationes. Non ſunt autem hæc; nec Venus ergo eſt Dea; ſi autem eſſent Dij, Venus quoque eſſet Dea. Adhæc ſi Ceres eſt Dea, terra quoque eſt Dea: Ceres enim inquiunt eſt terra, ſi terra eſt Dea, ergo, & montes, & promontoria, & quiuis lapis eſt Deus; non eſt autem hoc, ergo nec quod primo loco poſitum eſt.

19 Præterea quæ apud Theologos antiquos reperiuntur de Dijs, plena ſunt omni impietate. Vnde Xenophontes reijciens Homerum, & Eſſiodum dixit. 12. Ratio.

Probri & dedecoris quidquid mortalibus vſquam eſt
Id totum Antiqui Dijs attribuere Poetæ
Furtum, & adulterium inter ſe, & fallere ſe ipſos.

Cum ergo hæc fabuloſa ſint, & minime decentia Dijs, concludebant aſſerendum eſſe, nequaquam Deum, vel Deos dari.

His autem rationibus, nedum Deum, verum non dari concludebant, ſed nec Dæmones, nec Angelos, nec aliud numen ſuper rem corporalem dari aſſerebant; quia Angeli, & Dæmones ab Antiquis pro Dijs habebantur.

Rationes quibus Antiqui Deum, & Deos eſſe ſuſtinebant contra Atheiſtas defenduntur. Caput Secundum.

20 EX altera parte omnes ſectæ Philoſophorum conſtanter in vnum conuenerunt Deum, & Deos ſeu alia numina inferiora eſſe; ideo rationes antiquorum prius adducemus, deinde rationes ſtabiliores is lumine naturæ docentes, afferremus ad hanc tam neceſſariam veritatem comprobandam. Quod enim lumine naturæ, hæc veritas oſtendi poſſit, diximus haberi ab Apoſtolo ad Romanos cap. 1. vbi Philoſophos antiquos reprehendit, quod cum Deum cognouerint per creaturas viſibiles, illum non vt Deum glorificauerint, ſed euanuerint in cogitationibus ſuis, Idola ſequentes.

Quattuor vijs antiqui Deũ eſſe probabant.

21 Quattuor autem vijs antiqui procedebant, ad propoſitum oſtendendum. Primo ex conſenſu omnium hominum. Secundo ex ordine, & diſtributione partium vniuerſi. Tertio ex abſurdis quæ conſequuntur ad eos, qui negant Deum dari. Quarto ex ſolutione rationum ab Aduerſarijs adductarum.

1. Ratio, & 1. via.

Ex prima via ſic arguunt. Omnes homines, tam Græci, quàm Barbari Deum eſſe exiſtimant. Vnde communi conſenſu ſacrificant Deo, vel Dijs vota concipiunt, atque Dijs templa conſecrant. Et licet alij aliter hæc faciant, omnes tamen faciunt; Et licet de eius natura, & quidditate, ſeu quid ſit non conueniant: tamen quod aliquid ſit, quod ſit Deus, ſentiunt. Clarum eſt igitur ipſis perſuaſum eſſe, Deum eſſe aliquid, & in rerum natura exiſtens. At communis hic conſenſus, & notio non poteſt eſſe falſa opinio, & commentum hominum, quia falſæ opiniones, & commenta hominum citò euaneſcunt; & quæ inuenta ſunt non multum permanent, ſed excidunt ſimul cum illis, quorum cauſa adinuenta erant & conſeruabantur.

Cum ergo notio, quod Deus ſit, ſit ab æterno, & permaneat in eternum, dicendum eſt Deum eſſe.

Obiectio Cottæ apud Cicer.

22 Quod ſi quis cum Cotta apud Ciceronem lib. 1. de nat. Deorum interroget. Vnde quis ſcire poſſit hanc notionem Deum eſſe certam apud omnes nationes ſemper fuiſſe, cum nemo ſit qui omnes nationes, etiam efferatus luſtrare potuerit, & inſuper conſtet Diagoram,

& Athei-

Digitized by Google

& Atheiſtas ſupra enumeratos, hanc notionem negaſſe. Reſpondemus hanc obiectionem friuolam eſſe. Et quidem, quod hæc notio fuerit ſemper apud omnes gentes ex hoc confirmatur; quia animis ipſis hominum eſt inſerta, & cùm illis innaſcitur, neque apparent qui fuerint primi, qui inuenerint hanc notionem Deum eſſe, ſed ſolum reperitur qui fuerint primi, qui hanc notionem Deum eſſe negauerint ex propria mente, & conſilio, & forſan ex aliquo accidente obnoxio, vt fertur eueniſſe ipſi Diagore Mio. Qui poeſim ſuam ita inchoauit *à Dęmone, & fortuna fiunt omnia.* Sed cum iniuria affectus fuiſſet à quodam qui peierauerat & nihil paſſus fuerat, eò deductus eſt, vt diceret, non eſſe Deum. Ad cognoſcendum autem hanc notionem eſſe apud omnes gentes, non ſunt peragrandæ regiones omnes, ſicut neque ad ſciendum Barbaros & ſcitas efferatas gentes eſſe; ſed ſufficit fama communi omnium hominum conſenſu comprobata. Ridicula, ergo eſt interrogatio Cottæ. *Solutio.* *Diogenes cur negauit Deũ eſſe.*

23 Quare appoſitè Velleius apud eundem Ciceronem lib. 2. de nat. Deorum hanc Cottæ cauillationem illis verbis refutauit. *Quid enim poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cum Cęlum ſuſpeximus, Cęleſtiaque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis quo hæc regantur? Quod ni ita eſſet, qui potuiſſet aſſenſu omnium dicere Ennius. Aſpice hoc ſublime candens, quem vocant omnes Iouem; illum vero, & Iouem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem. Et vt idem Ennius ait. Patrem diuumque hominumque, & præſtantem, atque præpotentem Deum. Quod qui dubitat; haud ſane intelligo, cur non idem ſol ſit; an nullus ſit dubitare poſſit. Quid enim eſt hoc illo euidentius? Quod niſi cognitum apprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum ſęculis ætatibuſque hominum inueterare potuiſſet. Etenim videmus cęteras opiniones fictas diuturnitate extabuiſſe.*

24 Cum autem aiunt eos qui primitus regnare cœperunt finxiſſe hanc opinionem de Dijs, noſcentes illam valdè conferre ad continendum homines in rectitudine, vnde quæſo potuiſſent illi imaginari hanc opinionem quod dentur Numen, vel Numina quædam æterna, quæ rebus humanis proſpicerent, & bona premio, & mala pœna debita afficiant niſi hęc inſita à natura illis eſſet notio? Sed, & quomodo homines omnes illis hanc fictionem credere potuiſſent, niſi ipſi in ſeipſis eandem agnoſcerent notionem? Numen ſupremum quoddam eſſe, quod mortalibus his rebus conſuleret? Ecquidem fictio, quod Hippocentauri vel Chimera exiſtat, vel extiterint, nunquam quis ſeriò exiſtimaſſe compertum eſt; cum vulgò ſit in prouerbio, quicquid non creditur Chimeram vocari. Non ergo auctoritas hominum, niſi vel in-

ternum

Digitized by Google

ternum lumen & ratio ipſa ſuadeat credibilia ſuadet **hominibus**. **Qua**re pluſquàm ridiculum eſt, quod notio, quod Deus ſit, figmentum hominum exiſtat. *Opinionum enim comenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.*

25 Accedit quod qui primi rebus aliquibus diuinitatem attribuerunt, & Deos dixerũt, & vt Deos venerati ſunt, ad id inducti fuerunt, quod viderent illam generi humano admodum beneficia, ergo iam interna mente conceperant Deum eſſe rem quandam optimam & bonorum largitorem, & gubernatorem omnium. Vnde Diodorus Siculus de prima hominum cognitione diſſerens lib. 1. de geſtis fabuloſis Antiquorum inquit. *Aegiptios ferunt primos omnium oculos cum in Cælum ſuſtuliſſent, motum, ordinem, & quantitates cæleſtium corporum admiratas ſolem, & lunam Deos putaſſe, ac ſolem quidem Oſirim lunam Irim nuncupaſſe à proprietate quadam inditis ſibi nominibus. Nam ſi quis ad Latinam inquam verba transferat multi oculus Oſiris dici poteſt, neque id ab re: radios enim ſuos quaſi multos rebus immittit oculos, quibus omnia perſpicit, vt etiam Poeta dicit. Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras &c. & Plato in Cracillo ſic ſcribit ad verbum. Videntur mihi primi Græcorum, eos ſolummodò Deos putaſſe, quos etiam nunc ex Barbaris colunt ſolem, videlicet, atque lunam Tellurem ſtellas, ac Cælum. Nam cum ipſa cernerent Thein hoc eſt ſemper currere, ſemper atque reuolui, ab hac ipſius Thein nato Deos appellarunt.* Eos ergo dixerunt primi Deos quos terreſtria, & cœleſtia mouere & regere videbant, ergo innata erat notio quoddam eſſe ens præſtantiſſimum quod omnia regit; licet quod nam illud ſit, noſcere non valerent. Hoc autem eſt Deus. Non ergo fictio eſt Deum eſſe, ſed certiſſima notio cuicumque inſerta à natura, & ab ipſo Deo.

Diodorus Siculus de prima hominum cognitione.

Cõfirmatio ex Cicer.

26 Atque hoc tandem verbis Ciceronis in prima Tuſculanorum concludamus. *Vt porrò firmiſſimum hoc afferri videtur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla gens, tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Dijs praua ſentiunt (id enim vitioſo more effici ſolet) omnes tamen eſſe vim, & naturam diuinam arbitrantur nec verò id collocutio hominum aut conſenſus efficit, non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus; omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturę putanda eſt.*

2. Ratio.

27 Secundo illa notio pro vera eſt habenda, quæ non imperitorum hominum ſed illuſtrium, & præclarium vnanimi conſenſu vt vera habetur; huiuſmodi autem eſt notio de Deo. Hoc autem eſſe conſpicuum patet legenti, tam Poetas (qui Antiquorum Theologi erant & res diuinas verſibus explicabant) & præſertim Poeticam Homeri in qua nihil magnum nec præclarum effertur, in quo non ſit Deus, à quo depen-

dependet rerum,quę fiunt ius,& poteſtas;tam phiſicos:mirifice enim conſonant, quæ ſcripſerunt. Cum enim notionem, & maximam illam haberent innatam animo; vnum debere eſſe principium, à quo cuncta emanant,& regantur,licet quod nam ſit illud inconciliabiliter differant,& varij varia principia mundi eſſe putauerint;tamen vnanimes ſemper omnino fuerunt aliquod eſſe principium immortale, atque optimum,a quo in alias res bonitas proueniat.

28 Hinc Aegiptij,qui primi de rebus diuinis,et humanis vt ſupra diximus ſcribere cęperunt, illa quæ viderunt aliquam opem rebus his mortalibus afferre,Deum vocauerunt. Hinc ſolem lunam,ſtellas,animãtia,herbas,& alia id genus vt Deos coluerũt,quia ex eo quod innatum habebant Deum eſſe ens, & bonum, & principium omnium bonorũ quidquid boni afferre videbant, Deum nũcuſabant & credebãt. Aegiptij. Græci ad quos ſapientia & literaria ſtudia ab Aegitijs tranſiuerunt, idipſum vnanimes, licet in alijs quam maximè diſſentirent, aſſeruerunt. Græci. Audiamus Plutarchum qui probe nouit ſententias veterum Philoſophorum,quid dicat. Hic in lib. 1. de placitis Philoſophorum cap.7.inter alias adducens opinionem Platonis inquit. *Plato etiam vocalis ille,cum diceret Deum ſe ipſo vſum exemplari condidiſſe mundum, nenias redolet priſcæ antiquitatis abſoletas*; Plutarchus. Plato. ergo ex teſtimonio Plutarchi antiquitas putauit Deum eſſe,atque ipſum condidiſſe mundum,atque eiuſdem fuit ſententiæ Plato, quem licet impiè dicat nenias redolere priſce antiquitatis, non efficit tamen illam antiquitatis priſcæ nõ fuiſſe opinionem, cui magis credendum eſt, quam nenijs & ratiunculis, quas deinde contra hanc opinionem Platonis, & Anaxagore, & antiquitatis, de emanatione mundi à Deo ibidem Plutarchus ipſe conficit,quas in diſputatione de mundi eternitate diluemus. Apertius eandem veritatem manifeſtant verba, quæ ſubnectit deinde ibidem Plutarchus. Anaxagoras dixit initio conſtitiſſe corpora,Dei autem mentem ea digeſſiſſe, itaque omnium ortus effeciſſe. Plato poſuit prima corpora non ſtetiſſe, ſed abſque ordine fuiſſe mota. Deus autem inquit,ordinem animaduertens confuſioni præſtare ea compoſuit; Quid clarius? Dum ſubiungit. *Communis amborum hic error,quod Deum faciunt res humanas curantem*. *Plutarchus impiè reprehendit Platonem, Anaxagoram & priſcos Antiquiores.* Non illorum eſt error, ſed bene Plutarchi,vt Epicuri ſententia eſt,& error,quem vbi ſupra reiecimus.

Sed vlterius audiamus alios Philoſophos, quàm apertè Deum aſſeruerint. Sequitur ibidem Plutarchus. *Thales mentem mundi ſtatuit Deum Anaximander ſtellas cæleſtes Deos*. Democritus Deum in igne globoſo mundi animam (& ſecundum alios ſimulacra benefica, & malefica immortalia, hominibus futura ſignificantia, & adiuuantia,& nocentia.) Pitagoras de principijs vnitatem Deum, ac bonum,

quæ

quæ ſit vnius natura, ipſa mens; infinitam autem binarij naturam, genium & malum, vnde eſt multitudo materiæ, & viſui expoſitus mundus. Socrates,& Plato. Vnum ſingularis, & per ſe ſubſiſtentis naturæ,ac ſolitarium reuera bonum,omnia autem hęc nomina ad mentem referuntur. Mens ergo eſt Deus,ſpecies, ſeu forma ſeparata, ſincera ab omni admixtione materiæ, & paſſionibus obnoxia. Ariſtot. ſupremum Deum ait eſſe ſpeciem,ſeu formam ſeparatam, quæ inſiſtat globo vniuerſi, qui globus eſt corpus ethereum quintum ab eo nuncupatum. Stoici dicunt Deum eſſe mundum,ſtellas, terram, ſupremum autem omnium Deorum eſſe mentem quæ eſt in ethere.

Epicurus quid de Deo.

Epicurus demum qui minus videri poſſet Deum nouiſſe cum voluptatibus & libidinibus ceu ſus inuolutus videatur. Illud de Deo preclarè dixit, vt eſt videre apud Ciceronem lib. 1. de nat. Deorum cum non inſtituto aliquo, aut more, aut lege opinio ſit conſtituta de Deo, maneatque ad vnum omnium firma conſenſio intelligi neceſſe eſt eſſe Deos. Atque cum eius naturam inueſtigaret dixit: hanc anticipatam notionem de Dijs in nobis eſſe inſertam,vt eas beatas, & eternas haberemus, licet miſer ex hoc deinde deduxerit, quod eternum beatumque ſit id,non habere negotij quidquam,nec exhibere alteri: propter quod Deo prouidentiam mundi ineptè abſtulit,& quærens deinde pulchritudinem ipſius Dei, & beatitudinem eius, figuram humanam ei adaptauit,vt quæ inter omnes ſpecies,quæ nobis apparent pulcherrior ſit & ſine qua nulla poſſit eſſe virtus, nec felicitas. Beatus enim,dicebat,nemo poteſt eſſe ſine virtute,nec virtus ſine ratione conſtare, nec ratio nuſquam in eſſe, niſi in hominis figura, quare hominis eſſe ſpecies Deos confitendum eſſe. Quod extremum dictum totam ſuam opinionem expurcauit, cum figuram humanam Dijs affinxerit, vt delicatis,& obſcenis voluptatibus, quas quidem omnes nominatim proſequi non erubeſcit,beatos faceret; nullam,niſi profectam à corpore,& redeuntem ad corpus animi voluptatem noſcens.

Ariſtoteles.

30 Cæterũ præ omnibus ſit auctoritas Ariſt. qui clarius quã viderit Plutarchus hanc veritatem docuit,dum in hoc 12. Met. tex. 41. concludit ex diſp. anteacta. *Quod quidem igitur eſt ſubſtantia alia ſempiterna & immobilis ſeparata à ſenſibilibus manifeſtum eſt ex dictis*, & tex. ſequenti quęrere incipit. *Vtrum autem vnam ponendum eſt talem ſubſtantiam aut plures, & quot oportet non latere*. Et diſcuſſis aliorum opinionibus tex. 50. inquit ſubſtantias illas ſeparatas eſſe Deos & illos Deos, quos antiquitas venerata eſt,quibus poſtea aliqua fabuloſa addiderunt ad vulgi,& hominum mores componendos, verbis illis, *Tradita ſunt autem à ſenioribus, & antiquis in fabulæ figura dimiſſa poſterioribus, quia Dij ſunt hi: & continet diuinam naturam vniuerſalem*. Quod autem

nullam

nullam aliam ſubſtantiam, & ſpiritum abſtractum à ſenſibilibus niſi mouentes orbes non admittat, eſt miſerandum; quia, & ipſe fatetur hoc eodem 12. perſcrutationem hanc fortioribus ſe ipſo dimitendam eſſe; & ratio quidem, quam pro ſe adducit eſt leuiſſima; ſed de hoc infra. Id nobis ſufficiat pro nunc præter ſubſtantiam hanc corpoream ſenſibilem, & mortalem, quam ſolam Atheiſtæ noſcunt, dari aliam quæ eſt abiuncta à materia, inſenſibilis, & immortalis. Enumerantur innumeri alij vt Crotoniates, Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Diogenes, Apolloniates, Xenophon, Speuſipus, Xenocrates, Ponticus, Heraclides, Theophraſtus, Strato, Cleātes, Perſeus, Chriſipus, & alij, quos quilibet apud Ciceronem 1. de nat. Deorum, Diodorum, Siculum lib. 1. de antiquorum geſtis fabuloſis cap. 2. Euſebium, & alios, qui de hac veritate nullam habuerint dubitationem, ſed vt rem certiſſimam, vel ſuppoſuerunt, vel comprobauerunt ſcriptis, & cultu.

Alij Philoſophi idē ſentientes.

31 Quod ſi quis obijciat. Multos ex Philoſophis adductis Deum ſtatuiſſe herbas, vel elementa, vt ignem, vel aquam. Modo hic non eſt Deus, quē nos quærimus dari, & Atheiſtæ negant; negant enim Deum verum. Nam ſi quis (hæc vana) Deos eſſe appellari contendat, non obſtabunt. Reſpondemus nobis pro nunc ex his omnibus ſufficere, quod omnes illi conueniunt dari Deum ſeu ens vnum optimum, à quo cuncta emanant. Quod autem errauerint multi, in aſſerendo quodnam illud ſit, fatemur; atque ex eorum confutatione probabimus Deum verum dari, & quis ille ſit explicabimus.

Tacita reſpōſio diluitur.

32 Cum ergo conſueuerimus de ijs, quæ ſub aſpectum cadunt illis credere, quibus acutiſſimus viſus eſt, ita conſiderantes, de quibus contemplatur ratio non alijs debemus credere, quam ijs quibus eſt acutum ingenium, & perſpicax ratio, cuiuſmodi ſunt Philoſophi, omninò affirmandum eſt eſſe Deum.

33 At Aduerſarij obijciunt, quod etiam de ijs quæ apud inferos feruntur in fabulis habent omnes homines communem notionem, & pro ſe habent conſenſum Poetarum, & de ijs magis quàm de Dijs; At nemo dixerit vera eſſe ea quæ feruntur in fabulis, cum omnes intelligant non ſolum ea, quæ continentur in fabulis, ſed omnem fabulam in ſe continere repugnantiam. Exemplo ſint quæ protulit Homerus his carminibus.

Alia obiectio tollitur.

Nec non & Tytion terræ omnipotentis alumnum
Cernere erat per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: roſtroque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fecundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris datur vlla renatis,

Ille

Ille tamen manibus non ſe defendere tentat,
Nam Latona ab eo ſtuprum paſſa eſt Iouis vxor.

Nam ſi Tytius erat inanimis, quomodo cùm nullum haberet ſenſum ſubibat ſupplicium? Sin auem habebat animam, quomodo mortem obierat? Idipſum cernitur in alijs carminibus.

Tantalus eſt à me viſus, qui ſęua ferrebat
Tormenta in fluuio ſtans, eius qui prope mentum
Tangebat. ſitiens miſer hunc captabat, at ipſum
Prendere non poterat fugientem, nec bibere illi
Conceſſum eſt limpha, cum ſe curuaret ad hauſtum.
Nam cum captaret ſolum irrorata receſſit
Pro pedibus nigra, at terra apparebat erantque
Dęmonis arentes faces.

En repugnantiam. ſi nunquam guſtabat humorem, & alimentum quomodo permanebat, non autem interibat egeſtate, & penuria rerum neceſſariarum? Sin autem erat immortalis, quomodo manebat immortalis, cum immortalitas pugnet cum tormentis, & doloribus? Nam quidquid dolet mortale eſt, ergo fabula ſic ſui continet confutationem, & tamen quæ continet, vera eſſe, communis eſt notio hominum.

Reijcitur. 34 Verùm hæc obiectio etiam ab antiquis reijciebatur, quia concepta opinio, quod Dij ſint, non inuoluit contradictionem, neque repugnantiam. Et licet; non admodum accurate id oſtenderent Stoici, vt eſt videre apud Ciceronem lib. 2. de nat. Deorum; dicebant enim non eſſe ſuſpicandum quod animæ rationales deorſum in infernum ferrantur, cum ſeparantur à corpore ob mortem, quia cum ſint ſubtiles, & non minus igneæ quàm ſpirituales, ſua leuitate ferruntur ad loca ſuperiora, atque per ſe permanent. Neque enim (vt dicebat Epicurus) ſolutæ à corporibus diſperguntur vt fumi; quoniam non ipſæ à corporibus, ſed corpora ab ipſis in eſſe, & compoſitione dependent. Vnde cum illæ extra hoc ſolis tabernaculum, ſeu mundum fuerint, habitant locum, qui eſt ſub luna; & hinc propter aeris puritatem accipiunt maius tempus ad permanendum, & vtuntur alimento conuenienti; nempè exhalatione ex terra, vt cætera aſtra; neque habent in ijs locis contrarium quod ſit eos diſſoluturum, vnde permanent: Cum autem permaneant, dicendum eſt illas euadere eiuſdem naturæ, cuius ſunt Dæmones, & Dij. Quare cum Dæmones ſint, ipſas quoque eſſe Deos neceſſe eſt. Hæc ergo conceptio quod Dij ſint, nullam inuoluit, (dicebant) repugnantiam, quia non continet aliquid quod repugnet ijs, quæ continuo fiunt. Fabulæ ergo apud inferos fictæ, veritati quod Deus vel Dij ſint nihil obeſt.

Reſponſio Stoicorum.

Hæc

35 Hæc quidem reſponſio in eo eſt falſa, quod opinionem falſam de anima rationali continet, quod enim animæ rationales poſt ſeparationem à corpore alantur fumis ex terra eleuatis, & quod fiant Dęmones, & Dij, eſt opinio abſurda, vt infra patebit. Tamen in eo quod dicit opinionem de Dijs non includere repugnantiam, veriſſima eſt; quia hæc opinio, quod detur vnum primum ens immortale improductum, à quo cuncta emanent, & gubernentur; & quod dentur ſpiritus ſuperiores homine, qui illi inſeruiant, nullam includit repugnantiam, vt patebit ſoluendo eorum rationes, & adducendo rationes efficaciſſimas ex lumine naturali. Sed neque omnia quæ antiqui, ſiue Poetæ, ſiue Phiſici de inferno protulerunt ſunt falſa, licet ipſi multa fabuloſa admiſcuerint vt ſunt illæ fabulæ de Tantalo, & Tytio, de Cerbero cane triphauci, & ſimiles, ſed quod in inferno ſint ſpiritus damnati, qui reos puniant pro peccatis in hac vita commiſſis, nullam inuoluit repugnantiā, ſed q̄ maximè rectæ rationi congruit, vt infra magis patebit. Vnde non immerito dixit Poeta illæ Orpheus in hymno ad Titanes. *Cenſura allata reſponſionis.*

Exhorrentque tuum rapidum durumque flagellum
Dæmones humani hoſtes, atque feri, atque maligni
Qui noſtris animis vacuis infanda miniſtrant
Vt ſemper diram vitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes, ſemper vincliſque retenti.

36 Tertia ratio ſumitur ex ordine, & ornatu mundi. Vnde ſic arguunt. Eſſentia, & principium, ex quo omnia fiun, quæ eſt materia, eſt per ſe immobilis, & nulla figura prædita, neque enim poſſet continuò moueri, & diuerſimodè figurari, vt videmus contingere quotidie, ſi ipſa eſſet determinatæ formæ, & immobilis. At quando videmus aliquod pulchrum, & affabrè factum opus, deſideramus eius artificem ſcire, ergo contemplantes vniuerſorum materiam moueri eſſeque formatam, & ornatam, iure quærere debemus cauſam, quæ eam mouet, varijſque, & multiplicibus formis eam exornat. Probabile eſt autem eam non eſſe aliquid aliud, quam vim quandam, quæ ipſam peruadit quomodo per nos vadit anima. Quæ vis, vel eſt per ſe mobilis, vel ab alia mouetur; Si autem ab alia moueatur, non poterit moueri niſi altera quoque moueatur, à qua ipſa mouetur, quod eſt abſurdum. Eſt ergo dicendum quod ipſa eſt mobilis à ſe non ab alia, & quod eſt eterna, & diuina; tunc vlterius. Vel hæc vis eterna ab eterno tempore mouet, vel ab aliquo tempore cœpit mouere, non hoc ſecundum; quia nulla datur cauſa, vt ea moueatur ab aliquo tempore, ergo eſt vis eterna quæ mouet materiam, & quę eam deducit ad ortus, & mutationes. Ea itaque eſt Deus. Hæc ratio parum differt à ratione Ariſt. in 8. Phiſ. & hoc 12. Met. qua, via motus inueſtigat primum motorem, & prin- 3. Ratio.

cipem

cipem mundi, de qua infra, pro nunc illud ſit ſatis, quod licet in eo deficiat, quod facit Deum ipſum mouere in eternum motu materiali, tamen optimè probat dari vnum principium, à quo omnia pendent, qui eſt Deus. Quod luculentius ex confirmatione ſequenti habetur.

Confirmatio. 37 Confirmatur, quod hæc vis ſit Deus. Nam quod gignit id quod eſt rationis particeps, & eſt prudens; neceſſe eſt quod, & ipſum ſit rationis particeps, & prudens. At vis eterna de qua nunc ſupradictum eſt habet inſitum à natura, vt conficiat homines qui ſunt rationis, & prudentiæ participes, ergo vis illa eterna eſt rationis & prudentię particeps. At eſſe rationis particeps, & prudentię, independenter ab alio, & id tribuere alijs eſt diuinæ naturæ proprium, ergo datur Deus. Maior propoſitio eſt euidens: eſt enim intelligibile, quod vis irrationalis carens intellectu, & voluntate, poſſit producere vim intelligentem, & volentem; cum imperfectius non poſſit producere perfectius, ſed econuerſo. Minor etiam eſt euidens: quia iam videmus homines eſſe intelligentes, & volentes, & tamen naturam hanc ſuam non habent à ſe; quia tunc ſine miniſterio motuum Cęlorum natura humana poſſet conſiſtere: Sicut ergo corpus eius & vita mortalis emanat á Cęlorum motoribus, & Gubernatore mundi, ſic quoque eius intellectum & voluntatem ab eo pendere neceſſe eſt; Alioquin perfectius dependeret ab imperfeciori, & viuens vita intellectuali quæ eſt præſtantiſſima, à carente vita intellectuali, quod eſt imperfectiſſimum. Propoſitio aſſumpta in ſubſillogiſmo eſt quoque euidens: quia Diuina natura eſt excellentiſſima ſuper omnes alias naturas; nullum autem eſt nobilius prædicatum quam eſſe rationis, & prudentiæ præditum independenter à quouis alio ente. Hæc ergo ratio poteſt quemcunque ratione præditum ſuadere, & qui hac non ſuadetur vt belua relinquendus eſt.

Aliæ rationes Antiquorum ad idem probandum adducuntur, & defenduntur. Caput Tertium.

4. Ratio. QVarto ſic arguunt veteres ex vnitate mundi. Ex corporibus alia ſunt vnita ex partibus perfectè compoſita, & conſtituta in eſſe: alia ex his quæ iuxta ſita ſunt, & ad vnum tendunt caput, vt catenæ, & turriculæ, & naues; alia ex diſtantibus, & diſiunctis, & ſeparatis, & per ſe ſubiectis, vt exercitus, & greges, & chori. At mundus eſt corpus, ergo eſt vel corpus vnitum; vel ex eis, quæ iuxta ſe ſunt poſita compoſitum; vel ex ſeiunctis, & ſeparatis factum. Sed non eſſe vnum his duobus vltimis modis, ex ijs quæ per conſenſum accidunt, oſtenditur. Nam in lunæ incremento, & decremento multa Animalia terreſtria, & maritima decreſcunt & augentur. Aquarumque fluxus, & reflu-

xus, & innundationes fiunt in aliquibus partibus maris. Similiter in aliquo ortu, & occaſu ſtellarum accidunt mutationes aeris ambientis, & variæ conuerſiones aliquando quidem in melius, aliquando quidem in deterius, & peſtilentes. At iſtę non fiunt ex corporibus conſiſtentibus ex iuxta ſe poſitis, ſed ex diſtātibus, quia in his partes minime afficiuntur per conſenſum, ſi quidem in exercitu, licèt ferè omnes milites pereant nihil patitur is qui ſaluus euadit, & in naui ſi remus perit, non ceſſat eſſe Temo, & aliæ nauis partes: In ijs autem corporibus, quæ ſunt vnita eſt quædam affectio per conſenſum; ſi quidem ſciſſo digito totum corpus ſimul officitur, ergo mundus eſt corpus vnitum. Rurſus hoc firmato ſic arguunt. Ex vnitis autem corporibus alia continentur à ſolo habitu, vt lapides, & ligna; alia à natura vt plantæ; alia ab anima, vt animantia. Mundum ergo cum ſit corpus ab vno ex his continetur. At non ab habitu ſolo, quia, quæ ſic continentur nullam mutationem ſuſcipiunt, aut conuerſionem, quæ ſit alicuius momenti, vt eſt videre in lapidibus, & lignis, ſed ſolùm eam patiuntur affectionem, quæ eſt ex relaxatione, & compreſſione: Mundus verò ſuſcipit magnas, & magni momenti mutationes, cum aer quidem qui ambit aliquando ſit frigidus, aliquando verò calidus, & aliquando quidem ſiccus, aliquando vero humidus, aliquando verò aliter alteratus à motu cœleſtium. Non ergo à ſolo habitu continetur mundus. Cum autem à ſolo habitu non contineatur ſequitur, quod contineatur, à natura. Nam etiam ea quæ continentur ab anima à natura quoque continentur: quia anima à natura continetur. Si autem continetur à natura, neceſſe eſt quod contineatur ab optima natura, ſiquidem ipſe mundus continet omnium naturas, ergo natura, quæ continet mundum, neceſſariò continet omnium naturas. Natura autem quæ continet omnes naturas neceſſariò continet eas, quæ ſunt participes rationis. At natura, quæ continet naturas, quæ ſunt participes rationis; neceſſariò eſt quoque ipſa particeps rationis; quia non eſt poſſibile, quod totum ſit deterius parte. Cum ergo natura quæ continet mundus quæ eſt quædam totalis natura contineat naturas particulares quæ ſunt rationis participes, vt eſt natura hominis, non eſt dicendum quod non ſit rationis particeps. Si ergo natura adminiſtrans, & regens mundum eſt optima & præſtantiſſima natura neceſſe eſt, quod ſit intelligens, & bona & immortalis. Cum autem ſit huiuſmodi eſt Deus, ergo Deus eſt.

39 Hæc ratio certè eſt demonſtratiua. Vnde omnes ferè antiqui ea vſi ſunt: dempta enim illa compoſitione ex natura, & mundo quæ videtur facere Deum quodammodo formam, & mundum ipſam materiam, quod eſt inconueniens, ratio ipſa eſt optima. Qui enim fieri

poteſt, vt natura intelligens, & diſcurrens,& liberè agens, & operans in mundo reperiatur,cuiuſmodi eſt natura rationalis, quæ tam altè ſuperat naturas brutorum,quæ ſcit condere ciuitates, naues parare, palatia extruere,picturas,ſculpturas, veſtes,arma, immo ferrum, argentum,aurum,& alia innumerabilia arte efficere, & natura à qua homo ipſe procreatur, & conſeruatur non ſit intelligens, liberè operans, ſed rationis ſit expers,& libertatis,& veluti lapis pondere, quoddam pręmat mundum non ratione dirigat. Non eſt homo qui hac ratione non conuincatur. Et licèt Ariſt. libertatem in Deo non poſuerit,quia ex ſenſibilibus non deducitur, cum tamen ipſum intelligentem immo intellectum ipſum ſtatuerit conſequenter eum eſſe liberum effugere non poteſt,ſed de hoc infra.

5. Ratio. *Quod alij Dij ſint præter ſupremũ.*

40 Quinta ratio eorum probat præter primũ, & præſtantiſſimum Deum dari alios Deos bonos vel malos,qui ſunt Angeli,vel Dęmones. Sic. In terra, & mari, quamuis ſit magna craſſitudo multa conſiſtunt animantia,quæ animalem,& ſentientem facultatem participant,ergo multo probabilius eſt in aere, qui habet longè plus puritatis, & ſinceritatis,quàm terra,& aqua,eſſe animata, & mente prædita; ſi autem animantia mente prædita ſunt in aere, multo probabilius eſt,& rationi conſentaneum in ęthere quoque eſſe animantem naturam rationalem. Cum autem in ęthere ſint animantia,& illa ſint præſtantiora terreſtribus,eò quia in illis non cadit interritus,ſicut in terreſtribus, dabis quoque Deos eſſe,qui hac in re non differunt,ſed ſunt idem.

6. Ratio. Ratio Cleãtis.

41 Sexto, arguebat Cleantes in hunc modum; ſi natura eſt alia natura melior, & præſtantior, erit etiam aliqua natura optima, & præſtantiſſima. Et ita ſi eſt Animal, aliquo animali melius, erit aliquod Animal optimum,& præſtantiſſimum,quia non datur proceſſus in infinitum. At datur Animal Animali melius,& præſtantius,vt Equus, Teſtudine,& Taurus, Aſino,& omnibus terreſtribus Animantibus homo eſt præſtãtior,& melior propter corporis & animæ affectiones. At homo non eſt optimum, & præſtantiſſimum Animal, quia vt plurimum vitio eſt polutus,nec virtute eſt ornatus, niſi forſan in ſenio, & vitæ occaſu. Eſt inſuper caducum, & imbecillem, & quamplurimis egens auxilijs,& adminiculis,nempè alimento,& veſtitu, & alijs quæ ſunt neceſſaria ad gerendam curam corporis, quod inſtar alicuius ſæui tiranni nobis pręeſt, & quotidianum tributum exigit, morboſque, & mortem minitatur niſi exhibuerimus quo ſe lauet, & vngat, amiciat, & nutriat. Quare homo non eſt perfectum Animal, ſed imperfectum, & à perfecto multum ſeparatum, ergo datur Animal homine melius, & præſtantius; At quod eſt homine melius, ac præſtantius, eſt perfectum optimum, ac præſtantiſſimum, & omnibus virtutibus conſu-

conſumatum, & in quod nullum malum poteſt. Hoc autem à Deo non differt, eſt ergo Deus.

7. Ratio.

42 Septimo. Xenophanes Socraticus Deum eſſe probari hac ratione, ſuis verbis relata, putabat cum Ariſthodemene diſputãdo. *Dic mihi* (aiebat Xenophon.) *ò Ariſthodemene ſunt ne quos habuiſti in admiratione propter ſapientiam? Certè inquit. Qui nam ſunt illi? Propter Poeticam quidem Homerum habui in admiratione, propter artem ſtatuariam Polycletum; propter picturam verò Zeuſim. An non autem eos approbas, & comendas, propterea quæ ſunt ab eis conſtructa excellenter, & affabrè ſint fabricata? Maximè inquit. Si ergo Polycleti ſtatua fieret animata, an non longè amplius probares artificem? Certè. Videns ergo ſtatuam quidem diceres eam ab aliquo artifice fabrefactam. Videns autem hominem, & rectè moueri, & corpore pulchrè eſſe exornatum an non exiſtimas eſſe fabrefactum, ab aliqua excellenti intelligentia? Deinde autem videns poſituram, & vſum partium primum quidem quoniam erectum fecit hominem, dedit illi oculos, vt videret, quæ ſunt aſpectabilia; auditum autem, vt audiret audibilia, odoratus autem, quis nam eſſet vſus niſi addidiſſet nares? & ſaporum ſimiliter niſi effecta lingua, quæ eos agnoſceret, & diſcerneret? Idque cum ſcias quod terra in corpore habes exiguam partem cum ſit ampla, ac lata, & parum humoris, cum is ſit plurimus, ignisque & aeris ſimiliter. Mentem autem cum nuſquam eſſet, Unde nam fortunatè videris arripuiſſe?* Hæc Xenophon in vltimis verbis rationem colligens, quod cum homo habeat parum terræ in ſe, quæ tamen terra eſt plurima, & habeat parum humoris ignis, & aquę, quæ plurima ſunt in mundo, ſequitur, quod cum homo habeat mentem, neceſſe ſit quoque plurimam, & optimam mentem eſſe in mundo. Alioquin homo non habuiſſet, vnde ſibi arriperet mentem. Mens autem illa eſt Deus, ergo eſt Deus. Mens qua mundus eſt præditus, & intelligit eſt Deus. Vnde Antiqui dicebant Deum eſſe animam, & mentem mundi facientes quaſi compoſitionem quandã ex Deo, & tota materiali parte mũdi, in qua mundus eſſet materia, & Deus ipſe forma; & ideò Deũ ipſum appellabãt naturã, mentem, & animã mundi, & mundũ totũ dicebãt eſſe Animal magnum felix, & ſempiternum, vt ſupra vidimus cap. præcedenti.

8. Ratio.

43 Octaua ratio ſimilis præcedenti ſic conficitur. Si in mundo non eſſet aliquod terreſtre, nec aliquod terreſtre eſſet in te, & ſi in mundo non eſſet aliquid humidum, nec aliquid humidum eſſet in te. Et ſimiliter dicendum de igne, & aere. Ergo ſi non eſſet in mundo aliqua mens, neque vlla mens eſſet in te. Eſt autem in te mens aliqua; ergo eſt etiam in mundo, & ideo mundus eſt mente, & intelligentia præditus; ergo eſt etiam Deus ſcilicet illa mens, & intelligentia, qua mundus eſt præditus.

9. Ratio. 44 Nono ſic Arguebant per interrogationem. Num fieri poterit vt ſi videris effigiem pulchrè, & affabrè factam, dubites an mens artifex hoc effecerit, ſed caſu accidiſſe exiſtimes? Ergo nec fieri poteſt vt in te videns imaginem, quæ tam varijs modis cuiuis antecellit imagini, & picturæ cū ea cadat ſub intelligentiam, caſu eam exiſtimes factam, non autem ab aliquo opifice, qui præſtantem vim habeat, & ſapientiam, qui non alibi verſatur, quàm in mundo eum adminiſtrans, & quæ in eo ſunt gignens, & augens. Is autem eſt Deus. Eſt ergo Deus.

10. Ratio. Cic. lib. 2. de natura Deorum. 45 Decimo. Zenonem ſic argumentari ſolitum fuiſſe ferunt. *Quod ratione vtitur, id melius eſt, quàm id quod ratione non vtitur; Nihil autem eſt mundo melius; ratione igitur vtitur Mundus. Similiter effici poteſt ſapientem eſſe mundum, ſimiliter beatum, ſimiliter ęternum: omnia enim hæc meliora ſunt, quàm ea, quę ſunt his carentia; nec mundo quidquàm melius. Ex quo efficitur mundum eſſe Deum.*

At obijciebant Aduerſarij Zenonis huic rationi, quod conſequentia illa non valeat; melius, & præſtantius eſt eſſe animatum, & rationis participem, ergo mundus, cum ſit præſtantius omnibus alijs, erit rationis, & animæ particeps. Nam non ſequitur. Poeticum eſt melius non poetico, & gramaticum non gramatico; ergo mundus eſt Poeticus, & Grammaticus. Sed Stoici reſpondebant Zenonem accepiſſe in illa propoſitione id quod eſt melius, & præſtantius abſolutè, & ſimpliciter. At eſſe gramaticum, vel poeticum, non eſt melius, & præſtantius abſolutè non gramatico; neque enim Ariſtarchus cum ſit gramaticus eſt melior, & præſtantior Socrate, non gramatico; ideo cauillus nullus.

Ex Ciceron. vbi ſupra. 46 Vlterius Zeno ſic arguebat. *Nullius ſenſu carentis, pars aliqua poteſt eſſe ſentiens; Mundi autem partes ſentientes ſunt, non igitur caret ſenſu mundus.* Pergit idem & vrget auguſtius. *Nihil*, inquit, *quod animi, quodquè rationis eſt expers, id generare ex ſe poteſt animantem compotemque rationis. Mundus autem generat animantes compoteſque rationis; animans igitur eſt mundus, compoſque rationis.* Idemque ſimilitudine vt ſæpè ſolet rationem concluſit hoc modo. *Si ex oliua modulatè canentes tibię naſcerentur, non dubitares quin ineſſent in oliua tibicinis quædam ſcientia. Quid ſi platani fediculas ferrent numeroſè ſonantes? idem ſcilicet ſenſus in platanis ineſſe Muſicam? Cur igitur mundus non animans, ſapienſque iudicetur, cum ex ſe procreet animantes, atque lapides?* Senſit ergo Zeno. omninò neceſſarium eſſe aſſerere Deum eſſe, à quo homines rationales, & ſapientes eſſent, & emanarent. Quod autem ait deinde calorem ſeu ignem ęternum peruadentem omnia, etiam ſydera cœleſtia diuerſum ab hoc noſtro igne vſuali omnia corrumpente eſſe animum omnium, & natura continentem omnia, &

quod

Digitized by Google

quod ſit ſentiens, intelligens, & ſapiens, ac Deus ipſe, anteacta ſ argumentis non officit; nec inuictam illam conſequentiam deſtruit, In mundo hoc, eſt aliqua pars intelligens, & ſapiens, ergo ſequitur Deum naturæ, & mundi eſſe intelligentem, & ſapientem. Neque enim ſapientem, & intelligentem creare poſſet niſi in ſe ſapiens, & intelligens eſſet. Sed hominis imbecillitatem inſinuat, qui cum cognoſceret dari numen, & diuinitatem, à qua intellectus, & ſapientia prouenit, quiſnam verè hic eſſet agnoſcere non valuit.

47 Vndecimo. Id etiam à motu oſtendebant veteres aliter quam Ariſtoteles. Arguebant enim ſic. Quod mundus moueatur vnuſquiſque cernit, nec niſi à ſtulto negari poteſt. Aut ergo mouetur à natura, aut ſuo arbitratu, aut vertigine, & neceſſitate. Sed non à vertigine & neceſſitate, vt volebat Democritus per illas athomos inordinatas. Quoniam aut illa vertigo eſt ordinata, aut inordinata, ſi eſt inordinata, non poterit mouere ordinatè; ſi autem ordinata, & cum ordine, & conſenſu, hic motus erit diuinus, & à Deo. Nunquàm enim moueret ordinatè, & ſalubriter niſi eſſet mente prædita, & diuina illa vertigo. Si ſit autem huiuſmodi, non erit amplius vertigo: ea enim eſt inflexibilis, & neceſſaria, & breuis temporis. Quamobrem à neceſſitate, & vertigine non mouetur mundus. ſed neque à natura, quæ cadit ſub noſtra hac viſibili cognitione, vt ſunt cœli, ſtellæ, & huiuſmodi, quia iſta natura eſt natura alia præſtantior, quæ eſt intelligens, & mente prædita à qua neceſſe eſt illam naturam viſibilem moueri; ordinatè enim mouetur, quod fieri non poſſet niſi à natura excellentiori, & intelligenti moueretur. Amplius ea natura à qua natura viſibilis mouetur cum ſit intelligens, & rationis capax, neceſſe eſt quod pro arbitratu moueat. Nam ea quidem, quæ ſua ſponte mouentur opera ſunt magis admirabilia, quàm ea, quæ non ſunt huiuſmodi. Archimedis certè ſpheram cõtemplantes, in qua ſol, luna, & reliqua aſtra mouentur, valdè obſtupeſcunt admirantes non quidem ligna, nec eorum motum, ſed artificem, & cauſas, quæ mouent. Illa etiam quæ ſentiunt ſunt magis admirabilia ijs quę non ſentiunt, quia cauſæ, per quas ſentiunt, ſunt admirabiles magis, quàm cauſæ eorum quæ non ſentiũt. Sicut etiam equus eſt admirabilior, quam planta, ita cauſa, quæ mouet equum, eſt admirabilior quàm cauſa plantæ, & ſic de alijs. Ergo in propoſito; cum motus naturæ huius ſolis, lunæ, aſtrorum ſit admirabilior motu horum inferiorum, ſequitur naturam, quæ eſt cauſa motus illorum, eſſe admirabiliorem, & conſequenter eſſe optimam, & præſtantiſſimam, atque ideo mouere non neceſſitate, ſed arbitratu ſuo. Hæc autem eſt idem quod Deus, ergo datur Deus. 11. Ratio.

48 Duodecimo. Alij ſic arguunt. In omni corpore, quod multas 12. Ratio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

habet partes, & regitur ſecundum naturam eſt aliquid quod dominatur; vnde in nobis id eſſe in corde ſentitur, aut in cerebro, aut in aliqua alia parte. In arboribus autem, & plantis, in nonnullis quidem in radicibus; in alijs autem in coma, in alijs aut in ligni cortice ſeu medulla. Cum ergo mundus regatur à natura, vt qui conſtet ex multis partibus, neceſſe eſt, quod in eo ſit aliquid quod dominetur, & quod incipiat motum. fieri autem non poteſt, vt id non ſit aliquid eorum, quæ ſunt in rerum natura. Hoc eſt Deus, ergo in rerum natura datur Deus.

Obiectio. Sed dicent fortè aliqui, hac ratione; Si valeret, ſequi quod terra, & aer ſint Dij, quod eſt ſtultum. Conſequentia autem probatur, quia terra videtur principatum tenere in mundo, ipſa enim maximè dominatur, & multo magis aer: ſine aere enim non poteſt conſiſtere mundus. Si ergo quod dominatur, & habet principatum eſt Deus, Terra erit Deus, vel certè aer.

Reijcitur. Verùm hanc obiectionem nullam eſſe reſpondebant veteres. Nam hæc argumentatio procedit ac ſi quis arguat, murus dominatur in domo, neque enim domus conſiſtere poteſt ſine muro, ergo murus eſt melior domino, quæ conſequentia eſt nulla. Ita in propoſito reſpondetur, quod licèt terra & aer ſic ſe habeant in mundo, quod mundus non poteſt eſſe ſine illis, non tamen ſequitur quod habeant principatum, & ſint meliora natura ipſa dominante, quia ſe habent vt murus in domo, non vt natura dominans, & adminiſtrans mundum. Quæ non differt à Deo, ergo eſt Deus.

13. Ratio. 49 Tertiodecimo. Eandem veritatem quod Deus ſit oſtendebant ab abſurdis, quæ conſequuntur ad eos qui Deos tollunt de medio. Primo enim ſi non ſunt Dij, nec eſt religio. Eſt enim religio ſcientia cultus Deorum; Eorum autem quæ non ſunt non poteſt vllus eſſe cultus; Eſt autem religio; dicendum eſt ergo eſſe Deos. Inſuper ſi non ſunt Dij non eſt ſanctitas. At apud omnes homines eſt anticipata notio, quod ſit ſanctitas, & aliquod ſanctum. Sanctitas enim eſt iuſtitia erga Deum, & venerabilitas, quæ propriè competit Deo, & ijs qui Deo vitæ continentia ſunt proximi: huiuſmodi autem venerabilitatem ſemper fuiſſe apud omnes, & aliquas fuiſſe, quibus illa competeret, & deberetur pro comperto habetur apud omnes gentes, ergo. Inſuper ſi non ſunt Dij non eſt ſapientia, quæ eſt rerum diuinarum, & humanarum ſcientia. Nam ſicuti non eſt ſcientia, quæ ſimul ſit cognitio rerũ humanarum, atque Hippocentaurearum, quia Hippocentauri nõ ſunt; ita non poterit dari ſapientia, quæ eſt ſcientia rerum diuinarum, & humanarum. Si ſint homines non autem ſint Dij. Abſurdum eſt autem dicere non dari ſapientiam, ergo abſurdum eſt dicere non dari Deos. Inſuper ſi non ſint Dij, non eſt iuſtitia: At non eſſe iuſtitiam

eſt abſur-

Digitized by Google

eſt abſurdum, ergo. Antecedens deducitur. Nam licèt falſum ſit Pitagoreorum dogma iuſtitiam eſſe coniunctionem non ſolùm inter homines cum Dijs, ſed etiam cum brutis ea imaginatione decepti, quod cum Deus ſit quidam ſpiritus, qui inſtar animæ totum mundum, & bruta etiam peruadit, ſequatur nos illis vnire. Vnde ſtolidè deducebant occidentes bruta, & eorum carnes alentes impiè agere, vt qui cognatos interimant, iuxta illud *Pitagoricū dogma de iuſtitia falsū.*

Rubra Deum calida faciunt altaria cæde.

Et illud Empedoclis

Non deſiſtetis crudelem admittere cædem?
Pulchrum ne afflicta ſic vos diſcerpere mente?
Inter vos, mutata forma namque parentes
Charos occidunt natos permulta precati
Stulti. alijque Ioui facientes ſacra precantur.
Aſt alius non exauditus in ædibus iſtum
Occidit clamans, miſeras epulaſque parauit
Atque pater nati crudeli cæde perempti
Et Matrum nati carnes in viſcera condunt.

50 Licèt inquam hæc Pitagorica imaginatio falſa ſit, quia etſi Deus ſit ſpiritus per nos, & bruta peruadens, non tamen hinc habetur aliquam inter nos & bruta intercedere cognationem, vel iuſtitiam. Quoniam & per lapides, & plantas permeat iſdem ſpiritus Deus, nec tamen cum plantis, nec cum lapidibus intercedit nobis ius, quod per iuſtitiam violari poſſit. Tamen veriſſimum eſt, quod Stoici dicunt. Homines habere aliquam iuſtitiam, & coniunctionem cum Dijs, quia habemus rationem, quæ inter nos, & ad Deos tendit. Cuius mentis cum bruta nullam habeant partem, nullum ius, & iuſtitiam poſſunt habere nobiſcum. Cum ergo iuſtitia ſit quædam coniunctio inter homines, & cum Dijs, oportet ſi non ſunt Dij neque eſſe iuſtitiam. At eſt iuſtitia. Dicendum ergo eſt eſſe Deos.

51 Inſuper diuinatio tollatur neceſſe eſt ſi Dij non ſunt. Nam diuinatio eſt ſcientia contemplans, & interpretans ſigna, quæ à Dijs dantur hominibus. Sed datur diuinatio, & per ſomnia, & ex aſtris, & ex afflatu diuino, & ex ratione, ergo Dij ſunt. Atque hæ quidem ſunt rationes, quas Antiqui aduerſus Atheiſtas adducebant. 14. Ratio.

***
**
*

Digitized by Google

Deum, Angelos, & Dæmones, eſſe ex confutatione rationum pro Atheiſtis, capite primo adductarum probatur. Caput Quartum.

52 DEum, & Deos (hoc eſt Angelos, & Dæmones) eſſe ex eo quoque maximè conſpicitur, quod rationes, quæ pro Atheiſtis adducuntur vanitate plenę ſunt, & ſeſe produnt ab hominibus impijs emanaſſe, vt ſublato timore pœnarum liberius criminibus incumbere poſſe ſibi ſuaderent. Et quidem quàm vana exiſtat prima ratio eorum, euidenter conſpicitur ex 1. ratione facta cap. 2. contra ipſas, vbi notionem de Dijs naturæ omnium hominum inſertam in generatione cuiuſcunque, non autem cuiuſquam inſtituto, vel inuentione ſuaſam eſſe oſtenſum eſt. Et quamuis primi quos coluiſſe Deum memorentur, ſolem primum, lunam, & alia id genus coluerint, & pro Dijs habuerint, nobis quidquam officit, ſed propoſitum noſtrum confirmat; quia non eas res vt Deos coluiſſent niſi exiſtimaſſent Deum eſſe, qui omnibus rebus dat eſſe, & viuere; quia autem hæc eorum animis inſidebat firma opinio; videntes vtilitatem ex ſolis, lunæ, ſyderum, & aliarum rerum actione in nos prouenire, ea facilè vt Deos coluere. Arguant ergo inſcitiam in agnoſcendo quis ſit verus Deus, non autem non eſſe Deum, vel non eſſe Deos inferant. Omnes ſciunt quàm differant quęſtio, An ſit ab ea quæ eſt, quid ſit. Circa ſi eſt, rectiſſime ſenſerunt Antiqui, & Phiſici, & Poetę, ſed circa quid ſit, multi nō leuiter errauerūt. At nos infra ex hoc quod Deum eſſe conceſſerunt, ſed quæ res ille eſſet ignorauerunt, Deum verum eſſe venabimur.

Ad 1. Rationem.

53 Secunda ratio non maioris efficacitatis eſt. Equidem ſapientiſſimi veteres voluerūt Deum eſſe Animal, etiam Ariſt. qui 12. Met. tex. 39. illa verba protulit. *Dicemus autem Deum Animal eſſe ſempiternum optimum. Quare vita, & duratio continua, & æterna exiſtit Deo. hoc enim Deus.* Animal ergo dixit Ariſt. Deum, qui tamen dixit Deum eſſe ſubſtantiam immaterialem, & inſenſibilem, incorpoream, & immortalem; & proinde non niſi ineptè deducitur eum ſenſibus carere non debere. Quamuis enim in Animalibus brutis hæc neceſſaria videri poſſint ad eorum perfectionem pertinere, non tamen conſequens ſit vt Animal immortale, & à materia ſegregatum, cuius vita, & eſſe eſt intelligere illis ad ſuā felicitatem egeat; dulci delectari, & amarore affici vitæ mortalis, & ad interitum properantis eſt paſſio, communis homini cum brutis. Atqui ei qui nulla re ſenſibili ad perpetuandam vitam ſuam eget, ſenſibilia opitulari dixerit, pluſquam demens ſit, neceſſe eſt. Iſta ſordides voluptates Epicuri redolent; qui nec beatitudinem, nec ſummum bonum in Deo agnoſcere potuit, niſi figuram humanam

Ad 2. Rationem.

manam omnibus ſenſibus perfectiſſimam, & ſexum vtrumque maſculinum & fęmininum, ad quamuis, & quancunque, impudicam voluptatem captandam affingeret. Contra quem, & eius ſectatores, lepidè diſputans Cotta apud Cicer. lib. 1. de natura Deorum ſic inſurgebat. *Non ſentis quàm multa vobis ſuſcipienda ſint ſi impetraueritis, vt concedamus eandem eſſe hominum & Deorum figuram; Omnis cultus, & curatio corporis erit adhibenda Deo, quæ adhibetur homini, ingreſſus, curſus, accubatio, inclinatio, ſeſſio, comprehenſio ad extremum etiam ſermo, & oratio.* Et rurſus. *Quàm moleſtum eſt vno digito plus habere? Quid ita? quia nec ſpeciem, nec vſum alium quinque deſiderant. Tuus autem iſte Deus non digito vno redundat, ſed capite, collo ceruicibus, lateribus, aluo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, femenibus, cruribus. Si vt immortalis ſit, quid hæc ad vitam membra pertinent? Quid ipſa facies? Magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur. hæc enim ſunt domicilia vitæ.* Animal ergo Deus dictus eſt a ſapiētibus, non alia rōne niſi quia vita apud nos in ſolo animali reperitur manifeſtè; etenim plantę nō ita euidenter viuunt.

54 Ad tertiam rationem. Quiſquis rationis compos eſt eam aduerſus noſtram ſententiam nullius omninò eſſe momenti cognoſcere poteſt. Potuiſſent enim à pari ſi illa ratio valeret adiungere, ſi Deus eſt Animal perfectiſſimum debet virtute, & arte natandi calere; nam & iſtæ artes ſunt virtutes quædam, licèt non morales; poterant, & arte ſerendi, plantandi, & potandi ei annectere: Nam & illę ſunt virtutes Animali, ſeu animatæ virtuti competentes. Sicut ergo hæc non niſi abſurdè Deo tribuūtur, quia non ſunt de numero eorum quę Deo competunt, ita continentiæ, & fortitudinis virtutes velle inuenire iñ Deo nonniſi extremæ dementiæ eſt; vt optimè tradit Ariſt. 10. Ethicorum cap. 8. & 7. cap. 1. cum virtutes morales hominum ſint perfectiones, non Dei, neque ipſi niſi per quandam analogiam illæ quæ nullam habent annexam imperfectionem attribuantur. In Deo corporali Epicureorum eſſent iſtæ virtutes requirendæ, vt à tot obſcenitatibus liberaretur. Nos autem in Deo ſolum gratiam, & beneficentiam agnoſcimus, qua quidem nihil melius, nihilque præſtabilius. Eſt Animal quidem Deus, at non corporeum, & ſenſuale, quod in libidinem prorripere poſſit, vel ob aliquod terribile expaueſcere, quod propterea virtute continentiæ, & fortitudinis egeat ad ſe moderandum; ſed Animal intellectuale optimum, & ſempiternum, quod eſt ipſa vita vt diximus ſuperiori reſponſione. Licèt ergo his virtutibus careat, non inde ſequitur, vt vlterius inferebatur, in Deum cadere vitium; eò quia inter virtutem, & vitium non datur medium. Quoniam nec huiuſmodi virtutum, vel vitiorum capax eſt Deus, ſicut nec luna licèt careat oculis non debet culpari vt cęca: quia illorum non eſt capax.

Ad 3. Rationem.

Licèt Deus non habeat virtutē continētię et fortitudinis, nō eſt vitioſus.

Hinc

Digitized by Google

Hinc ruit aliud quod addebatur de animi magnitudine, & celſitudine reponenda in Deo, ſi virtute fortitudinis eſt præditus. Eſt quidem fortis Deus; at non ea fortitudine, quæ pondus, & infirmitatem ſuſtinet; ſed qua cuncta ſuo nutu regit abſque labore, iuxta illud Parmenidis.

Sed ſine cura animi res omnes mente mouere.

Ad 4. Rationem. 55 Ad quartam reſpondetur, quod ſi ea valeret multo plura Deum ignorare ſequeretur quàm laborem, & dolorem. Nam neque voluptatem, quàm ex cibo, & potu capiunt animalia agnoſceret, ſiquidem ipſe neque edit, neque bibit: neque enim facimus Deum corporeum in eo diſtinguentes os, ventrem, cerebrum, cor, pulmones, iecur, & alia domicilia vitæ mortalis, ſed agnoſcimus Animal à materia ſeiunctum, maximè intelligentem, immo intelligentiam per eſſentiam. Sed dicis Deus non experitur laborem, non dolorem, ergo illorum notitiam habere non poteſt. Sed quàm rude eſt hoc argumentum. Nunquid omnia, quæ cognoſcit homo, cognoſcit per experientiam illorum in proprio corpore, & ſenſu? Certè omnes agnoſcimus ignem comburere lignum propter nimiam ſuam caliditatem, nec tamen ardorem illum ignis in lignum in nobis ſentimus, quia extra nos eſt. Scimus ſolem, & aſtra calefacere terram, & plantas, nec tamen calefactio illa ineſt nobis. Quid ergo mirum eſt ſi Deus qui totus intellectus eſt agnoſcat dolorem, & laborem, licèt ipſe nec dolorem ſentiat, vel patiatur? Eſt ergo clara ſolutio, quod non omnis cognitio ſit per experientiam ſenſibilem, ſed melior, & præſtantior ſit per cauſam. Quare cum Deus ſit præſtantiſſimi intellectus non eſt difficile laborem, & dolorem, & quaſcunque alias res per ſuas cauſas comprehendere licèt hæc in ſe minimè patiatur. Dolor ex obiecto diſconueniente potentiæ oritur, & labor ex infirmitate agentis; Cum ergo Deus cognoſcat quid vnicuique ſit conueniens, vel diſconueniens, & quanta ſit vniuſcuiuſque agentis virtus, vniuſcuiuſque patientis dolorem, & agentis laborem ſine in ſeipſo dolore, & labore cognoſcere valet.

Ad 5. Rationem. 56 Ad quintam. In Deo eſſe prudentiam aſſerimus ſed perfectiſſimam, quæ eſt prouidentia omnium abſque imperfectione quacunque: Neque enim vniuerſali gubernatori omnium huiuſmodi attributum deeſſe poteſt. Et cum dicetur, tunc & in Deo conſilium, & conſultationem quoque eſſe admittendam. Reſpondemus, quod ſi humano more loqueremur de Deo non deeſſent, qui illam in ipſo admitterent: Siquidem & ſacrarum literarum eſt illa ſententia. *Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Nihil tamen Deo ob hoc ſequitur eſſe incertum. Quia licèt in mundo multa ſint ad vtrumlibet indeterminata, & in ſe incerta, & contingentia, illius tamen intellectui diuiniſ-

Paul. Apoſt. ad Epheſ. 1.

Digitized by Google

diuiniſſimo, qui omnium cauſas intimiſſimè perſpicit, indeterminata non apparent, ſed qualia futura ſunt. Et quidem ſi peritus nauta, futuram tempeſtatem incertam, vt certam proſpicit, & ſibi & naui proſpicit, qui fieri poteſt, vt incerta, oculo diuino in infinitum ſuperante acumen nautæ, incerta, non autem certiſſima ſeſe oſtendant?

57 Ad ſextam. Conſpicuum eſt in Deo eſſe virtutem, nõ eam, quæ habitus moralis, & accidens eſt; vt probè nouit Ariſt. 7. Ethic. cap. 1. vbi dixit, Deum nec virtutis, nec vitij eſſe capacem, ſicut nec beſtiam irrationalem. Nam inquit, *Sicut beſtię neque eſt vitium, neque virtus ita nec Dei*, ſed virtus quæ eſt bonitas, & potentia infinita. proinde non eſt Cacodemon. Cum autem infertur virtutem eſſe meliorem eo in quo eſt virtus, & proinde virtutem eſſe quid melius Deo, ſi in Deo ſit, continet captionem quandam. Etenim ſi de ea virtute ſit ſermo, quæ eſt habitus, & accidens, cuiuſmodi eſt virtus moralis, abſurdum eſt dicere quod ſit melior eo qui habet virtutem: Nemo enim dicet accidens hominis eſſe melius homine ipſo, qui eſt ſubſtantia. Dicitur autem quandoque virtus perfectior eo, qui habet virtutem; quia eſt perfectio quædam hominis qua dum caret eſt imperfectus; ſed cum ſit perfectio accidentalis, & homo ipſe in ſe iam ſit perfectus perfectione eſſentiali contra diſtincta à virtute accidentali; non ea imperfectior, ſed longè perfectior eſt: Si vero ſit ſermo de virtute, quæ eſt eſſentia, & ſubſtantia rei, cuiuſmodi eſt virtus quæ eſt in Deo, hæc non eſt perfectior Deo, ſed Dei ipſa perfectio; quia non eſt alia, & diſtincta realiter à Deo, ſed ipſe Deus. Quare eſt impoſſibile Deum eſſe ſine virtute, & malè ſeſe habere, & proinde in ipſum interitum cadere poſſe. Ad 6. Rationem.

58 Ad ſeptimam reſpondetur hoc efficere difficultatem ijs, qui adeò applicati ſunt rebus corporeis, & materialibus, vt non poſſint ad immaterialia eleuare mentem, & tamẽ hoc lumine naturali, ſi quidem Ariſtot. ipſe omnia per ſenſibilia, & mobilia perueſtigans, omninò cognouit eſſe perueniendum ad ſubſtantiam eternam immobilem ſecretam à materia, & incorpoream, quæ ſit princeps huius mundi, à qua Cœlum, & tota natura dependeat. Hanc ergo ſubſtantiam, quam dicimus Deum eſſe, eſſe infinitam dicimus; at non in magnitudine, vt argumentum aſſumit, & de qua rectè concludit; ſed dicimus eſſe infinitam extra magnitudinem in entitate, & virtute, quàm aliàs oſtendimus Ariſt. agnouiſſe, & demonſtraſſe, & infra oſtendemus. Quare illud, aliud quod infertur Deum, non eſſe infinitum, nec finitum in magnitudine concedimus omnino: quia cum ſit à magnitudine ſeiunctus neutrum ſibi competit, nec tamen ſequitur Deum non eſſe; ſicuti non ſequitur, ſonus non eſt guſtabilis, nec tangibilis, ergo non eſt ſonus; quia eſt audibilis. Ita etſi Deus non ſit finitus, nec infinitus in magnitudine Ad 7. Rationem. Lib. 12. Met. tex. In Philoſophia naturali Scoti The.

tudine, non propter hoc ſequitur non dari, quia eſt infinitus extra magnitudinem in entitate, & virtute.

Ad 8. Rationem. 59 Ad octauam. Iam dictum eſt Deum eſſe incorporeum. Cum verò inſtatur, quia incorporeum, eſt inanime, inſenſibile, & quod nihil agere poſſit. hoc etiam ab Ariſt. negatur; quia & aſſeruit, & probauit 8. Phiſicorum, & 12. Met. ab incorporea, & immateriali ſubſtantia omnem motum prouenire, & vitam rebus ineſſe.

Ad 9. Rationem. 60 Ad nonam. Clarum eſt non omnia contraria eſſe immediata; nam inter album, & nigrum mediat ceruleus color; ſed & inter immediata adhuc datur medium, vt inter ęgritudinem, & ſanitatem ſubiectum Animal cui ineſt vel ęgritudo, vel ſanitas. Animal ergo non eſt aliquod extremorum, ſed medium per abnegationem extremorum. Non eſt ergo mirum ſi Deus ſecretus ab omni contraria forma ab omni combinatione contrariorum ſit ſeiunctus, & nullius illorum ſit capax vel alicui addictus.

Ad 10. Rationem. 61 Ad decimam. Quilibet vel parum eruditus reſpondebit Deum quidem non eſſe mutum, quaſi neſciat, vel non poſſit quod libeat hominibus, vel ſpiritibus bonis, & malis ſignificare: cum enim omnibus rebus, etiam intellectualibus, & ſenſitiuis creaturis intimet imperium ſuum, & iuſſis ſuis eos obtemperare cogat, conſequens eſt iuſſa ſua manifeſtare poſſe; At non ob hoc neceſſarium eſt ei os, linguam, dentes, & pulmonem affigere, atque ad voce humana vtendum artari, qua tamen, ſi daremus, vti ad multa eſſet inutilis: neque enim animantia bruta, plantæ, corpora cęleſtia, & alia huius generis, quæ tamen imperio Dei obediunt, huiuſmodi vocem intelligunt: loqui ergo in Deo eſt immittere intelligentiam, & conceptum in mentem naturæ intelligentis eorum, quæ vult; In plantis, animalibus, & ſimilibus eſt immiſſio radiorum virtutis, & potentiæ ſuæ ad eò tendendum, quò illa dirigere omnipotentiæ ſuæ placet. Non erit autē hoc difficilè cogitanti quod per ſomnium multa intelligimus, & tamen ſine voce loquentis; & ex ſenſibus alijs præter auditum multa diſcimus: Quid ergo mirum ſi Deus poſſit ad hunc modū intelligentias, & notitias immittere abſque voce humana? Neque ergo hoc obeſt quin ſit Deus.

Ad 11. Rationem. 62 Ad vndecimam. Vndecima ratio ex Carneade optimè concludit contra ſtultam Gentilium de Dijs opinionem, quam nos, & meritò reprobamus, & ex eius reprobatione infra exiſtentiam veri Dei demonſtrabimus. At non ledit quidquam notionem innatam omnibus hominibus, quod Deus verus in rerum natura exiſtat; & alia numina, & ſpiritus à gentibus Dij appellata reperiantur: licèt quæ ſint illa verè ignorauerint, affigentes nomen diuinitatis rebus mortalibus, & affectionibus hominum, immo & beſtijs irrationalibus. Vnde pulchrè

ſacræ

ſacræ litteræ habent eos euanuiſſe in cogitationibus ſuis. Nec mirum: quod lumine reuelationis priuati hoc lumine naturali innato quod ſit Deus, ideſt quædam natura ſuprema à qua omnis bonitas, & iuſtitia emanet, atque imperium in omnibus, in quærendo in quo ſita ſit, cecutierint, & demum deſſipuerint.

Deum, Angelos, & Dęmones eſſe probatur ex confutatione communis Aſſerti Atheiſtarum. Quod Deus & Spiritus non videntur, non ſentiuntur, & quod proinde fictio ſit illos admittere, vbi ratio Ariſtotelis 12. Metaph. confutatur. Caput Quintum.

VNa ex præcipuis perſuaſionibus, quibus video homines miſeros in hanc dementiam incidere, vt non exiſtiment Deum, & alios ſpiritus immateriales eſſe, eſt; quia ſenſibus noſtris illos non attingimus. Neque enim Deus, & cæteræ ſubſtantiæ immateriales oculis corporeis videntur, neque aliquo alio ſenſu percipiuntur. Intellectus autem cum ex cognitione ſenſuum procedat, quia nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu dicebat Ariſt. non poteſt ad hanc cognitionem peruenire. Vnde Ariſt. qui monſtrum naturæ fuit in 12. Met. via motus qui ſenſibus percipitur eò vſque peruenit, vt aſſeruerit quidem dari motorem primum, & alias intelligentias mouentes orbes, atque iſtas eſſe immateriales, & ęternas: At quod primæ competant iſta attributa, quæ maximè conſtituunt eius quidditatem in eſſe Dei nimirū eſſe principium omniū liberum, de omnibus habere prouidentiam, atque omnia pro libito gubernare ſenſibus deſtitutus aſſerere noluit, licèt à præceſſoribus aliquibus id noſcet eſſe cōfeſſum; ſed eodem 12. tex. 51. dixit Deum alia extra ſe non cognoſcere. Quod dictum licèt poſſit rectè intelligi, vt à Theologis intelligitur; tamen quia non eſt clarum, Auerroes, & multi alij apertè volunt eum aſſerere Deum non cognoſcere res extra ſe, neque conſequenter de eis vllam habere prouidentiam, niſi generaliter, quatenus omnibus prouidet in vniuerſali per motum primi mobilis, à quo eſt omnis generatio rerum. De alijs verò ſpiritibus apertè eodem 12. tex. 48. dixit nullam aliam dari ſubſtātiam abſtractam præter mouentes orbes; Et ratio ipſius eſt, quia ſubſtantia abſtracta omnis eſt finis lationis alicuius, ideſt ipſa habet ex propria natura vt moueat orbem propter ſe; quia ipſa eſt finis propter quem latio eſt; ideò ablata latione, & motu alicuius orbis, aufertur eius finis quoque, qui eſt intelligentia, ergo nulla alia ſubſtantia immaterialis, & ęterna datur, quæ non moueat; quia eſſet fruſtra, quia non haberet lationem aliquam, cuius ipſa eſſet finis. Hæc eſt ratio Ariſt. propter quam tenet non dari alias ſubſtantias immateriales præter mouentes

Pręcipua ratio ꝑ Atheiſtis.

3. de Anima tex. 59. Tex. 50.

Ratio Ariſt. quod Dęmones non dentur.

uentes orbes. At nos aſſerimus dari alia numina, & ſpiritus præter mouentes orbes, quæ nullum orbem mouent, neque ſunt appropriatæ ad mouendum aliquem orbem, cuius motionis ſint finis, & iſtæ ſubſtantiæ immateriales ſunt Angeli, & Dæmones.

Reijcitur allata ratio.

64 Hæc ratio Ariſt. cui maximè homines carnales innituntur, etiã ab ipſis Etnicis deridetur. Nam Cotta apud Cicer. 1. de nat. Deorum Velleium agentem partes Epicureorum, qui dicebant Deum habere effigiem, & corpus humanum, & hac ratione ex ſenſu ducta ſibi hoc poſſe probare ſuadebant, nimirum: quia dicebant nunquàm ſe vidiſſe ſolem beatum, nec alia corpora, ſed ſolum hominem, & proinde deducebat eſſe neceſſarium Deum habere figuram hominis cum ſit beatus, Sic illudit. *Nihil aliud dicis niſi, nunquàm vidi ſolem, aut mundum beatum. Quid? Mundum præter hunc, vnquam ne vidiſti? negabis. Cur igitur non ſexcenta millia mundorum, ſed innumerabilia auſus es dicere?* (Epicurei enim dicebant eſſe infinitos mundos.) *Ratio docuit. Ergo hoc te ratio non docebit, cum præſtantiſſima natura quæratur, eaque beata, & æterna, quæ ſola in diuina natura ſunt, vt immortalitate vincamur ab ea natura, ſic animi præſtantia vinci, atque vt animi item corporis? Cur igitur cum cęteris rebus inferiores ſimus, forma pares ſumus? Ad ſimilitudinem Deo propius accedebat humana virtus, quàm figura. An quidquam tam puerile dici poteſt (vt eumdem locum diutius vrgeam) quàm ſi ea genera beluarum, quæ in rubro mari Indiavè gignantur nulla eſſe dicamus? Atqui ne curioſiſſimi quidem homines exquirendo audire tam multa poſſunt quàm ſunt multa, quæ terra marique paludibus, fluminibus exiſtunt quæ negemus eſſe, quia nunquam vidimus.*

Scientia non eſt de omnibus.

65 Et quidem nos contra Academicos dari ſcientiam abſoluta quæſtione oſtendemus; nihilominus non de omnibus rebus, ſed certè de pauciſſimis demonſtrationem fieri ſolere non eſt dubium. Plurima cadunt ſub ſenſu, at non omnia: quamplurima probabilitatem habere certum eſt, & eorum quæ ſcimus magna ex parte fidei innituntur; vt propterea Diuus Auguſt. integrum librum de vtilitate credendi compoſuerit. Quare licèt Deum ipſum, & ſubſtantias immateriales, quas Angelos nuncupamus, oculis corporalibus non videamus, neque manibus attrectemus, hoc non deberet nos terrere, nec in tam magnum abſurdum nos deducere, & negemus Deum, & alios ſpiritus, & numina ſupra naturam corpoream eſſe.

D. Aug. de vtilitate credendi.

Ratio efficax.

66 Sed oſtendamus nos iam multa certiſſimè pro veris haberi à nobis, de quibus tamen nec ſcientiam, nec cognitionem ſenſitiuam habemus, ſed ſolùm fidem, vt hinc colligamus quàm ſtultè agant, qui eò quia Deum, & Angelos, & Dęmones, ſenſibus non attrectant, nec aliquam rationem ſibi euidentem vt vellent habeant, eos negant. Quęro ab

Digitized by Google

ro ab Aduerſarijs. Vnde certò credit, & pro certiſſima veritate quiſque habet quod ſit filius ſui proprij patris? Quod enim vnuſquique pro certò habeat ſe conceptum, & generatum ab eo, quem pro patre tenet, & ab ea, quam pro matre habet, nemo credo negabit. Quomodo enim ſeruirent filij patri, & pater, & filius mutua charitate ſe diligerent, ſi nec ſuos parentes, nec filios crederent? Dices mater id teſtatur filio. At nec ipſa mater hoc ſcire poteſt. Quid enim vetuit ne obſtetrix vnum pro altero filium ſubſtituerit? Credimus tamen, & ſine vlla dubitatione credimus, quod tamen ſcire non poſſe confitemur. Et niſi ita ſit quis non videat pietatem ſanctiſſimum humani generis vinculum ſuperbiſſimo ſcelere (vt verbis D. Auguſtini vtar) violari?

Nam quis vel inſanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes eſſe crediderit, etiam ſi non eſſent? Quis contra non exterminandum iudicauerit, qui veros fortaſſe parentes minime dilexerit, dum ne falſos diligat metuit? Eſt ergo veriſſimum nos aliqua pro certo habere, & certiſſimè credere, de quibus ſcimus nos certam cognitionem habere non poſſe. At ſi hoc indubitatum eſt nobis, cur quæſo pro certo credere, & pro re veriſſima tenere non debemus Deum eſſe, & alias ſubſtantias incorporeas eſſe, licèt hoc nos non poſſe cognoſcere exiſtimemus? Ariſt. ipſe clamabat in rebus phiſicis oportere addiſcentem credere. Cur ergo pudebit cupientem addiſcere cognitionem æternorum credere quod ſint? 1. Poſt. c. 3.

67 At dices credere ſine ratione ſtultitia videtur. Et ego reſpondeo, quod ſi hoc verum eſt, ſtultè agit, qui credit ſuum patrem, vel matrem eam eſſe quam pro tali diligit, cum de hoc nullam habeat rationem. Dices, habet teſtimonium obſtetricis, famulorum, & famularum, quæ partui affuerunt. At hoc eſt credere illis ſine ratione, hi enim non probant nec probare poſſunt, ſed ſolum affirmant ſe vidiſſe. Quæ affirmatio adhuc poteſt eſſe falſa. *Obiectio taci ta ſoluitur.*

Adde quod ſi credulitas vlla ratione aliqua innititur hæc, quod Deus datur maxime eſt; præter enim rationes, quæ viri ſapientiſſimi adduxerunt, & adducunt; præter ſigna prodigioſa, & multa alia de quibus infra, veritas hæc clamat in corde, & nullus eſt qui eam non audiat niſi ſtultus. Vnde verè Propheta dixit. *Inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.*

68 Sed illud admiratione non caret quod in alijs rebus credendis, quæ cognoſci non poſſunt Atheiſtæ minimè difficiles ſe ſe præbent, in huius autem veritatis negatione tam fixi hęreant. Credit Atheiſta Indos eſſe quos nunquam vidit, & poſſe videre fortaſſe deſperat; credit eſſe monſtra marina, & multa quæ Plinius, Liuius, & alij hiſtorici narrant,

Digitized by Google

narrant,quę ipſe nunquàm vidit,credit fuiſſe Ciceronem,Cęſarem,& alia huiuſmodi:at non credit eſſe Deum. Verùm ſi à me cauſam huius ſciſciteris; citò reſpondeo, id in cauſa eſſe odium, quo miſeri hanc veritatem proſequuntur. Sic enim euenire ſolet. Niſi auctorem prius diligamus doctrina illius minimè contenti ſumus, ſecus è conuerſo. Vnde ſic ad Honoratum loquebatur D. Auguſt.lib.prædicto cap.10. docendo eum quomodo ad auctores Religionis chriſtianæ ſe præparare deberet. *Agendum enim* (inquit) *tecum prius eſt vt auctores ipſos non oderis,deinde vt ames; & hoc agendum quouis alio modo potius, quàm exponendis eorum ſententijs, & literis. Propterea quia ſi Virgilium odiſſemus; immo niſi eum prius quàm intellectus eſſet maiorum noſtrorum comendatione diligeremus, nunquàm nobis ſatisfieret de illis eius quæſtionibus innumerabilibus, quibus grammatici, & perturbari ſolent, nec audiremus libenter,qui cum eius laude illas expediret, ſed ei faueremus, qui per eas illum erraſſe ac deliraſſe conaretur oſtendere. Nunc verò cum eas multi, ac variè pro ſuo quiſque captu aperire conentur his potiſſimum plauditur,per quorum expoſitionem melior inuenitur poeta.qui non ſolum nil peccaſſe; ſed nihil non laudabiliter ceciniſſe ab eis, qui etiam illum non intelligunt creditur.* Nouerat ergo Diuus Auguſtinus ęquo animo, & beneuolo ad doctrinam alicuius auctoris eſſe accedendum. Quare cum Athei dogma iſtud cum altero de animæ immortalitate odio non exiguo proſequantur, vt liberiùs peccare ſibi liceat,non mirum eſt,ſi hoc credere altè deſpiciant.

2. Ratio principalis. 69. Sed quàm irrationabiliter Aduerſarij negent hãc veritatem ex ipſo Ariſt. deducitur. Nam Ariſt. ipſe in quæſtionibus ſcitu difficilibus, de quibus non poteſt haberi certa cognitio, quia cauſas proprias ignoramus,vt ſunt illę duæ 2. de Cœlo tex.60. quare orbes remoti, vt exponit Auerroes, à primo orbe mouentur paucis motibus, vt ſol, & luna;propinqui autem mouentur multis motibus, cum appoſitum deberet eſſe; & in primo orbe ſint ſtellæ plurimæ, in alijs verò orbibus vnica ſtella ſit;dicit nos contentos eſſe debere exiguis rationibus, & quoquo pacto probabilibus; quia de rebus abſentibus à nobis non poſſumus diſſerere ſecũdùm ſuas naturas,ſed ſolum, cum homines ſimus, ſecundùm ſimilitudinem rerum harum, quas nos ex ſenſibilibus cognoſcimus, Et inſuper eodem tex. ait ac rebus iſtis cœleſtibus, vt de aſtris, ipſum, & Philoſophos alios multa credere ex traditione Ægiptiorũ, & Babiloniorum, qui multum verſati erant in ſcientia aſtrorum, & habet hæc verba. *Similiter & de alijs dicũt aſtris, qui dudum ea obſeruauerunt à plurimis annis Aegiptij, & Babilonij, à quibus multam fidem habemus de vnoquoque Aſtrorum.* Cur quæſo in hac difficillima & altiſſima quæſtione de exiſtentia Dei Angelorum, & Dæmonum requi-

2. De Cœlo tex.60.

rimus exquiſitam, certam, & euidentiſſimam rationem? immo ſi illa à Theologis, & ex principijs quidem naturaliter cognitis afferatur con tendunt obſtinatè contradicere? Non arbitrantur turpè eſſe Ægiptijs, & Babilonijs credere aſſertiones de ſtellis de quibus non habent probabilitatem, quæ ſiue veræ ſiue falſæ ſint parum refert; quia nihil, vel parum conducunt ad veram felicitatem indagandam, & conſequendam, & propoſitæ aſſertioni credere nolunt à ſapientiſſimis hominibus comprobatæ; a qua ſi vera ſit, vti veriſſima eſt, vera hominis beatitudo dependet, vel perpetua infelicitas, & miſeria.

70 Animæ quippe cauſa, vel ſolius, vel maximè, ſi qua vera eſt Religio conſtituta eſt, vt dicebat D. Aug. Ad Honoratum, cap. 7. qui eſt de vtilitate credendi. Nam corporis natura quoquo modo ſe habeat nullam curam nec ſollicitudinem incutit ei, præſertim poſt mortem, qui veram beatitudinem eſt adeptus. Omnes ergo quotquot Religionem inſtituerunt, vel commendauerunt propter animam hoc fecerũt. Religionem autem omnibus commodis corporis propoſuerunt: ergo animam, propter quàm eſt Religio, præponendam eſſe corporis commodis iudicauerunt, & rationabiliter. Nam vt ſacræ literę habent. *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Certè nemo eſt qui non videat, & verè fateri non cogatur, ſempiternum malum, & pœnam longè ſuperare quaſcunque voluptates, & felicitates corporis, & vitæ mortalis: Ex hoc autem ſequitur pręcipuam curam hominis eſſe debere, Religionem prè omnibus æſtimare, atque cum caput eius ſit credere Deum, & alias ſubſtantias immateriales eſſe, abſque dubio toto corde huic notioni inhærere. Scio homines iſtos Religionem deſpicere, & pro tanto eam acceptare pro quãto putant vtilem eſſe ad cohibendum homines à ſceleribus, vt dicebat Euhemerus. Sed quis non videt hoc medium prorſus inutile eſſe ad homines cohibendos, ſi Religio non eſſet aliud niſi fictio? certè illi qui eam legibus mandarent illi non crederent, neque alios illi ex corde credituros eſſe ſperare potuiſſent. Quis enim obſequeretur præceptori vnum docenti, & ſimul illud falſum eſſe aſſerenti? Ex iudicio Atheiſtarum conditores Religionis Deum eſſe negabant, & ſeriò loquentes (quod nacta occaſione vitare non poterant cum conceptum ſermonem quis tenere non poſſit) eam non eſſe profitebantur. Alijs verò eius cultum præcipiebant: Et putabimus obſequentes populos habuiſſe? Vaniſſima certè, & ſtulta perſuaſio. Confitendum eſt itaque legum Conditores Religionem & Deorum venerationem ſicut condiderunt, ſic credidiſſe, & alijs ex animo ſuaſiſſe, & imperaſſe. Quare cum locus ab auctoritate non mediocrem habeat vim apud Dialecticos ad perſuadendum; iure aucto-

Atheiſtæ quomodo Religionem acceptant.

Ab auctoritate probatur intentũ.

Digitized by Google

ritas tot virorum ſapientum, & boni cuiusque amatorum in aſſenſum tantę veritatis meritò impellit.

Ad rationẽ Ariſt. Sed quia quidam Aduerſariorum putant Ariſt. pro ſe habere propter rationes in principio huius capitis factas; videamus quid alibi dicat, & intelligamus qualis fuerit intentio ipſius. lib. 7. Mor. Nichomachiorum. Hæc verba habet de Deo ſignificans qualis ſit vita eius. *Nam ſi alicuius natura ſimplex ſit ei ſemper eadem actio erit iucundiſſima, atque iccircò Deus ſemper vna ſimplici gaudet voluptate; neque enim motionis tantùm, ſed immobilitatis etiam operatio eſt magisque in quiete, quã in motu voluptas conſiſtit.* Ecce quod voluptatem Dei dicit conſiſtere in alia operatione, quam in motu; neque in motu conſiſtere perfectam voluptatem. Hinc deducitur quod finis, & perfectio Dei quẽ 8. Phiſ. & 12. Met. primum motorem appellat, & aliarum intelligentiarum, quas motrices orbium vocat, non eſt ipſa motio; neque ipſe abſolutè ſunt finis motionis; quia per ſe ſunt entia beatiſſima. Quare non repugnat, quod licèt orbes cœleſtes non eſſent, ipſę Deus tamen & aliæ intelligentiæ exiſterent. Idem repetit lib. 7. de Rep. cap. 1. his verbis. *Conueniat inter nos Dei teſtimonio vtentes, qui quamuis fortunatus, & beatus ſit, non tamen propter vllum bonum externum beatus, ſed ipſe propter ſe, & quia ſic cuiuſdam modi natura.* Ideo licèt 2. de Cœlo tex. 18. cap. 3. dicat. *Dei verò operatio immortalitas eſt, hoc autem eſt perpetua vita quare Deo perpetuum ineſſe motum neceſſe eſt.* Atque proinde videatur dicere Deum ordinari ad motionem perpetuam Cœli tãquam ad finem proprium: (per Deum enim non intelligit Cœlum, vt male voluit Simplicius, ſed Deum verum,) hoc tamen non intelligit eſſe primam, & propriam operationem Dei, ſed ſecundariam ex alia prouenientem, quæ eſt beatitudo intrinſeca, quæ a nullo extra ſe dependet. Vnde dicit quod Dei operatio eſt immortalitas, & quod hæc eſt perpetua vita Dei, & propter hoc neceſſe eſt quod ei inſit perpetuus motus, alioquin eſſet otioſus, quod de Deo nequit dici; motus ergo non eſt finis Dei, ſed ex alio fine priori, qui eſt immortalitas Dei, oritur. Hoc

12. Met. tex. 38. & 39. autem ex profeſſo, & clarius explicat, dum 12. Met. tex. 38. dixit à primo ente, & principio, qui eſt Deus, dependere Cœlum, & totam naturam. Et tex. 39. ſtatim incipiens explicare perfectiones illius primi entis dixit. *Degentia qualis nobis pauco tempore, optima illi eſt, ſiquidem ita ſemper illud eſt, nobis autem profectò id impoſſibile eſt, quoniam & delectatio actio huius eſt.* Operatio ergo propria, quæ eſt Dei beatitudo, eſt ſui ipſius intellectio. Motio autem primi mobilis non eſt propter eius fęlicitatem, ſed aliorũ; quia mouet in ratione amati, & deſiderati.

Deum eſſe factorẽ omniũ 72 Quod verò ipſe Deus ſit factor omnium, atque omnia ab ipſo pendeant, atque hæc ſemper fuerit ſapientiorum hominum ſententia

locus

Digitized by Google

locus Ariſt.lib. de Mundo ad Alexandrum cap.6. non eget expoſitione:habet enim hæc verba. *Vetus igitur ſermo eſt à maioribusque proditus inter homines vniuerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata, nullamque naturam ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium ſuæ ipſa demum tutellæ permiſſa ſit. Quo circa Veterum nonnulli, eò vſque prouecti ſunt, vt hæc omnia dictarent, Deorum eſſe plena hauririque eorum ſpectra ab hominibus oculis, & auribus reliquisque ſenſibus; ſententiæ illi quidem fundamenta iacientes diuinæ fortaſſe potentiæ non item diuinæ naturæ congruentis. Etenim cunctorum quæ rerum natura complectitur cum ſeruator eſt Deus, tum verò quęcunque in hoc mundo quoquo modo perficiantur, eorum omnium idem genitor eſt; non ſic tamen ipſe vt opificis in morem, animalisque laſſitudinem ſentientis labore affici poſſit, vt qui ea facultate vtatur, quæ nulli cœdat facultati, cuius ipſe vi facultatis omnia in poteſtate continet: nec minus etiam, quę longe ab ipſo videntur eſſe ſemota; ſummam ergo & primã ſedem Mundi ſortitus ea de cauſa Hypatus, quaſi ſupremus appellatus eſt. Et* (vt inquit Poeta) *in ſummo culmine vniuerſi Cœli ſuum habet ipſe domicilium ſitum, & collocatum*. Hæc Ariſt.quibus nil clarius de Deo dici poteſt. Lib.ad Alexand.

73 Quod ſi quis reſpondeat illum librum de Mundo ad Alexandrum non eſſe Ariſtot. falſa eſt imaginatio; Quod conſpicitur, quia hæc doctrina de Deo, & ſubſtantijs alijs abſtractis eſt eadem, quam tradit ipſemet Ariſt. in alijs libris, de quibus nemo dubitat eſſe Ariſt. Ariſtot. cum 1. de Cœlo text. 22. dixiſſet Deos habere pro ſuo loco Cœlum ſecundum omnes his verbis. *Omnes enim homines de Dijs habent exiſtimationem, & omnes eum qui ſurſum eſt locum Deo tribuunt, & Gręci, & Barbari quicunque putant Deos* (quod dixit propter Diagoram, & Atheiſtas alios) *tanquam videlicet immortale immortali coaptatum ſit; impoſſibile enim aliter*. Eodem 1. de Cœlo tex. 100. ſubiunxit illa verba. *Extra autem Cœlum, quod neque eſt neque contingit eſſe corpus, oſtenſum eſt. Manifeſtum igitur eſt quod neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrinſecus. Quapropter, neque quę illic ſunt nata ſunt in loco eſſe, neque tempus facit illa ſeneſcere, neque vlla traſmutatio vllius illorum eſt, quę ſuper extima poſita ſunt latione, ſed inalterabilia, & impaſſibilia optimam habentia vitam, & per ſe ſufficientiſſimam perſeuerant toto euo*. Et ſubiungit in confirmationem eorum quæ dixit, quod hoc nomen euum, ab antiquis pronuntiatum eſt ſignificare quid diuinum. Nam licèt ſignificet quidem ſpatium vitæ quod à natura vnicuique rei tribuitur, tamen propriè ſignificat tempus infinitum; & ratio, inquit Ariſt. eſt, quia ab eo, quod eſt, ſemper ſummit denominationem, & eſt immortale, & diuinum à quo immortali, & diuinò alijs communicatum eſt eſſe, & viuere: his quidem clarius, his verò obſcu-

1. de Cœlo tex.22.

1. de Cœlo tex.100.

rius,& verba eius ſunt. *Ab eo quod ſit ſemper ſumpta denominatione immortale, & diuinum. Vnde & alijs pendet his quidem exactius, his autem obſcurius eſſe, & viuere.* Non intelligit autem Ariſt. quod euum ſit illud quod alijs tribuit eſſe, & viuere, quia cum euum ſit accidens quodam non poteſt hoc efficere. Intelligit ergo hoc prouenire ab eo quod immortale & diuinum, quod euo menſuratur, quod quidem eſt Deus, & alia entia ſeparata.

12. Met. tex. 52. 74 Idem apertè habet 12. Met. vbi vult quod perfectio, & bonitas vniuerſi conſiſtat in ordine ad vnum primũ ens à quo alia dependent, & dat exemplum de exercitu, in quo eſt vnus Imperator, ad quem totus exercitus ordinatur, & à quo regitur; & de familia; & domo, in qua eſt vnus paterfamilias, & filij, & ſerui, qui omnes à Patrefamilias reguntur; & perſcrutando deinde opiniones aliorum quales fuerint circa hoc principium, & hunc ordinem adducens opinionem Anaxagoræ, (quem forſan aliquis dicere potuiſſet idem ſentire quod Ariſt.) inquit Ariſtot. quod poſuit bonum principium; quia poſuit mentem omnium principium; ſed inquit eum defeciſſe, quia cum omne agens agat propter finem, non aſſignauit Anaxagoras quis ſit finis propter quem illa mens agat. Vnde ſecundum Anaxagoram eſſet dicendum quod detur aliud mouens vltra illam mentem, & concludit quod dicendum eſt, cum ipſo Ariſt. ſcilicet quod illa mens mouet propter ſeipſam; & ſic ſequitur non dari aliud mouens ante ipſam mentem. Clarum eſt autem quod Anaxagoras ponebat mentem illam eſſe cauſam efficientem omnium, ergo Ariſtot. cum laudet Anaxagoram, & dicat eum bene ſentire, & excepto quod non declarauit quis ſit finis propter quem intelligentia mouet, qui non eſt alius, quàm ipſamet mens; clarè patet Ariſt. quoque tenere primã cauſam eſſe cauſam efficiẽtem. Verba Ariſt. ſunt illa, vbi ſupra. *Anxagoras autẽ bonum ponit principiũ, vt mouens. Mens enim mouet: verum alicuius gratia mouet; quare alterum; niſi ſit vt nos dicimus.* Quod deinde declarat exemplo artis Medicæ, quam dicit eſſe quodammodo ſanitatem; quia eſt forma ſanitatis. Vnde cum Medicina mouet, & efficit aliquid propter ſanitatem, videtur efficere propter ſemetipſam; quia ipſa quoque quodammodo eſt ſanitas. Verba Ariſt. ſunt iſta. *Ars enim medendi quodammodo ſanitas eſt.* Et Alexander in expoſitione illius loci habet hæc verba. *Si ergo Anaxagoras ad hunc modum de intellectu diſſerit, vt idem faciat mouens, idem hoc cuius gratia mouet, & omne quod mouet ipſius gratia rem motam mouere dicat, rationi conſentanea dicere videri poſſit.* Quare cum certiſſimum ſit Anaxagoram potuiſſe mentem, quam facit principiũ omnium eſſe cauſam in genere cauſæ efficientis; ſequitur Ariſtot. & Alexandrum aſſerere Deum eſſe cauſam efficientem.

Anaxagoras ponebat mentem eſſe cauſam efficientem.

Eodem

75 Eodem tex.paulò infra inquit Ariſtot. quod tam ij Philoſophi qui poſuerunt duo principia contraria, quam ij qui poſuerunt ideas coacti ſunt ponere aliud principium prius, & principalius, quod non poteſt eſſe aliud quam hic intellectus,& mens diuina. Rationem autem adducit: quia iſti non poſſunt reddere rationem quomodo generatio fiat,quomodo enim ex contrarijs ſolis aliquid fieri poteſt? Quomodo etiam ſecundum Platonicos,qui ponunt ideas poſſunt res generari per ipſas Ideas tantum,& materiam ſolam? Nam illi dicunt generationem fieri per defluxum idearum in materiam, quomodo autē fiet iſte defluxus formarū, & materia recipiet ideas, vel formas idearum, niſi ſit aliquod efficiens quod moueat vtrumque, & faciat formas in materiam recipi? Verba Ariſt. ſunt. *At tum illis,qui duo principia faciunt, aliud principalius principium neceſſe eſt eſſe: tum illis qui formas,quia aliud principalius principium eſt. Cur enim participauit, aut participat*. Alexander autem dicit in Commentario & ex ſerie textus Ariſt. eſt euidens, Illud principium principalius ſecundum Ariſt. eſſe primum ens, ſeu illum primum intellectum, & mentem. Ex hoc autem loco expreſsè habetur, quod Deus, qui eſt hic primus intellectus, eſt cauſa efficiens generationis.

76 Demum eodem tex. parum infra reprehendit Pitagoricos,qui poſuerunt numeros eſſe principia rerum hac ratione: Quia numerus non poteſt eſſe cauſa continui vt efficiens, neque vt forma; ſubſtantia autem eſt continuum quid, ergo numeri non poſſunt eſſe principia. Verba Ariſt. ſunt. *Numerus enim neque vt mouens, neque vt forma continuum faciet:* ergo ſecundum Ariſtot. principium primum debet eſſe efficiens: quia propter carentiam efficientiæ excludit numerus à ratione principij: Et infra inquit; ſi numeri eſſent principia rerum cum ſint multi, plura eſſent principia; at vbi eſt multitudo principiorum, ibi eſt confuſio, nec recta gubernatio: entia autem, & vniuerſum eſt ordinatiſſimum,ergo neceſſe eſt quod ſit vnicum principium,& princeps. Patet autem quod principium gubernans eſt cauſa efficiens, ergo Deus eſt cauſa efficiens rerum omnium,verba Ariſtot. in calce illius tex. & libri ſunt iſta. *At entia nolunt male gubernari:* audis illud verbū *gubernari?* Gubernat,ergo ille intellectus, & mens omnia entia. Ideò concludit. *Non eſt bona pluralitas principatuum vnus, ergo Princeps*. Ex his ſanè puto eſſe ſatis conſpicuum Ariſt. Deum, & alias intelligentias a prima poſuiſſe, & quidem intelligentem, & volentem, ac perfectum, ſicut veritas habet; licèt non omnia attributa Dei ipſius agnouerit, quia lumine naturali ad ea pertingere non eſt poſſibile, tamen dum probauit opinionem Anaxagoræ, & Antiquorum, qui mundum à Deo factum eſſe tradiderunt, videtur illis conſenſiſſe.

Ex prohemio Met.

77 Addere his poſſumus alias auctoritates Ariſt. eiuſdem tenoris; nam in prohemio Met. loquens de excellentia ſciētiæ Met. dicit quod ipſa eſt poſſeſſio Dei, qui ſolus eſt liber non hominis; quia humana natura eſt ſerua. Verba eius ſunt. *Quare meritò non humana eius poſſeſſio putabitur: natura enim hominis in pluribus eſt ſerua, quapropter ſecundum Simonidem Deus vtique ſolus hanc habet dignitatem*; & paulò infra probans quod ſcientia illa eſt digniſſima tam ex parte ſubiecti, quam obiecti, quia eſt in Deo, & eſt de Deo: & probans quod eſt de Deo adducit hanc rationem, quia hæc ſcientia agit de cauſis, & principijs omnium rerum, Deus autem eſt cauſa omnium rerum, & habet hæc verba. *Deus etenim tum cauſa omnibus eſſe videtur, tum quoddam principiū.* Et lib. 2. Magnorum Moralium de Deo inquit. *Talium ſiquidem Dominum præficiamus Deum, vt malà bonaque meritis diſtribuat.* De Dæmonibus verò, & alijs ſubſtantijs ſeparatis quæ non aſſiſtunt orbibus, hæc pauca ex Ariſt. adducamus. lib. 5. Met. tex. 15. cap. de ſubſtantia habet hæc verba. *Subſtantia dicuntur, & ſimplicia corpora, vt terra, ignis, aqua, & quæ talia ſunt, & vniuerſaliter corpora, & quæ ex his conſiſtunt animalia, & dæmonia, ac eorum particulæ.* Apertè ergo hic enumerat inter ſubſtantias ipſos Dæmones; atque tanquam diuerſas ſubſtantias à corporibus & Animalibus. Alexander Aphrodiſeus aſſerit Ariſt. hic Dæmones enumerare inter ſubſtantias, & dicere ea conſtare ex anima & corpore ſecundum ſententiam illorum, quibus placet Dæmones eſſe. Cæterum cum abſolutè Ariſtot. enumeret quattuor genera ſubſtantiarum, & inter eas enumeret Dæmones, nec dicat hanc diuiſionem eſſe ſecundum mentem aliorum, non debemus eius mentem ſic extorquere. nam ſciuiſſet dicere hanc diuiſionem eſſe de mente aliorum, vt ſemper facere ſolet, quando aliquid dicit non ad propriam mentem, ſubiungit deinde Alexander per Dæmonia fortè intellexiſſe corpora cœleſtia; ſed hæc expoſitio ſtare non poteſt: quia contradiſtinguit Ariſt. hoc quartum membrum ſubſtantiæ, quæ Dæmonia dicuntur, à ſecundo membro ſubſtantiæ, quam dixit eſſe vniuerſaliter corpora; per Dæmonia ergo non poteſt intelligere corpora cœleſtia. Idem non obſcurè tradit 3. de generatione Animaliū cap. 11. vbi cum poſuerit in terra, in mari, & in aere propria animalia inhabitantia, in quarta ſphera, quæ eſt ignis, & eſt ſub luna, dicit eſſe aliquod aliud genus inhabitantium ab his, quæ dicta ſunt diſtinctum & eſſe ibi quærendum, quæ ſint. verba Ariſt. ſunt hæc. *Itaque omnia adipiſcuntur, quæ ſingulis his locis adipiſcuntur. Plantas enim terræ incolas quiſpiā eſſe ſtatuerit; Aqua, aquatile, animalium genus, Aeris pedeſtre, ſed quod magis, & minus, minuſvè, & remotius, aut propius res conſtet, magna, miraque differentia exiſtit. Quartum genus non his locis quærendum eſt,* quam-

Quod Dæmones dētur ab Ariſt.

Lib. 3. de generat. anim. cap. 11.

Digitized by Google

quamquam aliquid exigit ordine ignis. Id enim quartum corpus enumeratur. Verùm ignis ſemper formam non propriam habere videtur, ſed in alio corpore, aut enim aer, aut fumus, aut terra eſſe videtur, quod ignitum eſt. Sed ſi genus hoc apud lunam quærendum eſt, hæc enim quartam illam ſubſtantiam adipiſci videtur; ſed de his aliàs. Vult ergo Ariſt. quod ſub luna, & ſupra ignem in ęthere, vt alibi dicit, ſint alia animantia inhabitantia, quæ qualia ſint differt explicandum in aliud tempus; at Animalia inhabitantia illum locum ab antiquis dicebantur eſſe Dij, ſeu Dæmones, ergo Ariſtot. videtur hanc ſententiam approbare, & cum illis ſentire; quia illam non improbat, immo dicit neceſſarium eſſe, in eo loco eſſe quartum genus inhabitantium. Alia loca enumerari poſſent de Deo, & de Dijs apud Ariſtot. quæ omitto, quia hæc quæ adduxi ſufficere poſſe videntur.

78 Ex dictis patet confutatio Argumenti in principio huius capitis adducti. Quod enim ſpectat ad Deum vidimus Ariſt. eum facere ſubſtantiam abiunctam à materia intelligentem, immo intellectum purum & ſempiternum, ac cauſam efficientem omnium, & principem Mundi, ac eius gubernatorem, dicebat enim vltimo text. 12. Meth. *Entia nolunt male gubernari, ſeu diſponi, nec bona principantium multitudo; vnus ergo Princeps.* Cum ergo gubernet Mundum, & ſit principiũ omnium, videtur neceſſariò nedum habere intellectum, ſed voluntatem, qua rebus omnibus imperet, & de omnibus prouidentiã habeat; quia prouidentia ſine his potentijs eſſe non poteſt. Deum autem habere hanc prouidentiam apertè Ariſtot. ſub nube conceſſit, non tamen apertè, & ratio, propter quam non apertè hoc faſſus ſit, eſt; quia ſecundum ſenſum videbat Cœlum ſemper eodem modo moueri. *In omnia enim,* ait, *præterito tempore, ſecundum traditam inuicem memoriam nihil videtur tranſmutatum, neque ſecundum totum vltimum Cælum, neque ſecundum partem ipſius propriam vllam.* Videbatur autem ei difficile creditu, quod ſi Deus ſit liber (licèt ratio id ſuadeat, quia libertas cõſequitur intellectualem naturam) aliquando aliter non moueret, & aliquid in Cœlo, vel ſecundum totum, vel ſecundum aliquam partem non eſſet mutatum. Ex hac enim mutatione maximè apparet in homine libertas. Non eſt autem mirum, quod hanc veritatem ita diſtinctè non nouerit, quia lumine ſupernaturali eget, quo Theologi Chriſtiani illuſtrati, hæc & alia myſteria diuina deinde explicarunt. Itaque licèt ſenſibiliter hanc veritatem non agnoſceremus, cum tamen ex ijs, quæ ex ſenſibus apparent ſecundum quæ progreſſus eſt Ariſtot. prope hunc accedamus, non debet eſſe difficile per fidem, & credulitatem ad illud peruenire, cum multa alia credamus, quæ tamen cognoſcere non poſſumus, vt ſupra viſum eſt.

Ad argumentum in principio huius capitis adductum.

De Angelis & Dæmonibus. 79 Quod verò ſpectat ad alios ſpiritus immateriales præter intelligentias aſſiſtentes orbibus, non eſt dubium Ariſt. conceſſiſſe illas dari. Si quidem pluribus in locis in Politicis docet Ciues decere colere Deos, ſed præſertim lib. 7. Politicorū cap. 12. vbi dicit Templa Deorum conſtruenda eſſe in loco idoneo. Verba eius ſunt. *Ædes verò Deorum, ac principaliſſimæ magiſtratuum comeſſationes idoneum locum habere debent, & eundem ſacra quotcunque lex non ſeparat aut reſponſum oraculi*. & paulò infra inquit. *Cum verò multitudo ciuium diuiſa ſit in Sacerdotes, & Magiſtratus, decens eſt Sacerdotibus circa ædes ſacras eſſe comeſſationes conſtitutas.* & paulò infra. *Templa quoque per regionem diſtributa eſſe debent partim Dijs, partim Heroibus*. per Heroes autem intellexit viros ſapientes, & virtute præditos, qui inter Deos computabantur à Gentilibus, de quibus infra.

Lib. 7 Polit. cap. 12.

Obiectio tacita tollitur. Ariſt. conceſſit Deos non fictè, ſed ex animo. 80 Dicere autem quòd Ariſt. hæc dixerit ad continendum populum in timore, non quia ipſe crediderit Deos iſtos, ideſt Dæmones dari, neque ipſos quidquam operari in rebus iſtis corporalibus propter quarum bonum euentum rogarent eos gentes, eſt puerilis obiectio. Quoniam, vt ſupra dicebamus, fictio hæc non multum durare potuiſſet, cum mendacia ſoleant ſucceſſu temporis facilè euaneſcere; Neque ipſe alios perſuadere potuiſſet ad hæc facienda, niſi ipſe ſic ſenſiſſet, quia præceptor magis exemplo docet quàm verbis; & demum, cum ipſe Ariſtot. profiteretur in illis libris Politicorum verum ſtatum Reipublicæ, & tutum, ac fidum modum illius adminiſtrationis tradere, ſi Religionem putaſſet figmentum hominum, potuiſſet, & debuiſſet in illis libris aliquando Magiſtratum docere non debere eſſe multum ſolicitum de Religione, ſed illa vti pro loco, & tempore ad commodum Principis & Reipublicæ, vt noſtris temporibus nonnulli Politici, immo Atheiſtæ non erubuerunt in libris ſuis populo tradere, quod tamen Ariſt. nullibi feciſſe legitur. Non eſt ergo credendum Ariſt. mendaciter commendaſſe religionem, & cultum illorum Deorum falſorum, ſed reuera ita credidiſſe.

Macchiauellus.

Ad obiectionem ex tex. 50. 12. Met. 81 Cum ergo 12. Met. tex. 50. aſſerit Antiquos multa fabuloſè de Dijs dixiſſe, non vult aſſerere, quod Deos ipſos exiſtere, & aliqua circa hæc mortalia operari, ſit fabula; optimè enim ibi ſe declarat diſtinguenda eſſe, quæ ad fabulas pertinent, & quæ ad veritatem, & inquit, primū motorem, & alias intelligentias à materia ſeparatas eſſe Deos, atque eos eſſe Deos antiquos etiam exiſtimaſſe, qui vniuerſam naturam continent, & hoc nobis tradidiſſe, & reliquiſſe, tradidiſſe tamen de eis multa ſub ſpeciebus fabularum nimirum dicentes Deos ipſos habere formam humanam, & ſimiles eſſe quibuſdam Animalibus, & ſimilia, quæ veteres finxerunt ad perſuaſionem vulgi, atque ad vſum

legum,

Digitized by Google

legum, vitæque humanæ vtilitatem. Vnde ſi quis à fabulis ſeparet id quod verum eſt nimirum illas ſubſtantias ſeparatas eſſe Deos, qui mũdum gubernant, eſt dictum diuinum, & proinde veriſſimum. Verba Ariſt. ſunt. *Quorum ſi quis ipſum ſolum primum ſeparando accipiat, quod Deos arbitrabantur primas ſubſtantias eſſe, diuinè profectò dictum putabit.* Et Alexander Aphrodiſeus in eum locum habet hæc verba. *Poſtquam docuit Deos eſſe, & tot numero eſſe quot ſpheras, qui ex diuiniſſima optimaque ſubſtantia pendeant, eique ſubiecti ſint, & quibus ab illa vt optimi, & ſint, & habeantur, ſuggeratur, ſic ait. Neque verò ipſe tantùm in hac de Dijs ſententia ſumus, ſed à Veteribus etiam priſcis hominibus in figura fabulæ accepimus Deos eſſe, non alios per fabulas ſignificantibus, quàm hos, qui à nobis aſſeruntur. ſunt igitur Dij diuinaque multitudo, quæ vniuerſam naturam omnemque mundum continet. Continet autem non corporis more, vt Modius grana tritici. Deus enim partibus vacat, ſed vt gubernator, & bonorum largitor, quique ordinem mundo quo digeſtus eſt, & ornamentum, quo decoratè ſemper ſuppeditet, Sed cum docuiſſet, quæ Veteres in fabulæ figura poſteris tradidiſſent cauſam ſuggerit, cur Antiquitas de Dijs fabuloſè quędam tradiderit, dicens (reliqua verò fabuloſè iam ſunt allata ad perſuaſionem vulgi) quaſi diceret hoc tantùm apertè prodidere eſſe ſcilicet Deos, reliqua verò quæ de ipſis dixerunt, vt Iouem ex Saturno & Rhea fuiſſe procreatum, & cætera fabuloſè commenti ſunt ad vulgo fidem faciendam, vſumque legum breuiter ad mortalium vitæ vtilitatem.* & infra. *A quibus* inquit Ariſt. *ideſt ab his omnibus, quæ de Dijs fabuloſè traduntur (ſi quis primum illud ſeparauerit) quas ſcilicet nos primas ſubſtantias Deoſque vocamus, eas illos quoque Deos cenſuiſſe (putabit dictum diuinæ fuiſſe ſanè.)* Hæc Alexander Aphrodiſeus; Adeò quod Ariſt. & Alexandrum nobiſcum habemus.

82. Argumentum verò ſumptum ex tex.48. quod non dentur aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ niſi quæ mouent orbes, ſoluitur ex hoc, quod duplex eſt finis ſubſtantiarum abſtractarum. Alter eſt finis perficiens, & hic eſt beatitudo, quæ conſiſtit in ſpeculatione veritatis, vt ait ipſemet Ariſt. 10. Ethicorum cap. 10. & hoc 12. Met. tex. 39. Alter eſt finis extrinſecus conſequens ſubſtantiam abſtractam ex perfectione ſua, licèt non perficiens ipſam, ſed perficiens alias res ad extra. Subſtantiæ mouentes ſpheras cęleſtes habent vtranque perfectionem euidenter. Aliæ verò habent perfectionem internam certò, & etiam externam, ſed non ita euidentem, quia, & ipſæ habent aliquam operationem circa hæc corporalia licèt accidentaliter; & quia iſtæ operationes non ita clarè innoteſcunt, dixit Ariſt. non eſſe ita clarum, an iſtæ dentur, ſicut clarũ eſt de alijs; ſed iã alio ſumpto principio oſtẽdamus ex ſenſibilibus alias ſubſtãtias, ab aſſiſtentibus orbibus cęleſtibus dari.

Ad argum. ex tex. 48.

Damo-

Dæmones eſſe ſubſtantias ſeparatas immortales diſtinctas ab alijs ſubſtantijs ſeparatis immortalibus, quæ mouent orbes, & ab Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ bonæ à materia etiam ſeiunctæ ex prodigijs, & operibus mirabilibus, & quaſi miraculis ab eis factis dari probatur. Caput VI.

83 NVnc propius, & ſenſibilibus rationibus probemus, præſertim dari Dæmones, qui ſunt ſubſtantiæ à materia abiunctæ inſenſibiles, quos Atheiſtæ fictiones quaſdam, & inuenta hominum exiſtimant. Hoc autem maximè probatur ex prodigijs, & operibus admirandis, quæ non niſi ſpiritus potentiſſimi, & ſupra vires humanas efficere poſſunt. Primo loco ſint prodigia, quæ narrat Lucilius apud Ciceronem lib. 2. de nat. Deorum quæ non omnia adducam, ſed iſta tantùm verbis ipſius Ciceronis. *Itaque, & in noſtro populo, & in cæteris Deorum cultus, Religionumque ſanctitates exiſtunt maiores, atque meliores. Idque euenit non temerè neque caſu, ſed quod & præſentiam ſæpe Diuinam declarant. Vt & apud Regillum bello Latino cum Aulus Poſthumius Dictator cum Octauio Maruilio Tuſculano prælio dimicaret in noſtra acie Caſtor, & Pollux ex equis pugnare viſi ſunt. Et recentiore memoria ijdem, Tyndaride Perſen victum nuntiarunt. P. enim Vatienus auus huius adoleſcentis, cum è præfectura Reatina Romam venienti noctu duo iuuenes cum equis albis dixiſſent. Regem Perſen illa die captum, Senatui nuntiauit: & primò quaſi temerè de Repub. locutus eſſet, in carcerem coniectus eſt, poſt à Paulo literis allatis, cum idem dies conſtitiſſet, & agro à Senatu, & vocatione donatus eſt.* Ex hac actione, euidenter conſpicitur, eos qui ſub nomine Caſtoris, & Pollucis ſic apparuerunt, & viſi ſunt, fuiſſe duos Dæmones, ſeu duos ſpiritus, & ſubſtantias immateriales, quæ apparuerunt in illa forma. Neque enim eſt immaginari quid aliud illi fuerint. Neque enim erant homines quoniam pro Dijs ab hominibus prudentibus, & vigilantibus non habiti fuiſſent; neque actio habita fuiſſet pro operatione diuina. Nullum autem aliud Animal hanc actionem facere potuiſſe conſtat. Nec poteſt dici quod per ſomnium factum fuerit hæc viſio; quia apud Regillum bello Latino milites non dormiebant, ſed pugnabant. & P. Vatienus non dormiebat, licèt eſſet de nocte, ſed Romam proficiſcebatur; nullus autem ſenſus eſt certior viſu. Cum ergo Dij iſti ſub his formis viſi fuerint, clarum eſt eos eſſe alterius generis ab hominibus, & illis præſtantiores, agiliores & magis ſcientificos, qui facta loginqua, & abſentium noſcant. Adde quod per ſomnium licèt aliqua videantur apparere, & videri, non tamen ita diſtinctè res repræſentantur, ſed aliquæ illarum ſimilitudines, & ſi aliquando per ſomnium res diſtinctæ vt geſtæ ſunt repræ-

Apparitio Caſtoris, & Polucis.

repræſententur per vim Dæmoniacam, vel Angelicam, & demum per aliquam ſubſtantiam ſpiritualem, ſuper naturam humanam, & omnem ſubſtantiam corpoream fieri neceſſe eſt. Sed hæ duæ viſiones non in ſomnis apparuere, ſi Ciceroni credendum eſt. Negare autem huius hiſtoriæ veritatem eſt omnino ſine ratione, quia ſic poſſemus negare fuiſſe Ciceronem, & illos libros fuiſſe Ciceronis, & ſimilia, quę abſurda ſunt.

Prodigia Dęmonū adducta à D. Auguſt.

84 Sed adducamus quædam alia miranda, quæ non niſi poteſtate Dæmonum potuerunt fieri, quæ commemorat D. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 16. quæ auctores fide digni narrant, nec D. Aug. falſa, ſed vera fuiſſe non habet pro inconuenienti. Priori loco ſit illud de Attio Nauio, qui nouacula ſecauit Cotē, qui eſt lapis ille, quo nouacula acui ſolet quod narrat Cicero lib. 1. de Diuinatione his verbis. *Quis veterum ſcriptorum non loquitur, quæ ſit ab Attio per lituum regionum facta deſcriptio, qui cum propter paupertatem ſues pauper paſceret, vna ex his amiſſa, vouiſſe dicitur, ſi recuperaſſet, vuam ſe maximè ei daturum, quæ maxima eſſet in vinea. Itaque ſua inuenta ad meridiem ſpectans in vinea media conſtitiſſe dicitur; cumque iam quatuor in partes vineam diuiſiſſet, treſque partes aues abdixiſſent, quarta parte, quæ erat reliqua in regione diſtributa mirabili magnitudine vuam, vt ſcriptum videmus, inuenit. Qua re celebrata cum vicini omnes ad vnum de rebus ſuis referrent erat in magno nomine, & gloria. Ex quo factum eſt, vt eum ad ſe Rex Priſcus accerſeret, cuius cum tentaret ſcientiam auguratus, dixit ei ſe cogitare quiddam; idne poſſet fieri conſuluit; Ille augurio acto poſſe, reſpondit. Tarquinius autem dixit ſe cogitaſſe. Cotem nouacula poſſe pręcidi. Tum Attium iuſſiſſe experiri; Ita Cotem in comitium illatam inſpectante & Rege, & populo Nouaculam eſſe diſciſſam. Ex eo euenit vt & Tarquinius Attio Nauio vteretur, & populus de ſuis rebus ad eum referret; cotem autem illam, & Nouaculam defoſſam in comitio ſupraque impoſitum puteal accepimus.* Hæc Cicero ſuis verbis. Conſtat autem erectam fuiſſe ſtatuam eodem loco ipſi Attio Nauio, ſub cuius ſtatua locus erat ſubterraneus, quem puteum appellabant Aram habens, & Attij nouaculam ibidem defeſſam, ſupra autem vmbella impoſita, erat puteum tegens. Hoc prodigium eſt notorium coram Rege, & populo factum ſtatua inſignitum; ideò ſi quæ hiſtoricis credenda ſunt, hæc maximè videntur. Actionem autem illam quod Cos, ideſt lapis ille, quo nouacula acuitur, ſcinderet nouaculam, non potuit niſi Dæmon aliquis, & ſubſtantia potentior humana, & incorporea efficere, vt eſt ex ſe patens, cum nullum aliud inſtrumentum, nec corpus vllum aliud admotum fuerit.

Attio Attij Nauij, quæ nouacula ſecauit Cotem.

85 Aliud miraculum, ſeu prodigium refert ibi D. Aug. quod non niſi

niſi à Dæmonibus factum fuiſſe poteſt,& eſt regreſſus Deorum penatum Troia aduectorum ab Ænea Alba Lauiniũ, quod Valerius Max. 1.lib. memorabilium refert his verbis. *Referam nunc quod ſuo ſæculo cognitum manauit ad poſteros. Penates Deos Aeneam Troia aduectos Lauinij collocaſſe; inde ab Aſcanio eius filio Albam, quam ipſe condiderat tranſlatos priſtinum ſacrarium repetiſſe. Et quia id humana manu factum exiſtimari poterat,relatos, Albam voluntatem ſuam altero tranſitu ſignificaſſe.* Subiungit ibidem Valerius eum non latuiſſe variam, & ancipitem opinionem de motu,& voce Deorum humanis oculis, auribuſque percepto; ob hoc tamen non fuiſſe dicens id quod prius traditum erat, perinde ac vanum refugerre. Non eſt ergo ambigendum de hoc prodigio an extiterit nec ne, licèt de modo illorum motus, & diſceſſus variæ extent opiniones. Si ergo illa Idola Deorum penatum ſeipſis Alba Lauinium redierunt nulla ope humana, quod diligenter obſeruauit Aſcanius, ſequitur id factum fuiſſe virtute Dæmonis, atque proinde Dæmones eſſe,& eſſe ſubſtantias inuiſibiles,& incorporeas humana natura ſuperiores,& præſtantiores.

Redditus Deorum penatum Alba Lauiniũ.

86 Aliud adducit euidentius prodigium D. Aug. eodem loco de Serpente Epidaurio qui placide, & libere cum legatis Romanis ab Epidauro Romam nauigauit; quod, quia non videtur aliquo ſubterfugio velari poſſe quin ſerpens ille fuerit aliquis Dæmon ſub forma Serpentis,vel ſerpens a Dæmóne confictus vel naturalis,ſed rectus virtute ſuprahumana, integrum, ex Valerio Max.lib. 1.cap. 1. ſub titulo de peſtilentia ſuis verbis libenter adduco. *Sed vt cæterorum quoque Deorum propenſum huic vrbi numen exequamur, triennio continuo vexata peſtilentia noſtra Ciuitas cum finem tanti, & tam diuturni mali, neque diuina miſericordia, neque humano auxilio imponi videret; cura ſacerdotum inſpectis ſibyllinis libris animaduertit non aliter priſtinam recuperare ſalubritatem poſſe, quàm ſi ab Epidauro Aeſculapius eſſet acceſſitus. Itaque eò legatis miſſis vnicam fatalis remedij opem auctoritate ſua, quæ iam in terris erat ampliſſima impetraturam ſe credidit. Neque eam opinio decepit. Pari namque ſtudio petitum, ac præmiſſum eſt præſidium, è veſtigioque Epidaurij Romanorum legatos in templum Aeſculapij, quod ab eorum vrbe quinque millibus paſſum diſtat, perductos, vt quicquid inde ſalubre laturos ſe exiſtimaſſent pro ſuo iure ſummerent benigniſſimè inuitauerunt: quorum tam promptam indulgentiam numen ipſius Dei ſubſecutum verba mortalium cœleſti obſequio comprobauit. Si quidem is Anguis, qui Epidaurij rarò, ſed nunquam ſine magno ipſorum bona, viſum in modum Aeſculapij venerati fuerunt per vrbis celeberrimas partes, mitibus oculis, & leui tractu labi cœpit, triduoque inter religioſam omnium admirationem conſpectus haud dubium præ ſe appetitæ clarioris ſedis alacritatem*

Prodigiũ de Serpente Epidaurio.

critatem ferens ad triremem Romanam perrexit; pauentibusque inuſitato ſpectaculo nautis, eò conſcendit, Vbi Quinti Ogulini Legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per ſummam quietem eſt conuolutus. Tum Legati perinde atque exoptatę rei compotes expleta gratiarum actione cultuque anguis à peritis accepto, lęti inde ſoluerunt, ac proſperam emenſi nauigationem. Poſtquam Antium appulerunt, anguis, qui vbique in Nauigio remanſerat prolapſus in veſtibulo ędis Æſculapij miſto frequentibus ramis diffuſa ſupereminentem excelſa altitudinis palmam circumdedit perque tres dies poſitis quibus veſci ſolebat, non ſine magno metu Legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antienſis templi hoſpitio vſus, Vrbi ſe noſtræ ad vehendum reſtituit, atque in Ripam Tyberis, egreſſis Legatis, in inſulam, vbi templum dicatum eſt, tranſnauit: aduetuque ſuo tempeſtatem, cui remedio quæſitus erat, diſpulit. Hæc Valerius. Inueniant quæſo hic Atheiſtæ, & illi qui negant dæmones eſſe ſubſtantias ſeparatas à materia excellentiores, & potentiores natura humana, & quæcunque ſubſtantia corporea quid dicant. Certè hoc prodigium conuincit eorum cæcitatem. Negare autem hanc Hiſtoriam eſſe veram, quam tot Hiſtorici, & facta ipſa Romanorum cum legatione, & erectione Templi confirmant, eſt mera ſtultitia.

87 Simile huic eſt aliud prodigium adductum ab eodem D. Aug. eodem loco de Tucia Virgine Deæ Veſtæ, quæ in teſtimonium ſuæ pudicitiæ cribro aquam ex Tyberi hauſit, & in Templum Veſtæ Deæ detulit. de qua ſic ſcribit Valer. Max. lib. 8. cap. 4. *Eodem auxilij genere Tuciæ Virginis Veſtalis inceſti criminis reæ. caſtitas infamię nube obſcurata emerſit, quę conſcia certè ſinceritatis ſuę ſpem ſalutis ancipiti argumento petere auſa eſt. Arepto enim cribro Veſta inquit, ſi ſacris tuis caſtas ſemper admoui manus, effice, vt hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in Ædem tuam perferam. Audacter, & temerè iactis votis Sacerdotis, rerum ipſa natura ceſſit.*

Prodigiũ de Tucia Virgine Veſtali.

88 Aliud refert non minus admirabile factum ibidem D. Aug. de Q. Claudia Virgine Veſtali à pluribus ſcriptoribus adductum. *Cum ergo Nauis, qua mater Deorum ex Peſſimunte Phrigię Romam aduehebatur heſiſſet in Tyberi, nec vi virum, bouumque dimoueri poſſet. Q. Claudia Veſtalis, quę aduerſo pudicitię rumore laborabat, quod cultus eſſet ſtudioſior, diſcincta Zona, & naui alligata, precata Deam, vt ſi caſtam ſe noſcet, volens ſequeretur. Nauem duxit: cui poſtea ſtatua eſt erecta ante ędem magnę Matris, quę in ſua baſe ſemper ſtetit cum bis fanum illud conflagrauerit.* Auctores huius faciunt Valerium Max. Liuium Lucanum. Vide annotationes in eum locum in D. Auguſt. Quamplura alia huiuſmodi miracula legi poſſunt apud auctores, quæ adducere non eſt opus, cum iſta ſatis firmam fidem facere poſſint dæmones eſſe. Hæc

Prodigiũ de Quinta Claudia.

autem,

autem, quæ adducta ſunt, eſſe vera non eſt dubitandum, niſi omnia quæ oculis noſtris non videmus negare vellimus, quod eſt ridiculum, vt ſuprà diximus. Vnde D. Aug. loco cit. & alibi ſæpe, non negat illa miracula, ſeu potius opera miranda facta fuiſſe, ſed apertè concedit, & tamen ſi non exiſtimaſſet eſſe vera, potuiſſet negare, quia diſputat ibi contra falſos Deos gentilium; quos minimè dignos aliquo cultu intendit oſtendere; quod facilius obtineret, ſi hæc facta miranda eos feciſſe negaret. Non negat autem, ſed inquit huiuſmodi miracula Dæmonum, magnitudine, & multitudine non eſſe comparanda cum miraculis factis à Deo, & Angelis bonis, cuiuſmodi ſunt ea, quæ narrantur in teſtamento veteri, de tranſitu maris rubri ſiccis pedibus, & ſimilibus; & miraculis in nouo teſtamento relatis. Nemo dicet eſſe illuſiones ſenſuum: nimis enim aperta, & publica facta ſunt. Deinde ſi concedant eſſe illuſiones ſenſuum, iam concedunt quod intendimus, quia non niſi virtutem ſupra res corporeas habens hanc illuſionem facere poteſt. Neque enim Magia naturalis ad tam excelſa facta pertingere poteſt; ſed de hac re in ſequentibus, vbi oſtendemus huiuſmodi mira, non potuiſſe, neque poſſe fieri ab hominibus per ſcientiam rerum naturalium, nec à Magis virtute rerum naturalium, neque ſyderum cœleſtium; ſed fieri à ſpiritibus, & à ſubſtantijs intellectualibus, quas Dæmones dicimus eſſe, & obiectiones Aduerſariorum ſoluemus.

89 Idem probatur efficaciter ex oraculis, in quibus certū eſt Dæmones reſponſa diuerſa dediſſe gentibus. Nam Græcorum extant hiſtoriæ, de Oraculis, & reſponſis plurimis, quæ omnia enumerare longum eſſet. celebriora oracula fuerunt Iouis Dodonei, qui reſponſa dabat propè Ciuitatē Dodona in regione Epyri ſita in nemore, quod Ioui erat Sacrum, in quo erat Templum ipſi dicatum, atque hoc oraculum apud Græcos vetuſtiſſimū fuiſſe fertur. Oraculum Iouis Ammonis, qui in diſertis Libiæ colebatur ſub arietis forma, quem etiam appellabant Iouem arenarium, quia templum miræ magnitudinis in arena erat conſtitutum. Oraculum Iouis Trophonij in antro quodam in Libaida regione Boetiæ conſtructo reſponſa dabat. Præ cæteris verò extitit Oraculum Apollinis Delphici celeberrimum, ad quod ex omnibus partibus orbis terrarum conueniebant gentes ad accipiendū reſponſa; & Hiſtoriæ plenæ ſunt reſponſis, quæ Pythius Apollo Athenienſibus, Lacedemonijs, Taygetis, Argiuis, Corinthijs, & alijs gentibus dederit, & alia multa apud Plutarcum in opuſculo cur oracula ceſſauerint, & alios extitere quæ non oportet adducere, quia Aduerſarij vt rem notiſſimam negare non auderent.

De Oraculis.

90 Huic argumento quod quoque eſt euidentiſſimum Aduerſarij non audent negare hæc oracula extitiſſe, quia ſic oporteret negare hiſto-

hiſtorias, quas ipſi non videmus, immo omnes res quas ſenſibus non cernimus. Sed illud infirmare conati ſunt tam veteres quam recentiores negando reſponſa illa data fuiſſe à Dæmonibus, qui ſint ſubſtantiæ intellectuales à materia ſecretæ; Sed illa reſponſa fuiſſe hominum, aſtutoque artificio ad decipiendos auditores eſſe compoſita. Vnde ambigua, & ad verum libet ferè ſemper exiſtebant. Effectus verò mirabiles, ſeu miracula, quæ ſimulacris tribuebantur naturaliter facta fuiſſe ab ipſis hominibus ex magia naturali aſſerunt. *Reſponſio Aduerſariorum.*

91 Atque hæc quidem reſponſio virorum ſapientum eſt, quæ de multis eorum factis verificari poteſt; at de omnibus quidem eſt impoſſibile. Quare dato quod aliquando id veritatem habuerit, non tamen ſemper cenſendum eſt ſic rem ſe habuiſſe. Vnde Euſebius qui lib. 4. de præparatione euangelica hanc reſponſionem affert, & dicit. Aliquos ſic reſpondere potuiſſe, tamen abſolutè concedit illa miranda, & reſponſa facta fuiſſe à Dæmonibus. Vnde deinde contra Porphirium, qui ſuſtinebat Dæmones fuiſſe, qui reuera darent illa reſponſa, & facerent illa miranda, oſtendit fuiſſe mendaces, neque ex his actionibus debere exiſtimari Deos, ſed impios ſpiritus inimicos humani generis, & ſubditos poteſtati veri Dei, quem nos Catholici Chriſtiani colimus. *Refellitur.* Euſebius.

92 Præterea Ariſt. fuiſſe oracula, & reſponſa dediſſe fatetur, licèt neget illa reſponſa à Dæmonibus, vel à Deo data eſſe, ſed ex cauſis naturalibus ſcilicet ex intemperie corporis vario modo diſpoſito eueniſſe nititur oſtendere. Vnde in problematibus ſec. 30. inquit, *At quibus habitu natura tali conſtiterit mox bis multa, & varia morum genera exoriuntur, prout ſcilicet alius aliam, habitus intemperiem habitus eſt, Exempli gratia in quibus multa, & frigida bilis eſt aſtra, hi ſtolidi ſunt, & ignaui; in quibus per multa, & calida ij perciti, quod ingenio ſi amaſij, propenſi ad omnem excandeſcentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. Multi etiam propterea quod ille calor, ſedi mentis in vicino eſt. morbis veſaniæ implicantur, aut inſtinctu Lymphatico inferueſcunt, ex quo Sybillæ efficiuntur, & Bacbe, & omnes, qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur, cum ſcilicet id non morbo ſed naturali intemperie accidit.* Nouit ergo Ariſt. oracula, dare reſponſum, eſſe Sybillas, & alias fatidicas per quas Dæmones reſponſa dabant; licèt autem dicat hoc ex intemperie corporis accidiſſe, hoc eſſe falſum infra oſtendemus. *Ariſt. fatetur fuiſſe oracula.*

93 Alium locum adduco ex Ariſt. quo reſponſa oraculorum nouiſſe Ariſt. probem nec refutaſſe, & conſequenter approbaſſe. De hiſtoria animalium lib. 3. cap. 20. aſſerit captum quemdam in inſula Lemno gigniſſe interdùm magnam quantitatem lactis; ſed hoc dicit anumerandum potius eſſe inter monſtra, & miracula, quàm factum eſſe *Alius locus ex Ariſt. pro oraculis.*

Digitized by Google

eſſe à natura: quia fertur quod Dominus illius capri, conſulens oraculum, reſponſum accepit à Deo, quod incrementum peculij erat ſibi futurum. Verba Ariſt. ſunt hæc. *Muribus magna ex parte nec beſtijs nec hominibus gignitur lac; fieri tamen poteſt, vt aliquibus interdum gignatur. Nam & in Lemnio Inſula capro ex mammis, quas geminas iuxta genitale gerit, tantum lactis emulgebatur, vt coloſtra inde conficerent, quod idem etiam proli maſculæ capri illius euenıſſe accepimus, ſed hæc portentis annumeranda potiùs ducunt. Nam & Lemnio illi, pecoris Domino conſulenti Deus amplius incrementum peculij futurum reſpondit.*

94 Habemus ergo in primis, quod licèt aliqui antiquitus negauerint reſponſa oraculorum fieri à Dæmonibus, tamen multi, & plurimi confeſſi ſunt fuiſſe operationes Dæmonum propriè dictorum, cuiuſmodi fuit Plutarchus in opuſculo de defectione oraculorum in principio, Iamblicus de miſterijs Ægiptiorum, Pſellius, & multi alij, præcipuè autem Porphirius Philoſophus acutiſſimus, & innumeri alij vt Platonici, Stoici, & præſertim poteſtates, & principes, ac Reſpublicę, & Imperatores Romani, qui ſuis legibus ſtatuerunt Dæmones in huiuſmodi oraculis, & ſtatuis adorari, & ſtrenuè aduerſus Martires Chriſti hanc credulitatem & fidem tutati ſunt, quod ſolum teſtimonium ſufficere valeret. Neque enim credibile eſt, quod tot leges & homines prudentiſſimi paſſi fuiſſent ſic ab hominibus aſtutis decipi. Vnde videmus quod cum oracula tempore Chriſti cœperunt deſinere aſtutia hominum improborum, & inimicorum fidei Chriſtianę, nō potuerunt his deceptionibus illa conſeruare. Quod tamen non fuiſſet difficile ſi opera humana eſſent; neque enim defuerunt, nec his temporibus deſunt inter tot ſectas infidelium aſtuti homines, qui propter lucrum, vel alium finem in hoc eniti curarent. Plutarchus autem in lib. de defectione oraculorum vult illa reſponſa in oraculis emanaſſe, non à Dæmonibus, ſeu Dijs, ſed à Genijs. Nam recitatis multorum opinionibus de naturis ſuperioribus, ſequitur Heſiodū, quē dicit diſtinctè ſtatuiſſe quatuor genera præditorū ratione, quæ alij confusè tradiderunt. Primum Deos, deinde Genios, poſt Heroes, vltimo homines; probareque nititur neceſſarium eſſe dari Genios, & contra alios negantes eos diſputat ibi, aſſeritque eſſe Deorum miniſtros auctoritatibus Philoſophorum Heraclij, Empedoclis, Platonis, & aliorum, & tandem concludit iudicatque Genios cum Heſiodo eſſe mortales, licèt quoddam magnum æuum viuant, quod probat ex narrationibus quorundam, qui de morte Geniorum teſtabantur, præſertim autem ex narratione cuiuſdam viri non fatui, quam narrationem autenticam feciſſe videtur auctoritas Cæſaris, & Senatus Romani, quæ ſic habet verbis Plutarchi. *De morte autem Geniorum narrationem audiui viri nequa-*

Plutarchus. Iamblicus. Pſellius. Porphirius.

Plutarchus oracula à genijs prodire dicebat.

Heſiodi opinio de prędictis ratione.

De Genijs ſecundum Plutarchum.

De morte Geniorum.

nequaquam fatui, aut vani Aemiliani Rethoris, quem, & nonnulli veſtrum audiuerunt. Pater fuit Epitheſes ciuis meus, & Grammatice Doctor; Is aiebat ſe aliquando in Italiam nauigare intendiſſe, & conſcendiſſe nauim, qua & mercibus, & multis vectoribus eſſet onuſta: Sub veſperas verò, cum iuxta Echinadas eſſent, ventum poſuiſſe, Nauimque in certo curſu prope Paxas delatam: vigilaſſe tum vectorum pleroſque, multo etiam non à cœna potaſſe. Tum ſubito ab Inſula Paxis auditam fuiſſe vocem, quę Thamum quemdam nominatim cieret non ſine admiratione hominum. Erat autem Thamus iſte Aegiptius gubernator paucis vna vehentium de nomine notus. Hunc bis vocatum ſiluiſſe, tertio vocanti ſe dediſſe, eumque contenta voce dixiſſe. Vbi ad Palodes Veneris annuncia Magnũ Panẽ eſſe mortuum. Perterritos, aiebat Epiterſes, hoc audito, vniuerſos, ac inter ſe diſputaſſe; præſtaret ne exequi hoc mandatum, an verò omittere, neque quicquàm curioſi agere. Thamum autem ſtatuiſſe ſi ventus ſpiraret tacitum ſe prætervecturum: ſin Malacia ad eum locum perueitis exiſteret expoſiturum quod audiuiſſet. Poſtquam ad Palodes peruentum fuit, cum neque ventus eſſet, nec fluctibus mare exagitaretur Thamum è pupi verſus terram proſpexiſſe, ac quod inaudiuerat dixiſſe, Mortuus eſt Magnus Pan. Vix tum conticuiſſe illum, & gemitum magnum exauditum fuiſſe, non vnius ſed multorũ admiratione mixtum. Quod autem fieri ſolet cum euenit, quid multis teſtibus pręſentibus, ſtatim rei famam Romæ fuiſſe deductam. Thamumque à Tiberio Cęſare fuiſſe accerſitum, ac Cęſarem ita pro certo credidiſſe, & de Pane illo diligenter inquiſiuerit. Doctos vero quos ille multos ſecum habebat coieciſſe eum eſſe, qui Mercurio, & Penelopa fuiſſet natus. Habuit autem Philippus teſtes quoſdam ex ijs, qui tum vna aderant, & Aemiliani iam ſeni auditores fuerant. Hæc Plutarcus, qui deinde alias hiſtorias ſimiles adducit, & confutat Epicureos negantes hos Genios dari. & demum concludit oracula defeciſſe; quia Genij, quæ in ipſis oracula dabant reſponſa, mortui erant, vel aliò progreſſi erant.

95 Etiam in opuſculo de Genio Socratis diſputans quidnam illud eſſet confutata opinione illorum, qui dicebant Dæmonẽ, ſeu Genium Socratis fuiſſe ſternutationem. Quando enim ſternutatio fiebat ab alio ad partem dexterã ante, vel poſt ſui ipſius ſternutationem ſolitus erat conferre ſe ad agendum, ſin à ſiniſtra fieret ceſſaſſe. Quando verò ſternutatio fiebat ab ipſo Socrate aliquid facturo confirmabat ſuũ propoſitum. Quando verò fiebat inter agendum putabat illam inhibere illam operationem atque ita dicebant ipſam ſternutationem genium Socratis ſeu Dæmonem ipſum regentem fuiſſe. Sed hanc opinionem reijcit Plutarchus, & ſimul nititur exponere, quod iſte Genius Socratem admonens de eo, quod ſibi agendum, vel faciendum eſſet non erat vox pura, vt aliqui exiſtimabant, & putabant ſic eſſe intelli- *De Genio Socratis.*

Digitized by Google

gendum dictum ipſius Socratis in Theage. *Adeſt mihi diuina quadam ſorte Dæmonium quoddam à prima pueritia me ſequutum. Hoc enim eſt vox quædam, quæ vim ſit ſemper eius rei, quam facturus ſum diſſuaſionem demonſtrat, prouocat verò nunquam. Quod ſi quis amicorum meorum quandoque communicat extatque vox illa, hoc illa diſſuadet, neque facere ſinit*, &c. Et pergit plura dicens de illo Dæmone, ſed inquit Plutarchus fuiſse Genium quidem, at non vocem, vel ſono aliquo alloquentem Socratem, ſed vocem intus alloquentem, & docentem mentem Socratis. Quod varijs perſuaſionibus non eſse impoſſibile, ſed probabile ibi probare contendit. Licèt ergo falſum ſit Genios iſtos dari diuerſos, & diſtinctos à Dæmonibus. Nihilominus habemus quod ſecundum Plutarchum Dæmon Socratis erat aliqua ſubſtantia diſtincta ab ipſo Socrate, eò nobilior, ſuperior, atque præſtantior, quod eſt id quod nos intendimus.

Ex diuinatione.

96 Aliud argumentum accedit certiſſimum ex diuinatione; certum eſt enim aliquos aliquando futura, vel abſentia prædicere, & ſic viſa certa eſse compertum fuiſse; diuinationem autem de rebus futuris & abſentibus nulla vi naturali fieri poteſt, ergo dicendum eſt fieri arte Dæmonum; vel virtute diuina, vt ſacræ litteræ in his quæ pertinent ad Religionem noſtram Chriſtianam tradunt; Maiorem propoſitionem omnes veteres præter quoſdam paucos concedunt, ſed in primis Ariſt. lib. proprio c. 1. de diuinatione per ſomnium; aſserit enim de diuinatione, an ſit eſse quęſtionē ambiguā, neque eſse oīnò reijciendam, neque oīno accipiendā; & rationes adducit ꝓ parte affirmatiua, & pro parte negatiua. Pro parte affirmatiua primo adducit opinionē vulgarem omnium hominum, quod diuinatio quandoque fiat per ſomnium. Cum autem ſit opinio communis neceſse eſse, vt habeat aliquam veritatem. Præterea inquit diuinationem habere cauſam aliquam, & proinde non eſse abijciendam; ſed deinde in aſſignando cauſam errat; negat enim cauſam diuinationis eſse Deum, ſed vult eſse complexionem melancolicam. Affirmat ergo Ariſtot. dari diuinationem ſaltem per ſomnium, quæ eſt rerum futurarum, vel abſentium præcognitio. Nos autem probabimus infra diuinationis cauſam non poſse eſse ipſam naturam melancolicam, ſed neceſſariò eſse à Deo, vel à Dæmonibus; & rationum Ariſtotelis vanitatem oſtendemus. Omitto alias probationes, quod diuinatio detur; quia, vt Ariſt. dicit eſt res apud antiquos vniuerſaliter conceſsa, vt patet per Aruſpices, Augures, Ariolos, qui apud gentiles in vſu fuerunt non niſi propter diuinationem.

Argumentū ſumptum ex Magia.

97 Vltimo datur Magia, quæ eſt ars inuocandi Dæmones, qui ſunt ſubſtantiæ, & ſpiritus ad faciendum maleficia hominibus; ad faciendum

ciendum prodigia, & ſimilia quæ nec homines, nec cauſæ naturales efficere poſſunt; ergo dantur Dæmones, qui ſunt ſpiritus ſupra naturam corpoream, & humanam, à quibus hæc maleficia fiunt. De hac re libet proferre verba Platonis in conuiuio, vt intelligatur q̃ hæc eſſent conceſſa ab antiquis. In conuiuio ergo circa mediũ habet hęc verba. Dio. *Magnus ò Socrates Dęmon. Etenim omnis natura Dæmonum inter mortales Deos ve eſt media.* Soc. *Quam vim habet?* Dio. *Interpretatur, & traijcit humana ad Deos, diuina ad homines, horum quidem preces, & ſacrificia, illorum præcepta ſacroſque ſolemnes inſtitutiones, & ordinem in vſumque medij conſtitutam, totum complet, vt vniuerſum ſecum ipſo tali vinculo connectitur. Per hanc vaticinium omne procedit, Sacerdotumque diligentia circa ſacrificia, expiationeſque, & incantationes, & diuinationem omnem, atque magicam Deus quidem homini non miſcetur, ſed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos, homineſque conficitur, & vigilantibus nobis atque dormientibus. Quicunque harum rerum peritus eſt, Dæmonius, ideſt fęlix vir, & ſapiens nuncupatur, qui verò alias artes, & facultates quæ manibus explentur callent mercenarij nominantur. Enimuerò hi Dæmones multi ac varij ſunt.* Et ij de Rep. verſus finem (non ſecundo vt citauit Codronchus) habet hæc verba, quibus exprimitur expreſſe ars magica cum omnibus inſtrumentis, quibus Magi noſtrorum temporum vtuntur in veneficijs agendis, vt ceręæ imagines, & ſimilia. Verba Platonis ſunt iſta. *Bipartito enim generi humano venena officiunt; primò enim, vt modò diximus, corporibus, corpora ſecundum naturam læduntur. Deinde Magicis veneficijs, & cantibus, nodiſque quibuſdam perſuadetur ijs quidem, qui officere ſtudent, poſſe id aſſequi: illis vero facilè admodum ab illis veneficijs lædi poſſe. Hæc verò cæteraque huiuſmodi quò pacto natura ſe habebat, nec facile ſciri poſſunt; nec ſi quis ſciat alijs perſuaderi. Sed animis hominum circa hæc egrè ſuſpitioſeque inter ſe affectis haud admodum dignum eſt conari perſuadere. Vt ſi cerea ſimulacra, ſiue iannis, ſiue in triuio, ſiue in monumentis parentum viderint, hæc omnino deſpiciant, cum certam de his opinionem nullam habeant.* Et paulò poſt ſubiungit. *Quippe qui veneno nocere nititur, ſi corporibus id illaturus eſt; ſimiliter qui Magicis cantibus id tentat ni Aruſpex monſtrorumque interpres ſit. Sed iam lex iſta de venenis huiuſmodi ſanciatur, qui non ad mortem hominis, ſed pecorum, aut examinum veneno vtitur, ſiue etiam vt aliter quàm morte beſtijs noceat; ſi medicus ſit, & veneficij reus fuerit iudicatus, morte ſupplicium luat. Sin verò medicinę ignarus iudicium quid pati, dareve ipſum oportet conſtituat. Quando verò quis nodis, inductionibus, cantibus ſimilibuſque veneficijs ad nocendum paratus deprehenſus eſt. Si Aruſpex aut prodigiorum interpres ſit, occidatur. Sin verò non fuerit iudicium de ipſo ſimiliter quid dare pative debeat ſtatuat.* Hæc Plato.

Plato in conuiuio.

98 Ex quibus vides Magicam artem, quæ etiam noſtris temporibus eſt in vſu notam fuiſſe antiquis, atque legibus prohibitam fuiſſe, quas omnes referre longum eſſet. Videri poſſunt, Mercurius Triſmegiſtus in Aſchlepiade; Philoſtratus in Apollonio Tianeo; Porphirius in Epiſtola ad Acerbonem Sacerdotem; Iamblicum de myſterijs Ægyptiorum; Procuum in commentarijs ad Alcibiadem; Pſellum, & alios, & licèt quædam à Poetis fabulosè dicta ſint de Magicis effectibus, vt illud Virgilij.

Carmina vel Cœlo poſſunt deducere lunam
Carminibus Circæ ſocios mutauit Vliſſis
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Nihilominus plurima alia non fabulosè, ſed veriſſimè ſcriptos effectus legimus, vt ſuprauidimus; Et conſentiunt Medici, Fernelius de rerũ abditis cauſis lib. 1. cap. 16. Codrõchus de morbis veneficis lib. 1. cap. 1. qui alios adducunt; præterquam quod, & ſacræ litteræ id teſtantur de Pythoniſſa, de Magis Pharaonis, & alijs. Ego exemplum vnum adducere decreui, quod noſtra hac tempeſtate accidit viro excellenti Baptiſtæ Codroncho Philoſopho, ac Medico illuſtri Imolenſi, quod quidem ipſe narrat lib. ſuo de morbis veneficis, ac veneficijs, quo motus materiam hanc de maleficijs, & Dæmonibus exquiſitè inueſtigare decreuit; cum prius illam omnino tanquam falſam omnino deſpiceret, ſicuti noſtri Atheiſtæ qui Dæmones negant; narrabo autem illud verbis eiuſdem Codronchi ſic.

Maleficium Dæmoniacũ ex Codrõcho.

99 *Vt interim ſileam mille hiſtorias, quæ leguntur apud Ioannem Niderin ſuo præceptorio, & fornicario; apud Henricum inſtitorem; Syluestrũ Prierium in libris de ſtrimagarum Dæmonumque mirandis; Iacobum Spinger in ſuo malleo Maleficorum; Alphonſum de Caſtro in eo quod ſcripſit de punitione hæreticorum; Paulum Ghirlandam in tractatu de ſortilegijs; Ioannem Bodinum in Dæmonomia, & multos alios. Et illud tantùm memoriæ proddam quod mihi ſat erit. Annis enim ſuperioribus Franciſca filia mea decem menſes nata, apud nutricem inſigni maciè eſt affecta; ſæpe, ac ſæpius magna ſuſpiria edebat, & quando defaſciebatur ſemper plorabat egreque ferebat ſe defaſciari præter puerorum morem, qui quamuis ſint malè affecti, vel dolore aliquo detenti, cum faſcie ſoluuntur quieſcere, ac delectationem capere tum ſolent, nulla inuenta cauſa præter naturali affectus, nutriceque mutata, cum in deterius laberetur ſubijt ſuſpicio vxori meæ cum eſſet puella admodum venuſta inuidentiæ cauſa, vel odij cuiuſdam vetulæ veneficio eſſe affectam. Quapropter culcitram inquirens nonnulla ſigna veneficij reperijt; ciceres nempè, grana coriandrorum, fruſtum carbonis, & oſſis defuncti, rem quandam compactam mihi incognitam, quam fieri ab his improbis fæminis ex quibuſdam cum ſanguine menſtruo mixtis retulit quidam*

Digitized by Google

dam peritus exorciſta. Præterea quaſdam plumas filis artificioſè inſertas, vt pileo, vt moris eſt facile applicari poſſent: quibus omnibus igne benedicto combuſtis, & adhibitis per triduum exorciſmis, & alijs remedijs ſacris, cœpit melius habere, & carnem aſſumere, ita vt curatam exiſtimaremus. Nihilominus tranſactis nonnullis diebus, cum eſſet valdè inquieta, & multum ploraret, eodem lectulo denuò explorato inuenta ſunt nonnulla alia inſtrumenta; quibus crematis ſanitati reſtitui viſa eſt: Attamen in plenilunio menſis, cum plorabunda noctem totam inſomnem duxiſſet, manè colore cinericio fuit affecta, & ita mutata facie ab ea quæ veſpere erat, vt eſſet res non minus lachrymis, quàm admiratione digna: Explorato denuò lectulo inuenta ſunt fruſtula duo nucis ſiccæ, & oſſis albi, nouem vel decem oſſa piſcium, quæ erant fabricata inſtar pectinum, quibus capita pectuntur cum quibuſdam corrollis mira arte ex varijs rebus paratis; quibus igni traditis mutata domo, & omnibus alijs, & validioribus per exorciſtam peritum adhibitis auxilijs Dei beneficio, abſque vllo remedio naturali conualuit. Hæc Codronchus; quibus ſtatim ſub unxit hæc verba ſequentia. *Quod quidem veneficium fortaſſe Deus permittit vt in mea puella experire, quod in alijs parum credebam veritatis habere. Pro quorum morborum cognitione, & curatione cœpi quærere libros huius profeſſionis eosque legere, & illis fidem habere; ex quibus peritoque exorciſta cum multa didicerim, & in multis ægrotantibus obſeruauerim, libenter hunc laborem ſuſcepi alijs opitulandi ſtudio. Inter alios auctores quos mihi legere contigit fuit Claudius Gulliandus interpres ſacrarum litterarum eruditiſſimus, qui interpretando Epiſtolam D. Pauli, quam ad Galatas miſit, agens de faſcino adamuſſim morbum filiæ meæ ſcribit: Quem Gallicè à quibuſdam dicitur (le mal del Vauldorrerie) & ex quo infantes tabeſcunt, macreſcunt, miſerè torquentur, & aliquando inceſſanter clamant, & flent; quæ omnia ſymptomata, & ſigna in filia mea obſeruaui; Ex quo vnicuique patere poteſt quàm vera ſint hęc, cum idem morbus, cum eiſdem ſignis auctore Dæmone, nunc, & multis ab hinc annis in Flaminia, & Gallia inferatur à veneficijs.* Hæc Codrõchus, qui cum fuerit Philoſophus, & Medicus peritiſſimus, & experientia nedum in filia; ſed in alijs hanc veritatem comprobauerit, certè cuicunque non omnino obcęcato fidem facere poteſt.

Cap. 5.

100 Placet adducere aliud experimentum (inter multa adducta ab eo quæ omitto) ex Fernelio Medico Excellentiſs. & doctiſs. lib. 2. de abditis rerum cauſis cap. 16. qui habet hæc verba. *Iuuenis alius familia equeſtri paucis ante annis corporis concuſſione, & quaſi concluſione ex temporum interuallis laborauit, qua nunc ſolum ſiniſtrum bracchium, nunc dextrum, interdum etiam digitum vnicum, aliàs crus alterum, aliàs vtrumque, aliàs corporis truncum, tanta celeritate exagitaret, vix vt à miniſtris quattuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcuſſum iacebat, lin-*

Maleficium ex Fernelio Medico.

gua, & locutio libera, mens ſana, omneſque ſenſus integri, vel in conuulſioſionis ferocia. Decies minimum quotidie corripiebatur, in interuallis ſanus, ſed labore confractus. Vera epſilepſia iudicari poterat. Si mentis ſenſuumque læſio acceſſiſſet. Peritiſſimi quique Medici adhibiti conuulſionem epilepſiæ finitimam à maligno, venenatoque vapore ſpinæ dorſi impacto cenſuerunt, e quo vapor in eos neruos emanaret, qui à ſpina in artus quoquo verſum non autem in cerebrum diſſeminantur. Brut. *Sana ea quidem me iudice ſententia.* Eudo. *Hæc credita cauſa, vt ſummo veretur Chyſteres imperantur frequẽtes, purgationes omnis generis, & validæ cucurbitulæ infiguntur neruorum initijs fotus, vnctiones, emplaſtra, primumque diſcuterẽt, deinque roborarent venenatamque malignitatem obterrerent. His parum proficientibus ſudores prohiciuntur, balneis, eſtuarijs, & guaiacine ebeni decocto, quæ nihilo magis profuerunt* Brut. *Quid quæſo, cur tam acuratis remedijs id malum non ceſſit?* Eudo. *Quoniam omnes longe aberramus à cognitione veri. Nam menſe tertio primum deprahenſus Dæmon quidam totius mali auctor, voce inſuetiſque verbis, ac ſententijs, tum latinis, tum græcis (quanquam ignarus linguæ græcę laborans eſſet) ſe prodens. Is multa attendentium maximeque medicorum ſecreta detegebat, ridens quod eos magno periculo circumueniſſet, quodque irritis pharmacis corpus hoc penè iugulaſſent; quoties laborantem pater inuiſebat, is procul à conſpectu inclamabat. Appellentem hunc arcete, & ab ingreſſione propulſate, aut torqueum è ceruice detrahete: ex hoc enim (vt Gallorum torquatis equitibus in more eſt) Diui Michaelis imago propendebat. Si ſacra diuinaque verba coram legebantur ferocius ſubſultabat, & inhorſeſcebat. Cum intermiſſio erat ferociæ, laborans in quiete omnium meminerat, quæ inuitum ſe protuliſſe fatebatur, & dolebat: Cæremonijs, & execrationibus compulſus Dæmon negabat ſe crimine damnatum, & ſpiritum ſe nuncupabat; interrogatus quis eſſet, aut quomodo, & qua hæc poteſtate moliretur, dixit multa eſſe domicilia in quæ ſe recondat, & in quiete ad alios comigrare; ſe in hoc corpus iniectum à quodam, cuius nomen non efferret à pedibus ingreſſum in Regiam, & à pedibus egreſſurum cum præſtitutus dies aduenerit.* Hæc Fernelius.

101 Quibus ſi addas communem conſenſum legis Dei, Conciliorum, legum Canonicarum, Conſtitutionum Pontificum, Sanctorum Theologorum ex vna parte, & ex alia legum humanarum, & ipſorum Gentilium Principum, Hiſtoricorum ex profeſſo de alijs rebus ſcribentium; item confeſſionem Magorum ipſorum confitentium huiuſmodi crimina, & eorum punitionem à iudicibus factam, certe nulla poteſt eſſe euidentior demonſtratio.

Opinio

Opinio eorum, qui effectuum mirabilium prædictorum cauſas eſſe volunt corpora cæleſtia, non Dæmones, impugnatur. Caput Septimum.

ADuerſarij qui negant Dæmones dari, & ſubſtantiam aliquam ſupra hanc naturam corporeã, & immaterialem, mirum in modum torquentur, vt inueniant cauſas effectuum mirabilium, quos in præcedenti capite adduximus. Aliqui enim recurrunt ad corpora cœleſtia, vt Mathematici, & Aſtrologi; alij ad Magiam naturalem; alij ad temperamentum corporis; alij ad imaginationem, vt Philoſophi quidam, & Medici; quæ omnia quàm ſint impoſſibilia facile eſt oſtendere.

103 Et primo incipiendo à corporibus cœleſtibus ſic argumentantur, omnis multitudo reducitur ad vnitatem, & omne diforme ad aliquod vniforme principium; ſed actiones, & euentus ſublunares, etiam hominum, tam ad vitia, quàm ad virtutes pertinentia, ſunt varij, & multiformes; ergo debent reduci ad aliquod principium vniforme, & vniformiter mouens, ſed tale eſt ſolum corpus cœleſte, ſiue corpora cœleſtia, quia illa ſola ſolum vniformiter mouent. ergo dicendum eſt illa eſſe cauſas omnium rerum admirabilium, quæ fiunt in hoc mundo, & non in Dæmones; & ſic in corpora cęleſtia referunt cauſas prędictorum effectuum mirabilium, non in Deum, vel in Angelos, aut Dæmones. 1. Rõ Mathematicorũ, & Aſtrologorum.

104 Secundo, ſi Cœlum, ac ſydera non eſſent omnium ſublunariũ effectuum cauſæ, Aſtrologi non adeò frequenter bellorum exitus, ac alios euentus prædicere poſſent. At hæc verè prædicunt; ergo eorum cauſas agnoſcunt; cognita enim cauſa cognoſcitur effectus; & ignorata cauſa, ignoratur effectus; cauſæ autem illorum effectuum dicunt Aſtrologi eſſe corpora cœleſtia. ergo corpora cœleſtia ſunt illorum effectuum veræ cauſæ. 2. Ratio.

105 Tertio, corpora cęleſtia, vt ſydera, alia ſunt fortunata, alia infortunata; planetæ habent ſuas proprietates, & quæcunque in vita aguntur ea, ſtatis, certiſque temporibus planetę ipſi efficiunt, & ideò quæ caſu, & fortuna euenire dicuntur, ex actione, & diſpoſitione corporum cœleſtium illud ſolum efficitur. 3. Ratio.

Quod confirmant, quia Magi, quando aliquod maleficium efficere volunt, recurrunt ad ſyderum obſeruationem, & regulantur penes diſpoſitionem planetarum. *Confirmatio.*

106 Pro Aſtrologis ab alijs ſic arguitur. Eſt commune axioma Philoſophorum & Theologorum, mundum inferiorem ſuperioribus motibus eſſe cõtiguum, atque omnem ſuam virtutem à ſuperiori pendere, 4. Ratio.

dere, & gubernari, ergo quidquid fit in hoc mundo ſublunari, totum fit virtute orbium & corporum cœlorum, tanquam per cauſam efficientem, & conſequenter monſtra, & prodigia ſuperiori cap. adducta ex Val. Max. & alijs non ab aliquo Dæmone, ſed à conſtellationibus tunc temporis concurrentibus fiunt.

5. Ratio. 107 Idem adhuc experientia comprobatur. Nam videmus ad motum ſolis per eius acceſſum, & receſſum anni tempora variari, & aduenire verem, æſtatem, autumnum, & hyemem; videmus etiam per hanc varietatem habitus, & conditiones omnes viuentium variari, vt conſtat de frugibus, arboribus, & ipſis elementis. Præterea in eodem die per motum ſolis videmus variam mutationem aeris; aliter enim de mane, aliter in meridie, aliter veſperi, aliter de nocte; luna quantas habeat vires in omnia corpora, præſertim fluxiora, vt in mari quo ad fluxum, & refluxum omnes norunt. Vnde videmus tot obſeruationes lunæ in agricultoribus, paſtoribus, nautis, de lunæ motibus tot ſæculis obſeruatas. cum ergo euidentiſſimum ſit corpora cœleſtia ſolem, & lunam hæc agere, in hæc inferiora non eſt negandum, reliqua corpora cœleſtia, & ſydera habere actiuitatem permutandi corpora iſta inferiora ſibi ſubiecta, ac inducendi monſtra, & prodigia, & alios effectus per virtutes eorum particulares, quamquam ocultas nobis, quas tamē ſapientes poſſint cognoſcere, & futura præuidere, & alijs prædicere, non ſecus ac Medici, paſtores, agriculæ, ac Nautæ faciant.

6. Ratio. 108 Sexto. Certum eſt aeris habitum, tempeſtateſque ex ſtatura, & poſitione ſyderum variari; calorem, frigus, ſiccitatem, humiditatem, & quaſcunque impreſſiones, quæ in aere fiunt à corporibus cœleſtibus motibus, & influxibus generari, & ex his cauſari abundantiam fructuum, & annonæ, vel illorum charitatem. Quis negabit a ſtellis, nō modò tempeſtatum mutationes, terremotus, ſed peſtilentias quoque, & morborum varia genera, in pecoribus, in hominibus; Item corporis temperaturam, bilæ acretionem; vnde bella, ſeditiones oriuntur; & demum ea quæ ad externa, ſed cum his conexa, vt ſunt honores, dignitates effici poſſe? Si autem iſta in nobis, & in animalibus, & elementis efficere poſſunt, non eſt negandum etiam prodigia, opera miranda, morbos, & quæ videntur faſcinationes, & incantamenta, & à Dæmonibus propria virtute facta, à ſyderibus cœleſtibus generari.

7. Ratio. 109 Vltimo multa videmus ſupra vires noſtræ mortalitatis fieri. Vt prodigia quæ diximus; multa videmus præter rationem, & meritum in curſu rerum humanarum fieri; plurima præter ordinem, & inſtitutum conditionis humanæ. Videmus hunc habilem ad Philoſophiam, illum ad Poeticam; alium litteras aſpernantem, vel ciuile negotium; Alium bella armaque felicius tractare, & ſimilia: hæc varietas,

rietas, & opera ſupra naturam non ab alia cauſa produci poſſe videntur præterquàm à ſyderibus. ergo illa eſſe cauſas omnium rerum admirabilium, dicendum eſt.

110 Opinio iſta quàm euidēter ſit falſa, & rationes iſtæ quàm ſint imbecilles nullo negotio oſtenditur. Quod opinio ſit falſa hac inuicta ratione probat. Corpora cœleſtia ſunt cauſæ vniuerſales non particulares; ad effectus autem particulares, vltra cauſam vniuerſalem effectiuam, & remotam, requiritur cauſa particularis, & proxima efficiens. Sicut enim ad generationem hominis, & cuiuſcunque alterius rei particularis ſublunaris, vltra cauſas vniuerſales Deum, & ſolem, requiritur homo particularis proximè generās hominem; ita ad quoſcunque alios effectus particulares, vt ſunt ſerpens Epidaurius, tranſlatio Deorum Penatuum Alba Lauinium, & reliqua ſuperius adducta, vltra concurſum corporū cœleſtium requiritur cauſa proxima, & particularis, quam non poſſumus aſſignare niſi ponamus eſſe Dæmones. Quod patet, quia in hiſtorijs nulla alia cauſa particularis aſſignatur, nec iſti, qui dicunt cœlos eſſe cauſas horum operum mirabilium, vllam cauſam particularem aſſignant; Secundum Philoſophiam autem, vt dictum eſt, in omni effectu vltra cauſam vniuerſalem requiritur cauſa particularis, & proxima, à qua ſpecificatur effectus; cauſa enim, propter quam homo generat hominem, & non ęquum, prouenit à cauſa particulari, & proxima, non à motu cœlorum, qui eſt cauſa vniuerſalis omnium motuum particularium ſublunarium.

Reijcitur allata opinio.

1. Ratio.

111 Præterea ſcirem libenter quis ſyderum motus, vel aſpectus cauſa fuerit, vt Virgo illa Veſtalis ſola hauſerit aquam cribro, & detulerit in Templum Deæ Veſtæ; & iterum altera Veſtalis traheret Nauim Matris Deorum Zona, quam millia hominum, & bouum dimouere non poterant. Quare hunc effectum produxerit in iſtis mulieribus, & non alijs? ſi ręcurrant ad natiuitatem, ſeu ad conceptionē factam ſub tali ſigno; oportebit alias mulieres ſub eo ſigno ortas, & conceptas eundem effectum facere, quod tamen non euenit; recurrere ergo ad corporum cœleſtium motus, & proprietates, quæ ſunt naturales, & ſemper eædem ſunt, tanquam ad cauſas proximas, & particulares, eſt pluſquam ridiculum; cum hæc ſingularia facta pro monſtris, & miraculis, quæ inſolita ſunt, habeantur, & exiſtant. 2. Ratio.

112 Tertio. Si corpora cœleſtia eſſent cauſæ proximæ horum effectuum, & rerum Magicarum, & actionum humanarum; ſequeretur illa neceſſariò euenire, non autem ad libitum hominum. At veneficia, incantationes, & effectus Magici fiunt pro arbitratu Magorum ad eorum placitum, & guſtum, vt patet. ergo antecedens patet; quia corpora cœleſtia ſunt ordinatiſſima, & motus eorum ſemper eodem mo- 3. Ratio.

do

do ſe habent. Minor eſt euidens, quia homines liberi ſunt, & agunt quando volunt vt experientia videmus. Quod enim corpora cœleſtia non tollant liberum arbitrium; certiſſimum eſt etiam ſecundum Philoſophos omnes qui factum negāt, vt ſunt præſertim Peripatetici.

Reſponſio ta cita reijcitur

113 Quod ſi quis dicat cum aliquibus corpora cœleſtia hos effectus producere non ſe ſolis, ſed quibuſdam figuris, characteribus, ac numeris, in ſublunaribus, vel ab aliquo Mago, vel forte caſu factis, qui habent ſimilitudinem cum characteribus figuris, ac numeris cœleſtibus, & à cœleſtibus virtutem accipiunt, ad huiuſmodi effectus producendos ad eum modum, quo Echo ex oppoſito pariete cauſatur, & ſicut radij collecti in cauo ſpeculo repercuſſu corpus oppoſitum inflammant, atque iſta pro cauſis ſecūdis inſeruire ad hos effectus miros producendum. Contra hæc reſponſio eſt pura imaginatio fictitia. Primo hæc reſponſio non iuuat Aſtrologos, qui dicunt omnia euenire ſola virtute corporum cœleſtium, nō autem virtute aliquarum figurarum in ſublunaribus inuentarum, totam enim cauſam efficientem volunt eſſe in conſtellationibus, & ab illa effectus ipſos produci. Venefici autem & Magi, qui ad hoc effugium concurrunt facilè decipi probatur: quia fictitium, & vanum eſt in Cœlo certas figuras, & characteres reperiri, quibus figuræ & characteres ſimiles in ſublunaribus reſpōdeāt. Quis enim neſcit nullas in cęlo eſſe veras vrſas, leones, & angues, & alia quæ pinguntur ab Aſtronomis in ſuis ſpheris artificialibus? omnia ſunt ficta, & ad placitum poſita ad diſtinguendum ſtellas abinuicem. Cum ergo omnia iſta ſint fictitia, optimè ſequitur ab huiuſmodi figuris, & fictionibus effectus iſtos, & prodigia monſtruoſa quæ adduximus fieri non poſſe, ſed neceſſariò recurrendum eſſe ad aliquam ſubſtantiam immaterialem, quæ iſta efficiat. Exempla autem adducta ab aduerſarijs nullius momenti ſunt, quia illa ſunt de rebus realibus non fictitijs, vt patet de Echo, & ſpeculis incendiarijs.

Ad illud de numeris Mathematicis.

114 Quæ autem dicūtur de numeris Mathematicis, omninò vana ſunt. Cum enim numeri ſint quantitas nimirum diſcreta, & quantitas nullam vim habeat effectiuam, vt ex Philoſophia patet, quæ omnem actiuitatem qualitatibus tribuit, ſequitur numeros nullum effectuum prædictorum, neque aliorum efficere poſſe. Eſt enim ſermo de numero formali non de numero numerato; quia illæ eſt res realis, quæ numeratur, de qua non eſt dubium ſi eſt actiua conferre ad actionem, ſed de illa nunc non eſt ſermo.

Ratio ex Ariſt. 12. Met. cōtra actionem numerorum.

Sufficiat ratio Ariſt. lib. 12. Met. tex. 56. in quo probat contra Pitagoricos numeros nō poſſe eſſe principia rerū, quam infra adducemus.

4. Ratio.

115 Quarto conſtans doctrina eſt corpora cœleſtia agere in hæc inferiora ſolo lumine, & motu: De influentijs eſt difficultas, an corpora

Digitized by Google

pora cœleſtia habeant aliquas proprietates particulares, ſecundũ quas agant in hæc inferiora. Sed quicquid ſit de hac quæſtione certum eſt quod illæ influentiæ, & virtutes ſi dantur, non poſſunt communicari rebus ſublunaribus niſi mediante motu vel lumine, quia ſuperiora nõ coniunguntur his inferioribus, niſi per motum, & lumen; omnis autem actio phyſica fit per contactum phyſicum, & corporeum. Motus autem, & lumen, & iſti influxus ſunt res naturales, naturaliter agẽtes, ideo ſemper eodem modo agentes. Si ergo monſtra, & effectus illi ſimiles miraculis à corporibus cœleſtibus producerentur motu, vel lumine, vel aliqua occulta influentia, ſemper iſti effectus producerentur, & non ſemel, ſicuti aurum, & metalla in viſceribus terræ producuntur, & Helitropium ſequitur motum Solis, & magnes trahit ferrum, & fluxus, & refluxus maris continuo fit, & ſimilia, quæ ab auctoribus ponentibus influentias fieri dicuntur, ſemper, & continuo fiunt.

116 Neque valet dicere, quod hoc prouenit ex indiſpoſitione materiæ. Quia materia de ſe nec eſt quid, nec quale, &c. Et nullam habet formam, vel qualitatem ſecundum quam ſit magis, vel minus capax; ſed eſt pura potentia reſpectu omnium formarum ad quas eſt in potentia, ideò tota diſpoſitio & varietas in materia oritur in his compoſitis ſublunaribus à forma: in huiuſmodi autem effectibus ſimilibuſque miraculis nõ poteſt eſſe diuerſitas ab aliqua forma ſublunari; quia aduerſarij totam cauſalitatem eſſe à corporibus cęleſtibus volunt. Neceſſe eſt ergo quod forma ſit inducta à ſydere cęleſti ſecundum eius proprietatem; vel ſecundum eius lumen vel motum; quæ omnia cum ſint naturaliter agentia, & ordinatiſſima, neceſſariò quoque efficerent continuo hos effectus, vel ſaltem, vt plurimum; quod tamen videmus eſſe omnino falſum. Neque enim ſingulis annis, vel ſemper certis annis ſerpens Epidaurius proficiſcitur Romam; nec Quinta Claudia ſemper itidem certis temporibus trahit Nauim deferentem ſimulacrum Matris Deorum, & alia quæ ſupra narrauimus certis temporibus redeunt; at ea quæ à corporibus cęleſtibus efficiuntur videmus ſingulis annis euenire; vt terræ & arborum fructus, ſpecies animalium, eædem ſemper ſunt, eodem modo viuunt, generantur, & conſeruantur, & ſic de alijs. Actiones humanæ variantur, quia à libero arbitrio pendent, quòd non eſt ſubiectum cęlo: niſi quodammodo per accidẽs, quatenus cęlum agit quoque in corpus humanum; Quæ autem per accidens eueniunt & præter ordinem vniuerſi, ſunt monſtra, & entia imperfecta; effectus autem adducti ſupra, ſunt quaſi miracula, & ſupra naturam, & conſequenter nobiliſſima entia; ergo non poſſunt produci à cęlo per accidens, ergo à Dæmonibus proueniunt.

Obiectio tacita reijcitur

117 Quarto fundamentum Aſtrologorum, quod hæc quaſi miracula 5. Ratio.

cula

Cōtra fundamentum Aſtrologorũ.

cula & prodigia ſint à corporibus cœleſtibus non habet ſoliditatem realem. Quæro enim vnde ipſi nouerunt huiuſmodi effectus prouenire à corporibus cœleſtibus; ſi dicant hoc didiciſſe à Caldeis, Ægiptijs Platonicis, quærimus vnde Caldei, Ægiptij, & Platonici hoc didicerint. ſi dicant vt ſe iactant, obſeruatione, & experientia per quadrigentum ſeptuaginta millia annorum, dicimus hoc eſſe purum figmentum; Quod ex eo maximè patet; quia huiuſmodi obſeruationes, & experientias non millies, ſed neque ſemel, ne dicam bis obſeruare potuerunt. Quoniam facies Cœli, & poſitura omnium corporum cœleſtium, quæ ſemel fuit vel nunquam, vel ſolum poſt ſex, & triginta annorum millia, in quo ſpatio temporis octaua ſphera, in qua ſunt ſtellæ fixæ, complet curſum ſuum, vt præcipuè Mathematici ſe probaſſe profitentur redit. Hanc rationem Phauorinus apud Aulum Gelium lib. 14. cap. 1. & plures alij efficacius conficiunt; ſed contra Aſtrologos non deſunt qui ſcribant Ioa. Picus eruditiſſimè, eos confutat in libris contra Aſtrologos & ſufficiat hoc quod Ariſt. qui diligentiſſimus corporum Cœleſtium perſcrutator fuit, ſi Aſtrologia aliquid veritatis contineret eam non omiſiſſet: Cum ſi vera eſſet nulla eſſet præſtantior ſcientia. Quid enim nobilius, & præſtantius eſſet, quàm omnia præterita, præſentia, & futura cognoſcere in per ſe cauſis proximis, pręſtantiſſimis, æternis, & infallibilibus? Dicere ergo cauſas proximas, & immediatas, & particulares horum effectuum eſſe corpora cęleſtia eſt mera euaſio. Verùm, vt quàm abſurda etiam antiquis gentibus hæc ars Aſtrologia viſa fuerit, & ſimul quàm vana ſit placet hic ponere ad litteram diſputationem, quam habet Cicero lib. 2. de diuinatione aduerſus ipſos. Fortaſſe enim alicui gratum erit eam hic habere, ne ad inueniendum eam in Cicerone laborare cogatur. eſt autem hæc. *Ad Chaldeorum monſtra veniamus; de quibus Eudoxus Platonis auditor in Aſtrologia iudicio doctiſſimorum hominum facilè princeps, ſic opinatur, id quod ſcriptum reliquit: Chaldeis in prædictione, & in notatione cuiuſque vitæ ex natali die minime eſſe credendum. Nominat etiam Panætius, qui vnus è Stoicis Aſtrologorum prædicta reiecit; Archelaum, & Caſſandrum ſummos Aſtrologos illius ætatis, qua erat ipſe, cum in cæteris Aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non vſos. Scylax Halicarnaſſeus familiaris Panætij excellens in Aſtrologia idemque in regenda ſua Ciuitate Princeps, totum hoc Caldaicum prædicendi genus repudiauit. Sed vt ratione vtamur, omiſſis teſtibus, ſic iſti diſputant, qui hęc Chaldeorum natalitia prædicta defendunt, vim quandam eſſe aiunt ſignifero in orbe ζωδιακὸς dicitur, talē, vt eius orbis vnaquaque pars alia alio modo moueat, immutetque cælum, perinde vt quæque ſtellæ in ijs finitimiſque partibus ſint quoque tempore; eamque vim variè moueri ab ijs ſyderibus,* quæ

Phauorinus

Ioan. Picus Mirandulanus.

Diſputatio Ciceronis aduerſus Aſtrologos.

Digitized by Google

quæ vocantur errantia. Cum autem in eam ipſam partem orbis venerint in qua ſit ortus eius, qui naſcitur; aut in eam, quæ coniunctum aliquid habeat, aut conſentiens; ea triangula illi, & quadrata nominant. Etenim cum tempore anni, tempeſtatumque, Cæli conuerſiones, commutationesque tantæ fiant acceſſu ſtellarum, & receſſu; cumque ea vi ſolis efficiantur, quæ videmus: non veriſimile ſolum, ſed etiam verum eſſe cenſent, perinde vtcumque temperatus ſit aer, ita pueros orientes animari, atque formari; ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, caſus cuiusque, euentusque fingi. O delirationem incredibilem! Non enim omnis error ſtultitia eſt dicenda. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid, vt prædicere poſſint dumtaxat quali quiſque natura, & ad quam quiſque maximè rem aptus futurus ſit: cætera quæ profiteantur negat vllo modo poſſe ſciri, etenim geminorum formas eſſe ſimiles, vitam atque fortunam plerumque diſparem. Proclus, & Euriſthenes Lacedemoniorum reges gemini fratres fuerunt. At hi nec totidem annos vixerunt anno enim Procli vita breuior fuit, multumque is fratri rerum geſtarum gloria præſtitit. At ego idipſum quod vir optimus Diogenes Chaldeis, quaſi quadam præuaricatione concedit, nego poſſe intelligi. Etenim cum, vt ipſi dicunt, ortus naſcentium luna moderetur, eaque animaduertant, & notent ſydera natalitia Chaldei, quæcunque lunæ iuncta videantur oculorum fallaciſſimo ſenſu iudicant ea, quæ ratione atque animo videre debebant. Docet enim ratio Mathematicorum, quam iſtis notam eſſe oportebat, quanta humilitate luna feratur, terram pene contingens; quantum abſit à proxima Mercurij ſtella, multo autem longius à Veneris; deinde alio interuallo diſtet à Sole, cuius lumine colluſtrari putatur. Reliqua verò tria interualla infinita, & immenſa, à Sole ad Martis, inde ad Iouis, ab eo ad Saturni ſtellam, inde ad Cælum ipſum quod extremum atque vltimum mundi eſt. Quæ poteſt igitur contagio ex infinito penè interuallo pertinere ad lunam, vel potius ad terram? Quid? Cum dicunt id quod ijs dicere neceſſe eſt omnes omnium ortus quicunque gignantur in omni terra, quæ incolatur eoſdem eſſe, eademque omnibus, qui eodem ſtatu Cæli, & ſtellarum nati ſunt, accidere neceſſe eſſe; nonne eiuſmodi ſunt, vt ne Cæli quidem naturam interpretes iſtos Cæli noſce appareat? Cum enim illi orbes, qui Cælum quaſi medium diuidunt, & aſpectum noſtrum definiunt, qui à Græcis ὁρίζοντες nominantur à nobis finientes rectiſſimè nominari poſſunt varietatem maximam habeant, aliique in alijs locis ſint: neceſſe eſt ortus occaſusque ſyderum nō fieri eodem tempore apud omnes quod ſi eorum vi Cælum modò hoc, modò illo modo temperatur: qui poteſt eadem vis eſſe naſcentium, cum Cæli tanta ſit diſſimilitudo? in his locis, quæ nos incolimus, poſt Soliſtitium canicula exoritur & quidem aliquot diebus; apud Troglodytas, vt ſcribitur, ante Solſtitium: vt ſi iam concedamus aliquid vim cæleſtem ad eos, qui in terra gignuntur pertinere, confitendum ſit illis.

illis, eos qui naſcuntur eodem tempore, poſſe in diſſimiles incidere naturas propter Cœli diſſimilitudinem. Minimè illis placet. Volunt enim illi, omnes eodem tempore ortos, qui vbique ſint nati, eadem conditione naſci. Sed quæ tanta dementia eſt, vt in maximis motibus mutationibusque Cœli nihil interſit, qui ventus, qui imber, quæ tempeſtas vbique ſit? Quarum rerum in proximis locis tantæ diſſimilitudines ſæpe ſunt, vt alia Tuſculi, alia Romæ eueniat ſæpe tempeſtas. Quod, qui nauigant, maximè animaduertunt, cum inflectendis promontorijs ventorum mutationes maximas ſæpe ſentiant. Hæc igitur cum ſit, tum ſeueritas, tum perturbatio Cœli eſt ne ſanorum hominum hoc ad naſcentium ortus pertinere non dicere? Quod non certè pertinet. Illud neſcio, quid tenuè, quod ſentiri nullo modo, intelligi autem vix poteſt, quæ à luna cęteriſque ſyderibus Cœli temperatio fiat dicere ad puerorum ortus pertinere. Quid, quod non intelligunt ſeminum vim, quę ad gignendum, procreandumque plurimum valeat funditus tollit, mediocris erroris eſt; quis enim non videt, & formas, & mores, & pleroſque ſtatus, ac motus effingere à parentibus liberos? Quod non contingeret, ſi hoc non vis & natura gignentium efficeret, ſed temperatio lunę cœlique moderatio. Quid, quod vno, eodemque temporis puncto nati, diſſimiles, & naturas, & vitas, & caſus habent, parum ne declarant nihil ad agendam vitam naſcendi tempus pertinere; niſi forte putamus neminem eodem tempore ipſo, & conceptum, & natum, quò Aphricanum. Numquis igitur talis fuit? Quid? Illud ne dubium eſt, quin multi, cum ita nati eſſent, vt quędam contra naturam deprauata haberent, reſtituerentur, & corrigerentur ab natura, cum ſe ipſa reuocaſſet, aut arte, aut Medicina? aut quorum linguæ ſic inhererent vt loqui non poſſent eæ ſcalpello reſectę liberarentur? Multi etiam naturę vitium meditatione, atque exercitatione ſuſtulerunt, vt Demoſthenem ſcribit Phalereus, cum prędicere nequiret exercitatione feciſſe, vt planiſſimè diceret. Quod ſi hęc aſtro ingenerata, & tradita eſſent, nulla res ea mutare poſſet. Quid? diſſimilitudo locorum, nonne diſſimiles hominum procreationes habet? Quas quidem percurrere oratione facile eſt. Quid inter Indos, & Perſas, Æthiopas, & Syros differat corporibus, animis, vt incredibilis varietas diſſimilitudoque ſit. Ex quo intelligitur plus terrarum ſitus, quàm lunæ tractus ad naſcendum valere. Nã quod aiunt quadraginta, & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiundiſque pueris quicunque eſſent nati, Babilonios poſuiſſe, fallunt. Si enim eſſet factitatum non eſſet deſitum; neminem autem habemus auctorem, qui aut fieri dicat, aut factum ſciat. Videſne me non ea dicere, quæ Carneades, ſed ea quæ Princeps Stoicorum Panætius dixerit? Ego autem etiam hoc requiro, omnes ne, qui Cannenſi pugna ceciderunt vno aſtro fuerint. Exitus quidem omnium vnus & idem fuit. Quid? qui ingenio, atque animo ſingulares, num aſtro quoque vno? quod enim tempus, quo non innu-

innumerabiles naſcantur? At certè nemo ſimilis Homeri. Et ſi ad rem pertinet, quomodo Cœlo affecto, compoſitisque ſyderibus quodque Animal oriatur; valeat id neceſſe eſt etiam in rebus inanimis. Quo quid dici poteſt abſurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldeis rationibus eruditus vrbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab ijs parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus. Romamque cum eſſet in iugo luna natum eſſe dicebat; nec eius fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! Etiam ne vrbis natalis dies ad vim ſtellarum, & lunæ pertinebat! fac in puero referre, ex qua affectione Cœli primum ſpiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cęmento, ex quibus vrbs effecta eſt potuit valere? Sed quid plura? quotidie refelluntur. Quàm multa ego Pompeio, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari à Chaldeis dicta memini, neminem eorum, niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum, vt mihi per mirum videatur quemquam extare, qui etiam nunc credat ijs, quorum prædicta quotidie videat re, & euentis refelli.

119 Ad rationes pro Aſtrologis adductas facilis eſt reſponſio. Ad primam maior propoſitio omnis multitudo, & difformitas reducitur ad vnitatem, & vniformitatem eſt vera de cauſa vniuerſali, non de cauſa, & de principio particulari; Hæc enim ſunt plura, & diuerſa pro diuerſitate effectuum, & rerum cauſatarum, & eſt vera de effectibus naturalibus, & naturaliter productis, non de ijs, quæ à voluntate libera emanant, vt ſunt actiones humanæ: quia corpora cœleſtia ſuper illos non habent vllam cauſalitatem niſi per accidens, quatenus ſcilicet habent actionem ſuper corpora humana. Et ſic concedimus, quod prodigia illa adducta, & quaſi miracula reducuntur in corpora cœleſtia, & motum illorum, tanquam in cauſam vniuerſalem; ſed tunc eſt difficultas de cauſa proxima, & particulari à qua producuntur quæ cum nulla alia aſſignari poſſit quàm dęmon, vel Dæmones, dicendum eſt Dæmones eſſe.

Ad primam rationem.

120 Ad ſecundam clariſſimum eſt prædictiones Aſtrologorum eſſe falſiſſimas experientia ipſa, & eorũ prædictiones deridentur à Philoſophis, & Hiſtoricis, & à legum latoribus Aſtrologia iudicatoria prohibetur tanquàm falſa, ex centum enim pronoſticis vix aliquando vnum verificatur, quod caſu euenit; Et quidem Picus Mirandulanus lib. 2. contra Aſtrologos cap. 7. & 8. oſtendit artem illam diuinandi Aſtrologicam, maximè horum temporum eſſe nullius fidei, tum quia eorum pronunciata, tàm vniuerſalia, quàm particularia ſint falſa, vt ibi ipſe oſtendit; & quia recurrant ad Almanac, ſeu ad Ephemerides, quod faciendo neceſſe eſt in poſitione ſyderum multa omittere propter quæ etiam, ſi vera eſſet Aſtrologia hoc modo procedendo, neceſſarium eſſet omninò errare; tum quia eſt impoſſibile per coſtellationẽ

Ad ſecundã rationem.

Picus Mirãdulanus.

aliquam

aliquam præterita, vel futura præuideri; quia cauſa non eſt poſterior ſuo effectu, neque cum non eſt, cauſare poteſt; ideo ſi conſtellationes ſunt cauſæ rerum, tunc cauſant quando ſunt, non quando ſubſequuntur; neque quando præcedunt, & tranſeunt, vt ſcitè Picus Mirandulanus oſtendit contra eos lib.4.cap.5.& 6. & alibi. Sed neque conſtellationes poſſunt eſſe ſignum rerum futurarum, nec præteritarum, quia omne ſignum naturaliter ſignificans & non ex inſtituto hominum, vel eſt effectus rei ſignatæ, vel cauſa; at conſtellationes non poſſunt eſſe effectus rerum ſignatarum, quia a rebus ſublunaribus quas ſignificant non dependent; Neque rerum futurarum, quia illarum non ſunt cauſæ; quoniam res futura non pendet a cauſa præſenti, quæ tranſit, & non permanet: Conſtellatio autem præſentis diei tranſit; non poteſt ergo eſſe cauſa effectus futuri ad menſem, ad annum &c. vt idem Io. Picus lib. eodem 4. contra Aſtrologos cap. 12. eruditè oſtendit. Quod ſi dicant vim deriuatam à conſtellatione ſeruari; quæſo oſtendant in quo illa vis conſeruetur. Vtique aut in materia, aut in cauſis inferioribus, & ſecundarijs; ſed cum materia & cauſæ ſecundæ tot mutationibus ſint obnoxiæ, & aliæ conſtellationes de nouo ſemper aduenian, nouas vires infundentes, ſequitur priorem vim neceſſariò euaneſcere. Et eodem lib.cap.9. adducit multas prædictiones de vita, & morte virorum illuſtrium, quæ omnes falſiſſimæ repertæ ſunt.

Ad tertiam rationem.

121 Ad tertiam reſpondetur, falſum eſſe illud fundamentum. Aliqua ſydera eſſe fortunata, & alia infortunata. A Cœlo enim pendet tota natura tanquàm à cauſa, & principio efficiente, & conſeruante: cauſa autem efficiens, & conſeruans non eſt malefica, nec deſtructiua; ideò abſurdum eſt ſtatuere aliquas ſtellas eſſe maleficas. Effectus fortuiti non habent cauſam per ſe ſecundum Ariſt. ſed per accidens; effectus enim fortuitus eſt, qui euenit præter intentionem hominis agentis, vt cum quis fodiens terram inuenit theſaurum; actio enim illa eſt præter intentionem hominis fodientis terram, & eſt omninò accidentale, quod foſſio illa terræ, & locus ille terræ in quo eſt theſaurus ſimul concurrant. Vnde cauſæ proximæ ſunt omninò accidentales. Verùm licèt reſpectu intellectus, & rationis humanæ, effectus fortuitus ſit præter intentionem, & non ſit cauſa per ſe; tamen Ariſt. in lib. de bona fortuna, & 2. lib. Magnorum Moralium cap.8. ponit eſſe cauſam aliquam per ſe internam ſcilicet impetum quendam naturæ. Sed præter hanc ponit etiam cauſam externam, & hanc eſſe Deū; vt probat Scotus in quol.21. & 7. ad Eudemum cap.18. vbi ait Deum eſſe cauſam effectuum fortuitorum; & nos explicauimus in lib. de prædeſtinatione diſp.57. cap.vltimo. Et tunc Deus vel producit hos effectus per ſe immediatè, quod Ariſt. non repugnat, quia ponit animam rationalem immor-

immortalem produci à Deo immediatè facta diſpoſitione per cauſas ſecundas naturales, vt ibi diximus; Vel illam producit mediantibus corporibus cœleſtibus, ſi eſt res naturalis, quæ habeat cauſas naturales proximas, ſed ignotas intellectui, & rationi, & illi coniungitur per accidens, quatenus illa illum effectum non intendebat: Et ſic apparet, quod non datur aliquis effectus precisè proueniens ex actione corporum cœleſtium ſine concurſu cauſarum ſecundarum & proximarum, quæ ordinantur ad illum effectum à Deo per motionem illarum cauſarum præter cognitionem ipſius intellectus, & voluntatis creatæ ſecundum Philoſophos. Secundum Theologos autem effectus fortuiti habent cauſam externam præcipuè, quæ eſt Deus ipſe, qui omnia per prouidentiam ſuam gubernat; adhibendo, vel media naturalia, vel per ſe ſolum aliqua efficiendo vt Theologi docent. Satis eſt nobis quod effectus fortuiti à ſolis corporibus cœleſtibus, & conſtellationibus non proueniunt.

Ad confirmationem iam dictum eſt corporum cęleſtium virtutem, & actionem in hæc ſublunaria eſſe vniuerſalem, non particularem; & proinde falſum eſt Magos Maleficia ſua facere virtute corporum cœleſtium, & conſtellationum, ſed Dęmon eſt, qui operatur illa maleficia ex pacto: ſuadet tamen Magos conſtellationes, & motus Cœlorum obſeruare, vt eis ſuadeat à corporibus cęleſtibus cogi ipſos Dęmones, & à Magis, virtutem corporum cœleſtium ad illos effectus induci. Sunt ergo deceptiones Dæmonum. *Ad confirmationem.*

122 Ad quartum reſpondetur. Veriſſimum eſſe Mundum hunc ſublunarem gubernari à mundo ſuperiori ſcilicet à corporibus cœleſtibus. Sed hęc gubernatio tota eſt vniuerſalis, & tendit ſolùm in quattuor elementa, & in ea quæ ex illis conſtant, vt ſunt animalia, plantæ, &c. Et eſt actio vniformis, & naturalis; ideò ab illo mundo ſuperiori ſolùm res naturales producuntur, non autem ea, quæ ſuperant naturam, & ſimilia miraculis ſunt, cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſuperiori capite adduximus de Virgine Veſtali haurienteaquam cribro, & de Claudia Zona trahente Nauim Matris Deorum, quam millia hominum, & bouum trahere non poterant; & migratio ſerpentis Epidaurij Romam; Deorum penatuum Alba Lauinium, iſta enim ſuperant vim elementarem; ſunt inſolita ideò à corporibus cęleſtibus, vel ab eorum conſtellationibus minimè fieri poſſunt. Ad quartũ.

123 Vnde Pomponatius, licèt vbi ſupra dixerit ſaluari poſſe naturaliter fieri ea quæ Valerius Max. lib. 1. cap. de ſomnijs, & miraculis dicit; tamen non adduxit exempla, & miranda, quæ nos ſupra adduximus de Virginibus Veſtalibus, de ſerpente Epidaurio, & Dijs penatibus, ſed ſolùm de ſomnijs & diuinatione, & de puero, qui locutus eſt Pomponatius.

E ſtatim

ſtatim cum natus fuit. At licèt concederemus illi naturaliter locutionem, ſeu ſonum ſimilem locutioni & voci à corporibus cęleſtibus fieri poſſe; quod tamen falſum eſſe infra oſtendemus; tamen de miraculis ſupra adductis minimè poteſt concedi. Neque enim poteſt intelligi quomodo intelligentiæ per corpora cęleſtia tunc temporis fecerint, vt Claudia Zona ſua traxerit Nauim, quam millia hominum, & bouum non potuerunt mouere; Neque quod ſerpens Epidaurius tanto tempore, & tam longo itinere ita placidè ſe geſſerit. Quæ enim influentiæ ſic ſpeciatim, & continuato tempore poterant dirigere ſerpentem illum, vel pro illo tunc, ſic præter naturam influere ad motum illius Nauis; vel quæ complexio erat in Naui, vel in Zona illa, vel in corpore Veſtalis Claudiæ vt poſſet illam Nauim tunc trahere, & verbis illis dictis: Idem de Q. Tacia. Quæ enim erat complexio cribri, vel aquæ acceptæ in cribro, vt pro illo tempore non deflueret? & idem dicas de alijs. Vaniſſimum eſt ergo effugium, ad corpora cęleſtia recurrere in his actionibus; ſed abſolutè dicendum eſt fieri operatione Dæmonum; vel in rebus bonis Angelorum, & ſic concedendum eſt dari Dæmones, & Angelos diſtinctos ab intelligentijs mouentibus orbes cęleſtes.

Ad quintũ. 124 Ad quintum reſpondetur. Verum eſſe per corpora cęleſtia præſertim verò per acceſſum & receſſum ſolis anni tempora variari, habitus viuentium omnium mutari, & in eodem die plures mutationes fieri, & à corporibus cęleſtibus præſertim lunæ, fieri ęſtum maris (ſi tamen hoc verum eſt.) At cum ex his infertur eadem ratione à corporibus cęleſtibus, & eorum conſtellationibus poſſe fieri opera ſupra naturam, quæ diximus; negamus conſequentiam. Ratio eſt, quia non eſt par ratio, de illis, & iſtis: illa enim ſunt ordinaria, & naturaliter, & ſemper fiunt, & conſtant ex elementis in quæ, & compoſitis ex illis corpora cęleſtia, & cęleſtes conſtellationes habent vim, vt dictum eſt ſupra. At illa, de quibus eſt ſermo, non ſunt res elementares, nec ex illis confectæ, nec regulariter, nec continuò fiunt, ſed actus ſupra vires naturæ raró euenientes; ideò non eſt par ratio de his, & illis, & conſequenter, quod ſi illa fiunt a corporibus cęleſtibus, hæc quoque fiant, minimè valet.

Ad ſextum. 125 Ad ſextum reſpondetur. Aeris habitum, calorem, frigus, ſiccitatem, humiditatem & alias qualitates elementorum, & compoſitorum ex illis, vt humores corporis Animalium, & ſimilia duobus modis poſſe variari. Vno modo pro recta diſpoſitione rerum ſublunarium, & earundem generatione, & conſeruatione naturali. Alio modo pro variatione incongrua præternaturali & diſtructiua. Prima oritur ex corporibus cęleſtibus, quæ à natura, ſeu à Deo deputata ſunt

ad

Digitized by Google

ad gubernationem huius mundi inferioris; ideò eorum actio eſt ad cõſeruationem, non ad deſtructionem. Secunda variatio verò oritur ex inordinatis materiæ motibus, nec obtemperantibus motibus cęleſtibus regulatiſſimis. Vnde nec Plato in Timeo, nec Ariſt. in Meteorologicis, tempeſtates, & motus iſtos inordinatos tribuunt corporibus cęleſtibus, ſed pugnæ qualitatum quattuor elementorum, quæ ſi à Cęlo non continerentur intra ſuos limites citò mundus deſtrueretur; immo vt doctiſſimè Picus Mirandulanus diſſeruit, dato quod varia ſydera præſint diuerſis elementis, & qualitatibus (quod tamẽ ipſi Aſtrologi oſtendere non poſſunt, vt latè ipſe Mirandulanus oſtendit) vt Mars igni, & ſic de alijs, ex hoc deducitur potius ſydus illud nihil agere in illud elementum, vel qualitatem, niſi quod bono ordini, naturęque legibus ſit conſentaneum, atque tumultuantem illam potius compeſcere, & torpentem ſuſcitare, non autem tumultum, & torporem inducere. Idem de humoribus corporum Animalium. Nam dato quod atræ bili præſit Saturnus, Mars rubre, alius ſanguini, alius pituite, opus horum ſyderum nullum aliud erit, quàm frenare has qualitates, & eas continere in proportionata diſpoſitione. Lib. 5. cap. 21. & reliqs aduerſus Aſtrologos.

126 Adde quod aſſertionem illam Aſtrologorum, quod planeta aliquis aliquando dominetur, & ideo ab eo effectus varij efficiantur, vt ſi ſit calidus caliditatem efficiat, ſi frigidus frigiditatem, & ſic de alijs: Item quod in Cœlo ſint variæ domus & ſigna, in quibus ſydera exiſtentia varios effectus producant, vel ex eorum aſpectibus varijs id efficiant, eſt figmentum, vt optimè docet Picus Mirandulanus lib. 3. cap. 21. & lib. 6. cap. 2. & ſequentibus. Neque enim fieri poteſt, quod planeta vllus ita imperet Cęlo, vt in hoc mundo producat, prę ſertim mala, & prodigioſa, cuiuſmodi ſunt tempeſtates, bella, morbos, & huiuſmodi, & alia mirabiliora: Quoniam effectus Cęlorum reſultat non ex lumine vnius ſyderis, ſed ex luminum omnium conſpiratione; ex qua reſultat armonia in actionibus cęleſtibus, & dimanat in hæc inferiora corpora, per quam mundus, & hæc inferiora mirabili ordine, & diſpoſitione conſeruantur. Vnde planetam vnum omnino dominari, & actionem aliorum ſyderum impedire vel alterare, & actionem ſui ipſius non alterari, nec diminui eſt omninò impoſſibile.

127 Ad ſeptimam patet ex dictis ſuperioribus reſponſionibus. Varietas enim complexionum, & corporum, & diuerſitas inclinationum naturalium referenda eſt in cauſas iſtas naturales, & quæ pertinent ad vſum humanum; vt quod ille diuitias, & honores, citò conſequatur; alter incommoda, & calamitates incurrat, ex morum qualitate, ex bona praua vè aſſuetudine, ex bonitate, & malitia hominum oritur; Et quæ mirabilia maximè videntur, & ad quæuis humana Ad ſeptimã rationem.

pertingere non poteſt, in Deum, vel Angelos, vel homines referri debeat, quos pro libertate ſua poſſe hæc efficere neceſſe eſt confiteri: Non autem ad ſydera cęleſtia, quæ ſunt entia inanimata naturaliter, & eodem modo ſemper ſe habentia, & operantia, vt dictum eſt; licèt accidentaliter pro intenſione maiori, vel minori luminis, aliquam diuerſitatem quoque facere poſſent in hæc inferiora, vt oſtendit Mirandulanus lib.3.cap.12.& alijs.& hæc ſatis ſint. Qui plura optat legat Mirandulanum in prædicto opere, & alios ab eo citatos, & recentiores, qui diligentius hæc pertractant.

Opinio eorum, qui effectus prædictos prẹter naturales ex imaginatione hominis fieri contendunt, reijcitur. Caput Octauum.

128 Alij videntes imaginatiuam vim maximam habere, nixi ſunt cauſam effectuum præter naturalium, & ſimilium miraculis, quæ ſupra adduximus referre in eam, atque aſſerere in ea eſſe tantam virtutem vt non ſolùm miranda efficere poſſit in corpus ipſius imaginantis, ſed etiam in corpus alterius; atque nedum homines, & animalia remotiora faſcinare vel ſanare, ſed etiam res loco mouere, fulgura, & pluuias Cœlo deducere & ſimilia, quare effectus præter naturam ſuperius adducti ab iſtis tribuuntur imaginatiuæ tanquam cauſæ efficienti, & proinde in his non eſſe recurrendum ad Dæmones, vel alios ſpiritus ſupra naturam humanam exiſtentes, & proinde ex his effectibus non deduci illos dari.

Opinio Auicennæ. 129 Hæc autem videtur habuiſſe originem ab Auicenna lib. 8. de Animalibus cap.vlt.& 4.6. naturalium particula; & alibi, vel potius ab Algazelle à quo Auicennas ipſe ſuam opinionem accepit; vt vult Pōponatius. Pomponatius in quæſt. an ſpecies intentionalis poſſit immediatè aliquid reale efficere. D.Thomas. Nam Auicennas, vt refert D.Thomas lib.3. contra Gentiles cap.103. & Pomponatius vbi ſupra, & plures alij ex recentioribus, exiſtimauit, quod ſicut in Deo ſunt ſpecies, ſiue Ideæ rerum ſecundum quas producit res ad extra; ita in intelligentijs ſeparatis eſſent ſpecies ſecundum quas eſſent productiuæ rerum ſublunariū; immo & ipſarum intelligentiarum: putauit enim, quod vna intelligentia proueniret ab alia, & ab vltima, quam Colchodeam appellabat prouenire has omnes res creatas ſublunares immediatè. Dicebat ergo quod intelligentia ſeparata apprehendendo in intellectu ſuo aliquam rem, ſeu formando in intellectu ſuo ſpeciem intelligibilem alicuius rei; per illam poterat producere rem realem cōformem illi ſpeciei; & ſic dicebat omnes res ſublunares eſſe ſubditas illorum ſpeciebus, & ab illis immutari, & produci poſſe, & ſic intelligentias poſſe pro-

Digitized by Google

producere immediatè opera præter & ſupra naturam . Ad hunc eundem modum dicebat ſe habere ſpecies in intellectu humano practico, ſeu in imaginatiua ipſius hominis . Dicebat enim cuncta imperfectiora homine eſſe ſubdita homini , & nata eſſe obedire intellectui eius ad nutum & ratio eius erat, quia dicebat,ordinem vniuerſi eſſe,vt inferiora ſubijciantur ſuperioribus, ſicut corpora cęleſtia inferiora obediunt corporibus cęleſtibus ſuperioribus. Atque ex hoc deducebat quod homo naturaliter per apprehenſionem rerum, ſeu per productionem ſpecierum intelligibilium in ſuo intellectu,ſeu phantaſmatum in ſua imaginatiua poteſt producere tempeſtates, pluuiam, ſanitatem, morbum generationem corruptionem rerum,imperare Mari,tempeſtatibus,& facere miracula,ideſt opera ſupra naturam . Subiungebat tamen; hæc omnia non poſſe fieri à quacunque anima humana,ſed tantùm ab anima valdè nobili , & multum eleuata à materia , quales exiſtimat fuiſſe Animam Moyſis,Chriſti Domini,Mahumeti, & multorum Prophetarum,& vniuerſaliter eorum, qui ab hominibus habiti ſunt pro Dijs.

Aliorum interpretatio eiuſdem modi dicendi.

130 Alij verò quibus hæc opinio Auicennæ nimis abſurda videtur non dicunt omnia obedire ad nutum intellectui , vel imaginationi hominis : hæc enim eſt ſtultitia aperta , ſed dicunt ab imaginatione quidem effectus mirabiles fieri nedum in corpus imaginantis , ſed etiã in corpus alienum;quia ab imaginatione emituntur quidam radij, ſeu ſpiritus ex corpore imaginantis ea qualitate affecti, qua deſeruiũt imaginationi,quibus aer,& alia corpora afficiuntur,& in eis effectus intenti ab imaginatione producuntur , & particulariter in faſcinationibus dicũt aerem infici,& corrumpi ab his ſpiritibus, atque ex illa infectione contrahi morbos, & maleficia .

1. Ratio.

131 Fundamenta huius opinionis , vt patet ex D.Thoma loco cit. & ab alijs,ſummuntur primò,& præcipuè ex operationibus mirabilibus, quæ videmus operari animam noſtram . Nam cum anima noſtra habet fortem imaginationem , ſeu aliquam ſpeciem , vel phantaſma apprehendit, immutat corpus realiter , vt exiſtens in trabe in alto loco poſita facilè cadit, quia apprehendit caſum ex timore, non autem caderet ſi trabes eſſet poſita ſuper terram : patet etiam , quod ad ſolam apprehenſionem animæ caleſcit corpus , ſicut accidit in concupiſcentibus, vel iratis ; aut etiam infrigidatur , ſicut accidit in timentibus , quandoque etiam immutatur ex forti apprehenſione ad febrem , vel etiam ad lepram .

132 Et demum ſubiungunt alij ſequentes eandem opinionẽ,quod communis opinio tàm Philoſophorum , & Medicorum , quàm etiam Theologorum eſt, imaginatiuam, ſeu phantaſiam habere tantam vim in corpus proprium imaginantis , vt in ipſum valeat inducere effectus

mirabiles, vt timorem, pudorem, iram, triſtitiam, amorem, odium, inſuper calorem, frigus, mutationem coloris, & ſimilia. Item mulieres ex forti imaginatione inducere in fętus aliquando maculas, & aliquando notas aliquas pulchras, vel deformes, vt ſimilitudinem parentum, vel aliorum, quos in ęſtu libidinis dum concipiunt habent in imaginatione. Videmus ab imaginatione facultatem generatricem valde commoueri. Dum enim phantaſia obſcęnarum rerum imaginationes concipit, genitalia turgent, & irritantur ad libidinem. Accedit experientia de ijs, qui de nocte in ſomnis ambulant, & mira efficiunt, de quibus Galenus, & alij varia exempla adducunt. Andreas Laurentius lib. 4. hiſt. Anathomicæ quæſt. 12. adducit exemplum ex Galeno de quodam qui ſe ſomno correptum integrum ferè ſtadium feciſſe narrauit, nec à ſomno excitatum fuiſſe priuſquam in lapide impegiſſet.

Cum ergo videamus hos effectus prodire ab imaginatione; videtur poſſe dici ea, quæ videntur eſſe effectus præter naturam, immo ſupra naturam non eſſe reuera talia, ſed per imaginationem apparere talia; & ſic multi reſpondent veneficia, & incantationes fieri, non autem per operationes Dæmonum, vel aliorum ſpirituum ſuperiorū ad hanc naturam corpoream.

2. Ratio. 133 Secūdo. Experientia patet ex cogitatione rerum acrium dentes obſtupeſcere; & ſi quis rem aſperam, vt ferram acuat, nobis horrorem incutere aliquos videmus ex inſpectione vulneris, vel ſanguinis ex vena exeuntis deficere: Ægrotantes quamplures ex concepta de Medico bona opinione reſtitui priſtinæ ſaluti; & è conuerſo aliquos ſanos ex valida ſuſpitione de morbo aliquo ęgrotare; & ſimilia; ergo non eſt inconueniens ex valida imaginatione varios, & diuerſos effectus oriri qui videntur præter naturam, & nullam cauſam naturalem habere ab imaginatione; ergo non eſt inconueniens etiam effectus quos ſupra adduximus ex ipſa imaginatione enaſci, & produci.

Ex Ariſt. cōfirmatio. 134 Huc ſpectat illud quod habet Ariſt. in problematibus ſect. 7. problem. 3. cum ait. *Quamobrem cum ſecari quempiam, aut vri, aut torqueri, aut aliqua re tetra affici videmus animo vicem eius dolemus?* Verùm hos effectus non refert Ariſt. in imaginationem ſed in communitatem, & vniformitatem naturæ; verba enim eius ſunt. *An quod omnium communis natura hominum eſt? ignoſcimus ergo, cum tale quippiam inſpeximus propter naturæ conſortionem & familiaritatem.* Adducit aliam cauſam his verbis. *An quomodo nares, & aures delibationes quaſdam rerum obductarum pro ſua facultate concipiunt, ſic etiam affectus afficitur à re delectabili, & à triſti.* Vult ergo Ariſt. quod iſti effectus proueniant, ea ratione obiecti, quod eſt vel triſtabile, vel delectabile ipſi viſui.

Quod

135 Quod verò imaginatio agat etiam in corpus alterius ex eiſdē experientijs patet, præſertim de muliere concipiente fœtus; nam effectus prædictos producit in corpus prolis, quod eſt diuerſum ab illa. Præterea id magis confirmatur ex experientijs illis, quod quædam mulieres, etiam poſtquàm conceperunt, & gerunt fœtum in vtero, ſi videant aliquid aſpectabile dirum, effectum dirum in prolem inducunt. Referunt aliqui Vitembergæ Ciuem cadauerosa facie natum, eo quod mater vterum ferens pauefacta fuerit obuio cadauere, ſubito. Et Nicolao III. Pontifice ferunt Romæ mulierem quandam peperiſſe filium ſimilem Vrſo, eo quod (vt Medici dixerunt) in palatio quod egebat, varij Vrſi depicti cernebantur. *Quod imaginatio agat in corpus externum.*

136 Demum accedit exemplum Iacob Geneſis cap. 30. qui concepientibus ouibus in aqua propoſuit virgas decorticatas mixtas non decorticatis, quas aſpicientes oues, conceperunt agnos coloribus variatos; Quod opus licèt aliqui Patres dicant fuiſſe miraculoſum; tamen è contra plures dicunt fuiſſe naturale. Plura apud Martinum del Rio in ſuis Diſquiſitionibus magicis videri poſſunt; & in alijs ab eo citatis. *De ouibus Iacob concipientibus agnos coloribus variatos Gen. 30.*

Vnde ſic poteſt formari ratio. Illæ animi operationes nos, & alia corpora alterare poſſunt, & mira producere, quæ ſunt cauſæ internæ & externæ motus ſpirituum ad diuerſas partes cuiuſcunque corporis; ſed ex imaginatione in nobis id accidit; ergo Maior eſt clara. Minor probatur. Spiritus, ſeu ſpecies à corpore emiſſæ per vim imaginatiuam, deferuntur in aerem externum ea qualitate, qua prædìti, & affecti ſunt ab imaginatione, atque his ſpiritibus aer ipſe afficitur, & inde feruntur in corpus illud in quod imaginatio imaginantis vult deferri, & operari, & ſic illud corpus afficiunt ea qualitate qua ſunt prædìti, & eò magis operatur, quò imaginatio eſt intenſior; dicunt enim quod ſpiritus, ſeu ſpecies imaginationi deſeruiens, eſt veluti ſydus quoddam rationale, quod diffundit ſpecies, ſeu radios ſuos ſalutares, vel veneficos pró voluntate intenſa imaginantis in corpus quodcunque, & ſic efficit opera mirabilia bona, & mala pro voluntate imaginantis. *Formatur ratio.*

137 Hoc eodem modo dicunt homines diuinare, inquiunt enim, quando ſpecies & ſpiritus imaginatiuæ virtuti ſeruiens auctus eſt multum, adeo ſubtilis & penetrans efficitur, vt perquammaximè abditam reconditam, & penitus ignotam rem peruadere poſſit, atque hoc modo homo per imaginationem res occultas & abſentes, & futuras præſagire & diuinare poſſe aiunt. *De diuinatione.*

138 Hæc opinio, quàm ſit abſurda, licèt vel cęco pateat, vt propterea indigna videatur, quæ à Philoſopho refellatur, facile reprobatur. Et quidem opinio Auicennę, quæ eſt fundamentum principale *Refellitur.*

Digitized by Google

1. Ratio Pōponatij. huiuſmodi opinantium, etiam ab ipſo Pomponatio in prædicta quæſtione refellitur præſertim duabus rationibus. Prima mouens, & motum debent eſſe ſimul 7. Phyſ. à tex. 10. vſque ad 13. hoc eſt primum ſuppoſitum. Secundum ſuppoſitum eſt, quod generatio non fit abſque diſpoſitione præcedente in materia, quibus ſtantibus ſic arguitur. At nubes quam maximè diſtant ab imaginatione hominis, neque vllum habent comertium cum illa, ergo ridiculum eſt quod imaginatio per ſuam ſpeciem, ſeu phantaſma poſſit agere in nubes, & producere pluuiam, grandinem, & ſic de alijs. Quod ſi quis dicat non eſt neceſſe, quod omne agens iunctum ſit paſſo in agendo, quia agens poteſt agere in paſſum diſtans vt ſuſtinet Scotus in 1. diſt. 37. & nos ibi defendimus; adhuc nihil Aduerſarij obtinent, quia ſemper requiritur quod paſſum ſit proportionatum agenti, & ſit aptè diſpoſitum. Vnde ſecunda ratio ipſius Pomponatij, quæ eſt ſequens, tunc efficaciter concludit.

Scotus. *An agens agere poſſit in diſtans.*

2. Ratio Pōponatij. 139 Secundo ergo arguit ſic Pomponatius. Algazel & Auicenna volunt Moyſem per imaginationem eduxiſſe è ſaxo aquam, dum illā virga percuſſit & ex virga feciſſe ſerpentem ſimiliter per actum imaginationis, ſeu per ſpeciem intelligibilem (hæc enim duo confundūt.) At Generatio fieri non poteſt niſi materia prius ſit diſpoſita, neque diſpoſitio ſit in inſtanti: ergo ridiculum eſt dicere, quod Moyſes (& ſic de alijs operibus miraculoſis, verè, & etiam ſimilibus miraculis, vt quæ ſupra ex Valerio Max. adduximus, & alijs) per imaginationem ex ſilice ſtatim eduxerit fontem illum aquæ, quem tunc eduxit; & ex virga ſerpentem.

3. Ratio. 140 Tertio. Ego ſic arguo. Si imaginatiua haberet hanc potentiam, vt ipſi res omnes natæ eſſent immediatè obedire, ſequeretur, quod quodlibet agere poſſet in quodlibet; Conſequens eſt aperte falſum ex 1. Phyſ. tex. 43. neque enim Aſinus poteſt generare Leonem, nec ſemen Leonis agit in menſtruum equę, & ſic de alijs. Conſequentia probatur. Quia imaginatio ad libitum imaginantis ſecundum Aduerſarios immittit has ſpecies, ſeu ſpiritus, & radios in rem, quæ ſibi placet, & operatur quidquid imaginanti placet, quia imaginatiuę omnia obediunt ſecundum ipſos. ergo imaginans poterit velle per hos vapores & ſpecies ex Leone fieri Equum, & ex oue Serpentem; poterit facere, vt Aſinus volet, ſicut volat Aquila, quæ omnia potius dementiam ſapiunt, quam habeant ſpeciem credibilitatis.

4. Ratio. 141 Quarto. Nihil agit vltra ſuam ſpeciem, & multo minus vltra ſuum genus; At ſpecies, ſeu phantaſmata iſta ſunt entia intentionalia, & ſpiritus illi, ſeu radij ſunt exiguæ entitatis, & facilè diſpergun tur & impediūtur ab agentibus operantibus in aere ipſo, vt à nubibus, à ventis, & ab alijs, quæ in aere generantur; ergo non poſſunt habere

vim

Digitized by Google

vim attingendi corpora,& res valdè diſtantes;quod tamen contingit in operibus præter naturam adductis, vt in motu de Dijs Penatibus, de Serpente Epidaurio, & ſimilibus.

142 Quinto. Si imaginatiua per huiuſmodi ſpiritus, & ſpecies efficere poteſt hæc opera mirabilia, neceſſe eſt quod emittantur è corpore imaginantis ad externa per aliquem ſenſum, vt per viſum, vel tactum, vel aliquem alium ſenſum. At infra oſtendemus, quod per nullum ſenſum, neque per vocem huiuſmodi effectus fieri poſſunt. ergo modus iſte dicendi eſt impoſſibilis. 5. Ratio.

143 Sexto. Dicunt hos effectus non poſſe quamcumque animam efficere, ſed ſolam nobilem, & multum eleuatam à materia. Contra. Vel efficere hæc opera per imaginationem competit ipſi animæ per eſſentiam, & quatenus eſt anima rationalis, vel per accidens; ſi primum, cum omnes animæ rationales & humanæ ſint eiuſdem ſpeciei, hæc proprietas competeret omnibus animabus ſaltem ſecundum magis, & minus. At experimur homines huiuſmodi operationes non efficere per ſuam imaginationem; ergo hoc non competit animæ per ſe, & per ſuam eſſentiam. Si autem per accidens, dicendum eſt, quod hoc eſt virtute ſuperioris agentis. Quæro, quodnam illud ſit; ſi dicas, vt aliqui volunt, quod ſit Cœlum, ſeu conſtellatio aliqua cœleſtis; tunc quæro; Vel hoc habet illa anima ex conſtellatione, quando iſte concipiebatur, vel naſcebatur: etiã hoc non, quia tunc omnes, qui illa conſtellatione fuiſſent geniti eandem virtutem haberent; multos autem eodem tempore concipi, & naſci non eſt dubium. Deinde quomodo hæc virtus in illo poſſet conſeruari, cum vt dictum eſt ſupra ſequantur aliæ conſtellationes contrariæ, quæ & ipſę habent ſuam vim illam impediendi, vel mutandi? Vel habet hanc vim à conſtellatione, quæ tunc regnat, cum opus mirabile fit, & tunc ſequitur, quod omnes tunc tẽporis viuentes poſſent illud facere opus; haberent enim omnes eundẽ influxum; quod eſt apertè ridiculum. Vel ab vtraque ſimul, & hoc non; quia neceſſe eſſet expectare tempus, quo eadem poſitura ſtellarum, & influxus ſeu conſtellatio eſſet, quæ erat, quando ille conceptus, vel natus fuit; quod pariter eſt ridiculum; quia ſecundum Mathematicos intercederet ille magnus annus; tanto tempore autem hominum viuere eſt ridiculum. Hoc agens ergo ſuperius erit Deus in operibus miraculoſis verè, vt erant illa Moyſis & Chriſti Domini; vel aliquis Dæmonum, vt in operibus Magorum Pharaonis. Quare ex his habemus dare Dæmones, & Angelos, ſeu Numina quædam ſupra naturam corpoream, quod eſt intentum. 6. Ratio.

144 Septimo. D.Tho.3.lib.contra Gentiles cap.103.contra hanc opinionem Auicennæ ait, valere rationem, quam facit Ariſt.7. Met. 7. Ratio. D.Thom.

tex.

tex.28. vbi probat generationem rerum non poſſe eſſe ab Ideis contra Platonem. Nam Plato ſecundum mentem Ariſtot. ponebat eſſe quaſdam formas ſeparatas ſicut Ariſt. & Auicenna ponit eſſe intelligentias; ratio ergo, quæ probat Ideas non poſſe eſſe cauſas generationis prælertim proximas, concludit quoque intelligentias immediatè per ſe non poſſe generare, & cauſare res in his ſublunaribus: ſi autem probabitur intelligentias nō habere hāc vim, vt cauſent res, neque eſſe ità potentes, vt inferiora corpora eis obediant, multo minus hoc erit verum de intellectu vel imaginatiua hominis, cum ſit illis valdè inferior. Ratio autem Ariſt. prædicto loco 7. Met. tex. 28. eſt hæc. Generans, & genitum ſibi aſſimilantur in ſpecie ex 2. Phyſ. tex. 70. At Ideæ ſunt entia vniuerſalia ſecundum Platonem, & intelligentiæ ſecūdum Auicennam & Algazel; genitum eſt hoc aliquid, & ſingulare; ergo non aſſimilantur; ergo genita in hoc mundo ſublunari non poſſunt

Tacita reſpō ſio. generari ab Ideis. Quod ſi quis dicat hanc rationem non concludere contra Platonem, neque contra Auicennam, quia ipſa habet vim in generatione vniuoca, non in generatione ęquiuoca cuiuſmodi eſt generatio ranæ a calore cœleſti, & eorum quæ ex putrefiunt; At generatio Idearum, & intelligentiarum eſt ęquiuoca, ideo hæc ratio non cō-

Refellitur. cludit contra eos. Contra. Ratio concludit, quia in omni generatione etiam ęquiuoca, neceſſariò præter cauſam vniuerſalem requiritur cauſa particularis, & proxima, quæ eſt hoc aliquid; neque enim Sol, ſe ſolo, neque intelligentia ſe ſola poteſt producere hoc ens determinatum, ſed requiritur cauſa particularis determinata, & proxima illius effectus, ideò tribuere cauſalitatem proximam generationis rerum ipſis cauſis vniuerſalibus eſt abſurdum. Aduerſarij autem faciunt Ideas, & intelligentias cauſas proximas, & ſingulares effectuum, ideo ratio optimè concludit. Ariſt. autem alias rationes adducit contra Ideas Platonis, quæ poſſent adduci hìc, quas in eo ſeptimo libro conſiderabimus; ideo ſuperſedendum eſſe duximus pro nunc.

8. Ratio. *Fundamentum aduerſariorum refellitur.* 145 Vltimo. Fundamētum Aduerſariorū eſt falſum; putant enim quod imaginatio ſiue phantaſia emittit ſpecies, ſeu ſpiritus extra corpus imaginantis in alia corpora, hoc autem eſt omninò falſum, quia actus imaginationis eſt actio imanens non tranſiens, quia vt rectè docet Ariſt. 2. de Anima tex. 161. vbi ait quod phantaſia, quæ eſt idem quod imaginatio, *eſt motus factus à ſenſu.* ideſt imaginatio ſeu phantaſia eſt virtus animæ quæ mouetur à ſenſu exiſtente in actu, quod probat ibi Ariſt. quia niſi phantaſia moueatur à ſenſu, & ſenſibilia externa non moueant ſenſus externos per ſuas ſpecies, & ſpecies non deferantur ad phantaſiam, phantaſia nunquam aliquid operabitur; licèt ergo phantaſia in perceptis ſpeciebus à ſenſibus externis per ſe ſine

ſenſibus

Digitized by Google

ſenſibus externis poſſit moueri,& operari,vt patet in dormientibus,in quibus tamen ſenſus ſunt ligati: tamen ante quemcumque motum factum à ſenſibus externis non poteſt; ſed requiritur ſenſum eſſe, vel fuiſſe in actu, à quo tunc vel prius mota fuerit phantaſia adhoc, vt phantaſia poſsit exire in actum imaginandi, & phantaſiandi. Ex hac autem doctrina, quæ eſt clara, patet, quod phantaſia in actu imaginandi non emittit extra ſe ſpecies, & ſpiritus, ſed quod ipſa recipit à ſenſibilibus externis ſpecies, & ſpiritus ipſarum mediantibus ſenſibus externis; falſum eſt ergo fundamentum Aduerſariorum, quod imaginatiua emittat ſpiritus & ſpecies, quibus poſsit corpora externa producere, vel producta afficere motibus localibus, alterationibus, & facere prodigia, veneficia, & ſimilia, vt ipſi volunt. *De phãtaſia.*

146 Et confirmatur, quia licèt Ariſt. lib. de motu Animalium cap. 5. dicat, & experientia conſtet corpora imaginãtium per imaginationem alterari, *& quod imaginatio, & intellectio rerum habent virtutem. Aliquo enim modo forma intellecta, callidi, aut frigidi, aut iucundi, aut terribilis, talis quidem etiam rerum vnaqueque; quapropter, & horrent, & timent intelligentes ſolum.* Non propter hoc ſequitur, quod Ariſt. voluerit ſpecies ipſas in imaginatione, & intellectu exiſtentes habere virtutem ipſarum rerum imaginatarum, atque efficere poſſe res ipſas. Quoniam Ariſtot. non dixit hoc vniuerſaliter de omnibus ſpeciebus exiſtentibus in imaginatione, ſed ſolùm de quibuſdam, ſcilicet de illis, quæ delectationem, vel triſtitiam afferunt. Iſtæ autem ſpecies afferunt alterationem ſecundum quod ſunt formæ obiectorum conuenientium, vel diſconuenientium; ſi enim obiecta ſunt conueniẽtia afferunt delectationem, & excitant appetitum ad proſecutionem. Si verò ſint diſconuenientia excitant fugam, & ſanguis, & ſpiritus mouentur ſecundum qualitatem motus, & ſic inducitur caliditas vel frigiditas, rubedo vel palor, & quid ſimile in corpus. Ex quo ſequitur quod hæc non eſt vis, & proprietas imaginationis, & ſpecierum in imaginatione faciendi hanc alterationem in corpore, ſed alteratio oritur ex qualitate obiectorum mouentium ſenſum, & conſequenter imaginationem, alioquin deberet hæc vis ineſſe omnibus ſpeciebus etiam indifferentibus; ſi enim pro arbitratu voluntatis imaginantis ſpecies imaginatæ alterarent, poſſet imaginans alterare proprium corpus, per imaginationem Cœli abſolutè, vel terræ, vel aeris, citra rationem nociui vel proficui; quæ tamen videmus experientia eſſe falſiſſima. *Cõfirmatur. Ariſt. lib. de motu Animal.*

147 Tandem confirmatur, quia licèt imaginatiua per ſpecies, & ſpiritus in ſe receptos poſſit alterare corpus proprium imaginãtis, non tamen ſequitur quod poſſit alterare corpus alterius ab eo numero diſtinctum, & ſeiunctum, ac diſtans. Nam in corpore imaginantis ſequitur *2. Confirmatio.*

quitur

Digitized by Google

quitur hæc alteratio, quia imaginatio, & appetitus ſunt coniuncti; vnde phantaſia mouet appetitum ad fugam, vel proſequutionem; appetitus autē mouet partes corporis, & organa interna, & externa ad operandum; ſicut artifex ab obiecto externo mouetur ad ædificandū domum, recepta autem ſpecie & figura in mente ſua, vel in imaginatione mouet appetitum ad proſequutionem; appetitus autem mouet inſtrumenta interna, & interna mouent externa, vt manus, & pedes, & alias partes, & organa corporis ad faciendum domum; Inſtrumenta autem corporis externa mouent inſtrumenta ſeiuncta ad ædificandum domum, vt ſecurim, maleum, & alia inſtrumenta neceſſaria ad conſtitutionem domus. At imaginatio mea non poteſt ſic mouere appetitum, vel imaginationem alterius ſuppoſiti numero à me diſtincti; (niſi vt obiectum quod non facit ad rem) neque poteſt mouere inſtrumenta interna, nec externa alterius; neque enim per meam imaginationem poſſum mouere manus vel pedes alterius; & multo minus poſſum per ſolam meam imaginationem facere vt manus alterius moueant ſecurim, vel aliquod aliud inſtrumentum ad ædificandum domum. Adeò quod dato, & non conceſſo, quod imaginatiua per ſuas ſpecies, & phantaſmata haberet poteſtatem mouēdi appetitum proprium & cauſare in ſe alterationes prædictas, quod tamen eſt falſum; (quia hoc efficit ſolum quando phantaſmata ſunt vel cōuenientia, vel diſconuenientia;) Tamen non ſequitur has alterationes efficere poſſe in corpus alienum. Vnde Angeli, & Dæmones, vt infra videbimus, qui ſunt potentiores imaginatione hominis in corpora iſta, non habent poteſtatem alium motum efficiendi quàm localem; actiones ergo iſtas tribuere imaginationi in aliena corpora ſunt fictiones alienæ a Philoſophia, nugæ, & mendacia ſuperſtitione ſatanica adinuenta.

Ad rationes in oppoſitū. 148 Ex dictis patet reſponſio ad adducta in contrarium; exempla enim adducta tàm primo loco quàm ſecundo probant ſolum ſpecies acceptas à rebus per ſenſus exteriores, & delatas ad phantaſiam mouere ipſam phantaſiam; & phantaſiam, ſeu imaginationem mouere deinde appetitum ad fugam, vel proſequutionem, & excitare motum aliquem in corde, qui licèt ſit paruus, tamen deinde in alijs partibus corporis poteſt eſſe vehemens, ſi fortis ſit imaginatio, & motus cordis ſit etiam vehemens. Hoc totum autem euenit, quia obiecta extrinſeca quandoque ſunt conuenientia appetitui, quandoque diſconuenientia, & ideò cum à ſenſibus externis deferūtur ad phantaſiam, ſemper deferuntur cum aliqua paſſione gaudij, vel triſtitiæ, vel timoris, vel alicuius paſſionis. Et hæc eſt doctrina Ariſt. lib. de motu animalium, cap. 5. in illis verbis. *Alterant enim modo forma intellecta callidi, aut frigidi, aut iucundi, aut terribilis. Talis quidem eſt, qualis quidem, & rerum*

rum vnaqueque. Quapropter & horrent & timent intelligentes ſolùm; hæc autem omnia paſſiones, & alterationes ſunt; dum autem alterant in corpore; hæc quidem maiora, illa autem minora fiunt. Quod explicatius tradit in ſequentibus verbis; & hoc eſt illud idem quod docet Ariſt. in problematibus ſect. 7. problemate 3. quærens quam ob cauſam, dum videmus quempiam ſecari, aut contorqueri, aut aliqua re tetra affici animo vicem eius dolemus, in ſecunda reſponſione inquit hoc prouenire, quia aſpectus à re delectabili, & triſtabili afficitur, ſicut olfactus, & auditus, ex delibatione rerum obductarum afficiuntur, cuius verba ſupra adduximus, nec oportet repetere. Atque hoc modo ſe habent exempla & experientię adductę ſecundo loco. Ideò conceditur quod ſpecies huiuſmodi inducunt prædictas operationes in corpore imaginantis; At ex hoc non ſequitur, quod hos eoſdem, vel maiores poſſit imaginatio per huiuſmodi ſpecies, & ſpiritus operari in corpus alienum, cum ſit ab illo omninò diſtinctum, & ſeiunctum. An verò per contactum, viſum, & ſimilia poſſit res mirabiles illas efficere ſequenti cap. videbimus. Ariſt. in problem. ſect. 7

149 Quod autem adducitur præcipue de mulieribus prægnantibus. Reſpondetur. Non eſſe mirum quod illi effectus fiant per imaginationem in fœtus, quia illud nõ reputatur corpus diſtinctum à corpore matris, sed vnum cum illo, cum in vtero Matris foueatur, nutriatur, & vitam a matre hauriat. *De mulieribus prægnantibus.*

Per hæc eadem ratio ab eis adducta conuellitur. Minor enim propoſitio eſt falſiſſima, nec probatur niſi ex illis experientijs, quas pro ipſis minimè valere oſtendimus. *Ad rõnem.*

150 Per hoc idem conſpicitur diuinationem per hanc emiſſionem ſpecierum, & ſpirituum fieri non poſſe, cum falſum ſit ſpecies, & ſpiritus ab imaginatione extra corpus imaginantis emitti, vt vidimus; poteſt enim mouere tantùm per interna organa externa ad mouendum inſtrumenta, ad quæ naturaliter agere poteſt, vt mouere manus ad ſecurim & facere, vt ſecet lignum, & ſimilia. At ad ea, ad quæ naturaliter non habent ordinem, & attingentiam nequaquam. Huiuſmodi autem ſunt opera illa quæ ſunt præter naturalia. *Ad illud de diuinatione.*

151 Ad illud ex Iacob. Gen. 30. Reſpondetur. Quod licèt aliqui Patres vt D. Chryſoſtomus Hom. 57. in Geneſim, Theodoretus ſuper illum locum, & alij exiſtimauerint illud factum, fuiſſe miraculoſum: tamen alij Patres vt D. Aug. in Geneſim q. 93. D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in eum locum, & alij aſſerunt quod actio illa fuerit naturalis, atque facta fuerit naturaliter vt dictum eſt de alijs ſimilibus ſupra. Nam intentiſſimus aſpectus alicuius rei cum vehementi imaginatione in ipſo ardore coeuntium habet vim ad colorandum *Ad illud de ouib. Iacob. Geneſeos 30.*

rem

rem conceptam ad ſimilitudinem rei viſę. Vnde in propoſito cum oues illæ intenſę proſpicerent in aquam colore variatam ex immiſſione virgarum decorticatarum, quæ erant albæ & aliarum virgarum nō decorticatarum, quæ erant viridi coloris, atque in coloris illius varij aſpectu coirent, facilè fuit, vt fœtus varijs coloribus affectus conciperetur. Clarum eſt ergo obiectum per ſui ſpeciem receptam in imaginatione effectus reales in ipſo corpore imaginantis efficere ſecundum varias paſſiones conſequentes ipſam ſpeciem, vt gaudij, timoris, delectationis, vel triſtitiæ.

Non poſſe per operationes ſenſuum, ſcilicet viſionis, tactus, nec per verba opera prædicta, quæ præter naturalia dicuntur, naturaliter fieri. Caput Nonum.

152 NOn defuerunt, nec deſunt, qui ſentiant effectus prædictos mirabiles, & ſimiles miraculis fieri virtute ſenſuum præſertim viſus, vel etiam tactus; in his enim duobus ſenſibus dicunt virtutem eſſe quandam latentem, qua homines ſimul cum imaginatione mirabiles effectus prædictos efficere poſſint. Atque eorum fundamentum eſt duplex; Alterum Philoſophicum, nimirum quod viſio fiat per extramiſſionem radiorum ab oculis in obiecta cum Platonicis, & Medicis; hoc autem poſito ſequitur quod radij mala qualitate affecti inficere poſſint aliena corpora, vel qualitate aliqua bona præditi effectus bonos, & mirabiles efficiant.

Primũ fundamentũ huius opinionis.

153 Alterum fundamentum eſt experientia. Videmus enim per viſionem fieri opera mirabilia; etenim affectus, & paſſiones animi, & corporis mirificè per oculos panduntur. Cum enim animus gaudet; oculi ſubrident hilariter; cum mœret, ipſi quoque langueſcunt, & lachrymas effundunt; timore turbantur; ira tumeſcunt; & demum ſecundum varias animi, & corporis paſſiones mutantur. Ideò non videtur mirum, quod cum animus ſit vario modo affectus per oculos tanquam affines, & ſui miniſtros efficere poſſit effectus arduos, de quibus ſupra. Præterea amor ex aſpectu concipitur, & amantes ex præſentia rei amatæ conficiuntur, & quandoque amentes fiunt. Mulieres Menſtruatæ ſpecula intuentes ea nube ſanguinea maculant. Lippitudo oculorum ſolo intuitu contrahitur, & alia ſimilia per viſionem fieri certum eſt. Præterea in Brutorum oculis hanc vim ineſſe cernitur. Quidam enim ferarum ſcriptores præſertim Plinius lib. 29. cap. 4. prodiderunt, Baſiliſcum ſolo oculorum intuitu interficere homines, & alia animalia; & Gallorum oculis ſpiritus quoſdam ineſſe dicunt, quibus Leonibus dolor, ac mœror incredibilis incutitur; & Lupum ſi

Secundũ fundamentum.

De amore.
De mulieribus mēſtruatis.
De Lippitudine oculorum
De Baſiliſco.
De Gallorũ oculis.
De Lupo.

prius

Digitized by Google

prius hominem videat, illico ei vocem adimere, ita vt nedum non poſſit vociferare, ſed nec emittere ſonum vocis. Præterea de Galgalo aui ſcribunt, quod ſi quis laborans morbo regio eum ſpectet, ſanatur morbo, & auis moritur.

Plin. lib. 30. c. 10. vel 11.

154 Demum oculos eſſe faſcinatorios atque per ipſos veneficia inferri videtur vt res certa ſupponi à Philoſophis, & Medicis; licèt cauſa non ita exactè reddi poſſe videatur. Vnde Plutarchus Sympoſiacon lib. 5. q. 7. de faſcinatione differens habet hanc ſententiam, quæ cęteris rebus mirabilibus etiam conuenit. *Etenim innumera ſunt, quorum ſubſtantia in aperto ſit; cauſæ tamen nos latent. Omninò autem qui in ſingulis probabilitatem requirit, is quod mirabile eſt ex omnibus rebus tollit*. Atque deinde faſcinationem fieri præſertim verò per oculos multis demonſtrat; a quo alij ſuperius adducta accepiſſe videntur his verbis. *Narrantur autem talia multa, nouimus enim homines, qui intuendo infantibus potiſſimum noceant, qui ob humiditatem habitus ſui imbecillitatemque ab iſtis adficiuntur, atque in deterius mutantur, cum ſolidis, & compactis iam corporibus hoc minus accidat*. Plurima alia adducit, & deinde infra ſic habet. *Maximè autem id fieri ab oculis conſentaneum eſt. Viſus enim cum multis creatur motibus cum ſpiritu, quem emittit, ſimul mirabilem quandam igneam vim diſſeminat; cuius opera multa homo cum patitur, tamen agit. Voluptatibus quippe moderatis, & item moleſtijs adficitur homo à viſibilibus rebus, quæ offeruntur, & amores, quibus nullus vehementior animi motus accedit ab aſpectu principiũ ducũt, adeò vt fluat, & quaſi liqueſcat amans, cum intuetur in id quod amat, inque id veluti tranſit; itaque maximè puto miretur aliquis eos, qui ledi videndo hominem cum ſentiant, agere, & ledere, itidem id vero negant. Mutui enim formoſorum obtutus, & quod per oculos excidit, ſiue id lumen eſt, ſiue fluxus quidam amatores coliquat, atque perdit dolore voluptati permixto, quem ipſi Glycypicron, ideſt Dulcamarum nominant*. Multa alia ſubiungit quæ ſupra adduximus de morbo regio, & Galgalo. De Lippitudine oculorum, de inuidia, quæ per oculos veneficia operatur, & de alijs affectibus, quæ omitto.

Plutarchus Sympoſiacõ lib. 5. q. 7. *De faſcinatione.*

De tactu multo plura, & facilius creditu adducuntur, & Plutarchus quidem ibidem habet hæc verba. *Phylarchus ſanè refert Tibios, qui olim circa Pontum habitauerunt, non infantibus modò, ſed addultis etiam exitium attuliſſe; obtutu enim eorum, ſpiritu, ac ſermone adfectos tabuiſſe, & ęgrotaſſe. Idque ſenſerunt, vt apparet conuenæ ſeruos inde emptos educentes. Sed de his quidem fortaſſe minus mirum eſt. Contrectatio enim, & contagium habet quoddam apparens adfectionis principium, & quemadmodum reliquarum auium pennæ ſi cum Aquila componantur pennis pereunt defluentibus ob putredinem plumis; ita nihil impedit quominus hominis*

De tactu.

minis

minis contactus alius vtilis ſit, alius damnoſus. Adducuntur deinde plures experientiæ in animalibus brutis. Torpedo piſcis limo herens ſi haſta virgavè attingatur ſtupefacit brachium vel manum piſcatoris ſeu haſtam tenentis teſte Plin. lib. 32. cap. 1. Hyennam animal ferum ait Plin. lib. 8. cap. 10. vmbra ſua facere canes obmuteſcere. Viperam animal venenoſum dicunt tactu arundinis obſtupeſcere. Præterea fides Lupina, ſi iunguntur agninis; agninas diſilere, & ſaltare, ſeu ſe mouere. Remora piſcis admodum paruus Echeneis appellatus, ſi Naui annectatur eam remoratur quantumcunque venti ruant, & procellæ ſeuiant teſte Plin. lib. 32. c. 1. Cadauer coram occiſore aiunt ſolere ſanguinem fundere, & ſimilia alia multa, quæ adducit Martinus del Rio lib. 1. Diſquiſitionum Magicarum q. 4.

Torpedo. *Hyenna.* *Vipera.* *Fides lupinæ.* *Cadauer coram occiſore*

156 Præterea adducuntur varia curationum genera frequentia per ſolum contactum hominis facta. Aiunt enim quoſdam homines, & vulnera etiam atrociſſima oſculo, aut nudi lintei appoſitione ſanari. Reges Angliæ, & Franciæ ſtrumoſos ſanare ſolitos. Pomponatius lib. de incantationibus cap. 3. rationem horum omnium adducit hanc, quod ſicut in herbis, lapidibus, & animantibus inueniuntur illæ virtutes ſanandi, ita nihil repugnat, quin in tota ſpecie humana ſimiles virtutes ſint, vt in vno homine ſit virtus talis lapidis, in alio ſit virtus talis plantæ & ſic de alijs. Adeò quod id quod poteſt hic lapis, & quod illa planta idem poteſt hic homo, & homo ille. Alij id referunt ad conſtellationem, ſed hoc ſupra reiectum eſt. Alij ad complexionem naturalem ſed de hoc infra.

Oſculo ſanari vulnera. *Reges Angliæ curare ſtrumoſos.* Pōponatius.

157 Veneficia verò ab hominibus, & mulieribus maleficijs fieri per cōtactum varijs hiſtorijs refertur, vt ex Plutarcho ſupra vidimus. Codronchus autem lib. 2. de veneficijs cap. 3. adducit inter alia hanc hiſtoriam, quàm ſuis verbis de veneficijs refero, & propoſitum maximè oſtendit. *Mulier quædam* (ait) *in Argentorati ditione gerens vterum enixè rogata à quadam obſtetrice, vt ad ſuſcipiendum infantem partus tempore accerſeretur; ſciens ipſam maleficam eſſe blandis verbis, ac pollicitationibus dimiſit, & aliam inſtante partu vocari iuſſit. Quò factum eſt, vt hæc infelix Mulier, volens, (vt adagio circumfertur) vitare Caribdim in Scyllam inciderit. Malefica enim id moleſtè admodum ferens, nocte quadam cum duabus alijs mulieribus, ingreſſa domum, & ad puerperæ cubile acceſſit, cuius aſpectu puerpera timore affecta conatur clamare, & virum, qui in altero cubiculo dormiebat vocare, ſed illi vox protinus defecit, & vires adeò concidunt, vt ne pedem quidem mouere poſſet. Venefica verò maledictis illam prius laceſſiendo, & obiurgando, quod ipſam vocare renuiſſet, dixit ſe quaſdam res in aluum eius inijcere velle, quæ quidem innoxæ per ſex menſes illi erant futuræ, vt aliqua ex parte morem gereret alijs mulieribus*

De veneficijs. *Hiſtoria quędam de muliere venefica.*

bus pro ea efflagitantibus, Iis autem peractis ingentes cruciatus ipſi allatura: Acceſſit ergo & ventrem manu tetigit, & mox ea egreſſa cum vocem viresque puerpera recuperaſſet, Viro rem prout geſtum erat narrauit, cui tamen fidem non adhibuit, vaporibus, ac imaginationibus puerperarum id aſcribens. Nihilominus tamen ſex menſibus peractis grauiſſimi cruciatus circa ventrem inferiorem ita ipſam torquere, & laniare cœperunt, vt diu ac noctu clamare cogeretur. Quoniam autem fide ac deuotione multum pollebat erga Sacratiſſimam Virginem, ad cuius auxilium implorandum ſingulis diebus Sabbati panem tantùm cum aqua ſemel aſſumebat in die; Hac neceſſitate compulſa ſpem ſuam erga Deiparam amplius auxit; ita vt quadã die cum aluum exonerare vellet, ſpinas oſſa, ligni fruſtula, ac multa alia per inferna reiecerit, magna, tum, Viri, tum aliorum ſpectantium admiratione, & à tormentis libera facta fuerit. Hæc Codronchus, ex quo patet Veneficam tactu ventris veneficium induxiſſe in mulieris illius vterum.

158 Quod verbis, & vocibus opera miranda efficiantur ab hominibus, etiam plurimis experientijs, & hiſtorijs comprobatur. Nam certum eſt verba animos hominum flectere, immutare, ac vario modo afficere, nunc ad amorem, nunc ad odium, nunc ad iram, nunc ad miſericordiam commouere. Vnde Plutarchus in vita Demoſthenis dixit orationis poteſtate omnia perfici, ac mitigari. In animalibus brutis per vocem videmus effectus mirabiles fieri. Nam aues voce deceptę capiuntur. Mures, & locuſtæ, & alia nociua animalia, à ſegetibus, arboribus, & viridarijs, verbis, ac ſcriptis arcentur. Tauri ferociſſimi quibuſdam verbis in aure prolatis ad terram proſternuntur, & domantur. Verbis ſanguis vndecunque manans ſiſtitur, & omnes ferè morbi ab humanis corporibus verbis depelluntur. Muſicis & citaredis cantibus, & ſonis homines modò ad iram, modò ad miſericordiam, modò ad arma, modò ad tripudia, & ſimilia etiã inuiti trahuntur, vt de Orfeo, & alijs fama eſt. Demum experientia docet maleficas mulieres quibuſdam verbis prolatis facere paruulos ęgrotare, alios interire, vterum gerentes abortum facere, homines aliquos macie confici, & alijs ęgritudinibus afficere.

De verbis, et voce.

Aues voce decipiuntur.

Locuſtæ.

Taurus proſternitur.

Sanguis ſiſtitur.

De ſonis Muſicis.

De veneficiis

159 Ratio autem fundamentalis huius opinionis eſt: quia Anima eſt primum efficiens vocis; data eſt enim illi vox vt conceptus quos in mente conceperat per voces exprimere poſſit, iuxta Ariſt. in lib. Periherm. atque proinde data ſunt ei quoque inſtrumenta corporalia, quibus ipſam efformare poſſit. Quoties ergo Anima, vult voces edere prius per muſculos aerem in thorace contentum ſurſum emittit per arteriam cum impetu, & format ſonum, & vocem. At aer qui ab anima pellitur, & mouetur animæ qualitate quoque afficitur, quia cum omnis motus fit à corde, ab ipſo per arteriam ſpiritus emittuntur, qui

Fundamentalis ratio huius opinionis.

F iungun-

iunguntur aeri, per quem formatur vox, qui deinde per verba ipſa defertur quocunque vult ipſa anima, atque pertingens ad viſum, auditũ, vel tactum alterius in illius arterijs ſe ingerit, & efficit illas qualitates, quibus eſt præditus in illis externis corporibus, & propter hoc producuntur effectus mirabiles de quibus diximus in Animalibus etiam brutis, & in alijs rebus; atque hoc modo opera præter, & ſuper naturam fieri poſſe contendunt.

Reijcitur. 160 Hæc opinio, quàm repugnet Philoſophiæ, vel parum eruditi facilè cognoſcere poſſunt. In primis aſſertio, vel ſuppoſitio, quod viſio fiat per extramiſſionem, eſt falſiſſima, vt latè oſtendit Ariſtot. 2. de Anima cap. de viſu. Hanc autem diſputationem hic pertractare non eſt opus, quia nimis digrederemur. Illud ſufficiat, quod potentia viſiua eſt paſſiua, & ſentire eſt pati, non agere, ideo oculus non emittit ſpecies, nec ſpiritus, ſed recipit ſpecies obiectorum in ſe, per quas videt obiecta repręſentata; ideo per hanc fictitiam emiſſionem ſpirituum non poteſt aliquid mirabile efficere, & præſertim illorum generum, quæ nos adduximus ſupra ex Valerio Maximo, & alijs. Et certè non eſt intelligibile, quod vapores, & ſpiritus exeant ab oculis in viſione, & efficiant opera mirabilia: Primò, quia non eſt intelligibile quomodo tanta materia ſuppeditetur oculis, vt continuò emittantur ſpiritus, & nunquam exhauriatur hæc materia: & maximè cum conſtet ex emiſſione ſpirituum magnam eneruationem, & imbecillitatem induci in corpora, vt patet in venæ ſectione, & actu venereo. Secundò, quia cum ſint valdè tenues facilè diſpergi poſſent, neque quomodo efficere poſſent Serpentem Epidaurium, vel diſceſſum Deorum Penatuum Alba Lauinium non eſt intelligibile. Neque enim ſunt artifices rationales, & intellectuales, qui poſſint deferre Idola de loco ad locum; & ex propria electione tendere in hoc obiectum, & non in aliud; nec eſt intelligibile quod voluntas poſſit illos dirigere in hoc, & non in illud obiectum, niſi eis apponat ductorem, qui eos committetur ad obiectum deſtinatum; quis autem ſit iſte ductor non videtur eſſe poſſe niſi aer; ſed ille eſt fluidus, ventis, caliditati, frigiditati, & reliquis qualitatibus ſubiectus, à quibus ducitur, & mouetur, & alteratur: ergo hoc munere minimè fungi poſſe ſatis compertum eſt.

Viſio fit per extramiſſionem.

2. Ratio. 161. Præterea vt dictum eſt de imaginatione, viſio eſt actio immanens, non tranſiens, ideò illi effectus exteriores tanquàm cauſæ efficienti minime aſcribi poſſunt; in hoc enim differt actio immanens à tranſeunte, quod tranſiens relinquit aliquid poſt ſe vt notum eſt; immanens verò nihil. Quod autem viſio ſit actio immanens vt notum in Philoſophia peripatetica ſuppono. Si enim eſſet actio tranſiens non ſolum relinqueret aliquod opus ipſa completa, & ceſſante, in his actionibus

nibus mirabilibus,ſed in quocunque actu viſionis; licèt non eſſet opus ita admirabile, quod enim competit per ſe alicui enti,illi ſemper competit,vt notum eſt ex Ariſtot. 1. poſteriorum cap. 4. At demptis his actionibus mirabilibus quas iſti à viſione perfici volunt nullum opus relinqui videmus à viſione, ergo viſio eſt actio immanens, non tranſiens, & proinde ridiculum eſt has operationes mirabiles viſioni velle aſcribere,atque per hoc patet fundamentum primum eſſe falſum. *Primũ fundamentũ Aduerſariorum falſum eſt.*

162 Ad ſecundum fundamentum ex experientia. Ad illud de paſsionibus animi, quæ mirifice panduntur ab oculis. Reſpondetur concedendo illa omnia eſſe vera. At negatur ex illis ſequi oculum per viſionem aliquid,& præſertim opera admirabilia, cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſupra adduximus efficere poſſe. Nam effectus illi quod oculi ex gaudio ſubrideant, ex timore langueſcant & ſimilia oriuntur ex ſpeciebus, & ſimulacris obiectorum, quæ ipſis offeruntur, vel in imaginatione ex alijs phantaſmatibus formantur, prout contingit in ſomnis, & ipſi appetitui, vel ſunt conuenientia, & excitant gaudium, vel ſunt diſconuenientia, & excitant triſtitiam, timorem, & fugam. Hi autem effectus maximè fiunt per ſenſum viſus, quia eſt nobiliſſimus omnium, & eſt ſenſus maximè cognoſcitiuus, & plurium rerum, & proinde eſt maximè motiuus phantaſiæ, & appetitus, & proinde eſt horum effectuum oſtenſiuus. *Ad ſecundũ fundamentũ ex experientia.*

163 Ad illud de amore per idem reſpondetur. Nam ideò generatur amor; quia ſimulacrum rei amatæ principio,cum defertur ad oculum, & inde ad phantaſiam, & ad appetitum, conueniens appetitui ſenſitiuo apparet; ideo appetitus detinet imaginationem in eius contemplatione,atque illud voluens, & reuoluens magis appetitum excitat; atque hinc fit vt illo potiri plus alijs obiectis omninò cupiat,& fomenta,& faces ardori appetitus præbeat, ita vt amentes ipſi amantes quandoque fiant; & per hoc patet ad ſecundum. Atque hoc quod dictum eſt eſſe verum experientia comprobatur. Nam ſi amor ex oculis rei amatæ ingereretur: quotquot illa reſpiceret, tot amore ſuo inflamaret: & quotquot illam aſpicerent,totidem faſcinarentur; quod tamen videmus eſſe falſum. *Ad illud de amore.*

164 Ad illud de Muliere menſtruata, quæ ſpeculum maculat ſanguinea nube emiſſa. Reſpondetur communiter id non effici per ſpiritus emiſſos ab oculis, vt dictum eſt, ſed a vaporibus, & halitu ab ore, & naribus exeuntibus, quod experientia aiunt patere cuique volenti periculum facere. *De Muliere menſtruata maculante ſpeculum.*

165 Ad illud de Animalibus brutis vnico verbo eſt reſpondendũ; quod ſi habent illam vim quam dicunt in oculis,hoc nõ prouenit, quia iaculent per viſum vapores,vel ſpiritus prauos in aliena corpora; quia *Ad argumẽtum ſumptũ ex brutis.*

Digitized by Google

hoc eſſe falſum iam oſtenſum eſt; ſed hoc dicendum eſt euenire propter eorum antipathiam, ſicuti dicemus de Magnete trahente ferrum, & ſimilibus: ideo arguere a brutis ad homines minimè valet conſequentia; ſunt enim diuerſorum generum nedum ſpecierum, ideò quod in aliquibus ſpeciebus brutorum, & rariſſimè inuenitur velle facere connaturale hominibus, & ſpeciei toti humanæ eſt ſine ratione dictũ; quia cum eſſentiæ ſint quàm diuerſiſſimè; neceſſe eſt quoque proprietates eſſe omninò diuerſas.

Ad illud de Baſiliſco. 166 Nihilominus ad illud de Baſiliſco dicitur à multis eſſe fictionem Baſiliſcum inueniri. Et relatio quam afferunt de eo eſſe fabulam valde probabile redditur. Inquiunt enim Baſiliſcum per oculos immittere ſpiritus veneficos, quo interficit Animalia; Atque addunt quod ſi in aqua limpida, & pura ſe conſpiciat ſibi ipſi mortem inferre per illos eoſdem venenatos ſpiritus; hoc autem videtur alienum à philoſophia: quia ſi illi ſpiritus venefici exirent ex oculis Baſiliſci, eſſent illi connaturales; ideò inſpiciendo in aquam ab illis non poſſet necari. Sed quidquid ſit de hoc omnes fatentur, ſi vera hæc ſint de Baſiliſco, ideo euenire; quia virulento, ac violento halitu inficit aerem, qui infectus accedentes interficit homines, & bruta; nõ ergo per ſpiritus emiſſos ab oculis, ſed per halitum, & aerem attractum, & retroactum ab ipſo Baſiliſco ſuis peſſimis qualitatibus infectum necat. atque hoc eſt rationi valdè conſonum.

Ad id de oculis Gallorum. 167 Ad illud de oculis Gallorum terrentibus Leonem, ſi verum eſt, quod multi per experientiam comperijſſe verum eſſe affirmant. Reſpondetur oriri ex antipatia quadam oculta eo modo quo Magnes trahit ferrum. Hoc enim modo etiam aſſerunt veriſſimum eſſe buffone hiante muſtellam miro cum eiulatu, quaſi coactam ſe inſerere ori eius deuorandam.

Ad illud de Lupo. 168 Ad illud de Lupo plurimi putant illud eſſe fictionem poeticam; nihilominus qui id verum eſſe affirmant, hanc afferunt cauſam. Cum quis incidit ex improuiſo in Lupum animal ferum ob eius aſpectum formidabilem ac oculos micantes, timore magno afficiuntur; ex quo fit vt ſanguis ad cor ſe recipiat & cæteræ partes corporis frigeſcant, & alterentur. hinc oritur raucedo, & impedimentum vocis. Econuerſo, ſi de repente Lupus ſe deprehẽſum ab homine cognoſcat, ac viſum fuiſſe timore perterrefit, ac fugam meditatur; Cum autem homo prius adoritur Lupum non ita expaueſcit, ſicut cum ſe prius à Lupo viſum agnoſcit. Alij dicunt Lupum prius viſum ab homine timore corripi, & meditari fugam, & non cogitare de emittendo vaporem quemdam, quo aerem inficiat & inducat raucedinem. Siue hoc, vel illo modo, vel alio id fiat non eſt arguendum à Lupo animali bru-

to

to ad hominem cum diuerſæ ſpeciei, immo, & generis proximi ſint, vt dictum eſt.

169 Ad illud de faſcinatione per oculos ex Plutarcho. Reſpondetur; primum, Plutarchum ſequi opinionem falſam, quod viſio fiat per extramiſſionem, atque quod ex oculis vapores illi venefici exeant, qui alios etiam domeſticos ex prauo habitu faſcinent. Ideò per ea quæ dicta ſunt refutantur. Vnde cum conſtet aliquos ſolo intuitu oculorum multa mala efficere, & pueros, & homines faſcinare, eos ad tabem, vel aliam affectionem deducere, ac facere, vt equi, boues, oues, & alia animalia macreſcant, & moriantur, ſegetes langueſcant, arbores areſcant, pecudes lacte deſtituantur, & ſimilia, dicendum eſt hęc non prouenire ex natura oculi, qui à natura animali datus eſt ad ſalutem, & ad beneficium, nō ad maleficium faciendum, & naturam ipſam deſtruendam; ſed à poteſtate, & ſubſtantia quadam ſublimiori homine, & natura corporea, & hanc eſſe Dæmonum virtutem, qui vt videbimus, hæc de facili, & opera illa mirabiliora facere poſſunt. Cum enim cognoſcant qualitates bonas, & malas rerum, & habeant motricem facultatem promptiſſimam poſſunt applicare actiua paſſiuis ſecundum eorum proportionem, & ſic res noxias, & virulentas in illam rem quā peſſundare volunt applicare ex pacto inito cum Malefico ad motum oculorum eius; atque hoc modo humores corporis corrumpere, & morbos inducere, vel alia mirabilia facere, cuiuſmodi ſunt quæ ſupra adduximus ex Valerio Maximo, & alijs. Et quoniam vt plurimum Maleficæ ſunt quædam Mulieres vetulę, Codronchus lib. 2. cap. 2. pluribus probat minus hæc veneficia ipſas facere poſſe virtute viſus ſolū, & ſine pacto innito cum Dæmonibus. Quoniam cum in anibus cornea tunica oculi adeò rugoſa ſit, & aliæ membranæ talem craſſitiem contrahant, vt vix videre poſſint; quia iuxta Ariſtot. doctrinam organum oculi in ſenectute hebetatur; vnde habet illud, quod ſi ſenex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis; non poſſunt emittere ſpiritus vehementes (dato quod viſio fieret per emiſſionem) ſed ſolùm exiles valdè. Vnde potius iuuenes faſcinare dicerentur, quàm vetulę & debiles. Relinquitur ergo, qđ faſcinatio opere Dæmonum ex pacto fiat.

Ad illud de faſcinatione per oculos.

Vetulę an facilius faſcinare poſſint quàm iuuenes.

170 Quantum ad tactum ijſdem ferè rationibus, quibus probatū eſt de viſu, concluditur opera mirabilia, & quæ ſupra naturam dicuntur, fieri non poſſe per tactum. Atque de faſcinatione Codronchus cum alijs nonnullis optimè probat lib. 2. cap. 3. ſed rationes de omnibus operibus probant, vt optimè obſeruauit Martinus del Rio lib. 1. q. 4. concl. 3. Sed ratio præcipua meo iudicio eſt; quia cum tactus ſit ſenſus, & ſentire ſit pati ex Ariſt. 2. de Anima tex. 118. & 3. de Anima tex. 2. ſequitur quod ſenſatio per tactum fiat per receptionem ſpeciei

De tactu.

Digitized by Google

tangibilis,non per extramiſſionem ſpirituũ ex arterijs; ideo per emiſ-
2. Ratio. ſionem ſpirituum non poteſt faſcinare,nec aliud opus facere. Accedit quod ſenſatio omnis eſt actio immanens ex Ariſt. vt ſupra diximus de viſione non tranſiens;ideò vanum eſt exiſtimare,quod per ſenſationẽ, ſeu actionem ſenſus tactus aliquid extra corpus tangentis fiat; quæ cũ clara ſint ex Ariſt. vbi ſupra non eſt immorandum.

3. Ratio. 171 Præterea vt alij bene arguunt,tactus datus eſt homini à natura ad propriæ vitæ conſeruationem, nec habet aliam vim, quàm tangendi, ſiue percipiendi qualitates tangibiles externorum ſenſibilium; non autem iaculandi in aliena corpora noxas, vel ſalutares qualitates; vel efficiendi aliquod mirabile opus. Si enim hæc vis illi ineſſet, vel eſſet naturalis, vel accidentalis. Si naturalis ſemper ineſſet, & ſic quicunque alium tangeret ſemper aliquem huiuſmodi effectum in eo produceret ſiue noxum, ſiue ſalutarem; ſi autem eſt accidentalis, neceſſe eſt quod inſit per aliquam potentiam ſupra naturam,quæ alia eſſe non poteſt, niſi poteſtas Dæmoniaca, vt diximus de viſu.

4. Ratio. 172 Accedit, quod ſpectat ad faſcinationem, & veneficia: ſi morbos per iaculationem huiuſmodi ſpirituum inducerentur à Malefico non opus eſſet tot obſeruationibus, tot verbis, & alijs tot requiſitis, quot experientia patet in huiuſmodi incantationibus à Maleficis adhiberi, ſed ſatis eſſet tangere corpus, quod malè afficere volunt abſolutè; quare conſpicuum redditur,quando per tactum aliquis talis effectus ſequitur virtute potentię ſuperioris ideſt Dæmonum,ex pacto innito id fieri, vt diximus de viſu.

Ad rationes Aduerſariorum. 173 Ad experientias autem quibus innituntur Aduerſarij facilis eſt reſponſio. Ad illud Plutarchi,quod ſpectat ad viſum,dicendum eſt falſum fuiſſe Tibios illos ſolo viſu infantibus,& alijs exitium attuliſſe, vt ſupra vidimus. Quo ad tactum verò ipſemet fatetur ſeruos illos per contrectationem contagium contraxiſſe. Aliud eſt autem dicere aliquem morbum contrahere per tactum ſimplicem alicuius, & aliud morbum contrahere per contrectationem. Nam poteſt contingere quod aliquis morbo contagioſo affectus, vt lepra, & ſimili alteri admiſceatur,& halitu peſtifero, vel alia peſtifera qualitate ipſum inficiat, vt docet Ariſt. probl.ſect.7. problema 4. de Tabe, Lippitudine, Scabie.

Ad illud de torpedine, et Hyenna. 174 Ad alias autem experientias adductas quoque à Plutarcho, & alijs. Reſpondetur, quod vt plurimum effectus illi fiunt propter antipatiam, vel ſimpatiam illarum rerum, atque ex ocultis qualitatibus ipſarum; Atque hoc maximè verificatur de effectu Torpedinis,Hyennæ. Effectus enim illi oriuntur ex quadam antipatia naturali, & ocultis qualitatibus,quæ ex corporibus illarum ferarum diffunduntur;non autem per tactum, quibus aquam, vel aerem inficiunt, quo infecto, &

modo

Digitized by Google

modo ſuo affecto eos effectus producunt; ſicut patet de Magnete, quæ trahit ferrum. Et idem dicendum de alijs ſimilibus. Hoc eodem modo dicendum eſt ad illud de Vipera de fidibus Lupinis, & ſimilibus. *De Vipera, et fidibus Lupinis iunctis agninis, & ſimilibus.*

175 Ad illud de Remora, ſeu Echineide. Reſpondent aliqui illam experientiam eſſe falſam, quod comprobatur ex eo quod per centurias annorum, quibus nauigatio exercetur nec vnquam auditum eſt Nauim aliquam ſic firmatam eſſe contra rabiem ſeccam ventorum. Si tamen hoc verum ſit, dicendum eſt hoc accidere ex aliqua oculta qualitate illius piſciculi; quæ enim dicũt Fracaſtorius lib. de Simpathia, & Antipathia cap. 8. & alij nihil fundamenti habere videntur; dicere enim quod vis retinendi Nauim non oriatur à piſciculo, ſed à ſcopulis quibus inſedit Remora eſt vanum, cum aliæ Naues per eundem locũ tranſeant ſine impedimento. Quod etiam ſimiliter non poſſit auelli piſcis a Naui ne detur vacuum eſt abſurdum; quia qui aſſerunt hanc experientiam eſſe veram, aſſerunt etiam piſciculum a Nautis diuelli à Naue, neque periculum eſt vacui cum ſtatim ſubeat aqua, vel aer, vt in alijs motibus euenit. *Ad illud de Remora.*

176 Ad illud de Cadauere coram occiſore fundente ſanguinem, ſunt qui dicant aliquando caſu accidiſſe quod præſente occiſore de corpore occiſi cruor aliquis prodierit. Quod ſi ſemper fiat (quod neſcio) tribuitur ab aliquibus anthipatiæ ex vehementi odio occiſi in occiſorem, & ocultæ qualitati impreſſæ corpori occiſi ab occiſore quod (vt quid ſentio dicam) falſum puto. Nam ſæpe quis ſtatim per vulnus moritur adeo quod odium concipere non poteſt, cum odire ſit actus voluntatis, qui requirit diſtinctam cognitionem, & alia, quæ in tam repentino actu haberi non poteſt. *Ad illud de Cadauere.*

177 Cæterùm aliquis obijciat forſan: ſi tàm multa ex ocultis qualitatibus, & ſimpathia, vel anthipatia rerum fiunt, ergo ex ocultis qualitatibus, & ſimpathia, vel anthipatia illa miranda fieri poſſe dicendũ eſt. At hæc obiectio eſt nulla. Nam vt ſæpe diximus quæ ex ocultis qualitatibus, & ex anthipatia, vel ſimpathia fiunt, cum ſint res naturales, & naturaliter agentes, & patientes ſemper, vel vt plurimum fiunt. Torpedo enim ſemper ſtupefacit manum piſcatoris cum haſta vel retibus tangitur, & ſic de alijs. At opera miranda quæ adduximus de Veſtali hauriente aquam cribro, & eam deferente in Templum Deæ Veſtæ, & alia quæ adduximus non ſemper fiunt nec vt plurimum, ſed ad placitum, & pro illa vice, ideò non in ocultas qualitates illius Veſtalis, vel aquæ, vel cribri, vel alterius rei refundi poſſunt. *Obiectio tacita ſoluitur.*

178 Quantum ad curationes illas cum ſubito fiant, & ſine remedijs, & medicinis naturalibus ſunt actiones ſupra naturam; ideo vel fiunt virtute diuina, quia gratia ſanitatum ſecundum Theologos eſt *Ad illud de curationib.*

Digitized by Google

gratia gratis data, quæ ineſſe poteſt etiam peccatoribus; vel eſt à Dæmonibus id per potentiam, & ſcientiam ſuam potentibus facere applicando citò actiua paſſiuis; & ſic hæc experientia maximè comprobat dari numen aliquod ſupra naturam quod eſt Deus, & ſpiritus Angelici, & Dæmones.

Ad illud de Regibus curãtibus ſtrumoſos.

179 Ad illud de Regibus Angliæ & Franciæ ſtrumoſos, ſeu ſcrufula curantibus ſolo tactu per idem Reſpondetur. Eſt enim donum, & gratia gratis data ſicut curatio ſanitatum; ideò non eſt mirum quod illis inſit à Deo. Verùm quod Reges Anglorum hoc donum habuerint non conſtat, ſolum habetur in canonizatione D. Eduardi eum quandam mulierem ſtrumoſam perſanaſſe; an vero hoc donum in illo perſeuerauerit, & ad ſucceſſores tranſiuerit, nec ibi, nec apud auctorem aliquem probatæ fidei habetur. De Regibus Franciæ eſt certum tum annalibus, & Medicorum ſcriptis, vt Guidonis in Chirugiæ Magnæ tractatu 2. doctrina 2. ſcilicet & Ioannis Tagaultij lib. 1. inſtitutionum Chirurgicarum; tum quotidiana experientia. Hoc autem illis donum quondam conceſſum eſſe, & in ſucceſſoribus, quorum nullus ex profeſſo hucuſque hæreſim eſt profeſſus perſeuerare, dicendum eſt. Hoc autem cum nullam cauſam naturalem, nec imaginabilem habeat eſt efficaciſſimum argumentum eſſe donum ſupernaturale à Deo illis collatum; atque proinde dari Deum. Dicere autem, quod hæc uis curandi ſtrumas ſit illis naturalis, eſt omnino voluntarium, & ſine fundamento. Si enim eſſet uis naturalis non traduceretur à Rege in filium ſucceſſorem in Regno alijs filijs & fratribus eius excluſis, quorum ſepè temperies, & complexio patri ſimilior eſt quàm primi filij; & tamen ſolùm ille qui eſt Rex hac poteſtate potitur. Dicere etiam, quod hæc uis curandi proueniat ex proprietate ſceptri, vel coronæ, vel vnctionis nulla ratione naturali fulciri poteſt, & ratio quam comminiſcitur Cardanus lib. Contrad. Medicorum nimirum quod Reges Franciæ ex longo eſu Aromatum hanc vim obtinuerint merito irridetur à Ioann. Brodeo lib. 8. Miſcellan. cap. 10. Nam præter alias rationes, tunc filios omnes eadem virtute pollere conſequeretur, cum ab eodem Patre procreentur. Eſt ergo apertum ſignum hanc poteſtatem eſſe gratiam gratis datam à Deo, & conſequenter Deum eſſe; Quod miraculum abſque dubio diuina prouidentia conſeruari non dubito ad miſeros Atheiſtas confundendos; ſicut autem hæc poteſtas in Rege Chriſtiano, & Catholico eſt donum à Deo collatum ad ſalutem hominum, ita ſi verum eſt Pirrum Regem, & Veſpaſianum, & alios Gentiles habuiſſe poteſtatem ſanandi morbos ſolo digito, vt de illis, & alijs legitur, quæ tamen mendacia eſſe Antonius

Argumentũ efficax, quod Deus ſit.

Cardanus.

Digitized by Google

nius Mirandulanus exiſtimat, ſignum certiſſimum eſt Dæmones dari. Nam cum illi non eſſent veri Dei cultores, ſed Idolorum, & Dæmonum eorum ope illa perficiebant, quod eſt intentum noſtrum.

180 Ad rationem Pomponatij. Reſpondetur non valere ſimilitudinem vel potius conſequentiam; quod ſi in certis lapidibus, herbis, & plantis ſit certa virtus hæc quoque ineſſe poſſit hominibus diuerſis. Et ratio eſt, quia ideò in illo lapide, herba, & planta eſt talis virtus, quia à tota ſpecie à temperamento eſſentiali illius lapidis, herbæ, & plantæ illa proprietas emanat. Vnde omnes lapides illius ſpeciei, omnes herbæ, & omnes plantæ eiuſdem ſpeciei habent eandem virtutem, & effectum. Vnde omne Reubarbarum purgat bilem; Omnis magnes trahit ferrum, & ſic de alijs. At temperamentum, & complexio hominis eſt valdè diuerſa à temperamentis lapidum, herbarum, & plantarum, ideò illas proprietates habere in ſe non eſt poſſibile, cum ſint pluſquam genere proximo diſtincta. Et licèt in hominis temperamento poſſit aliqua qualitas, quæ eſt in planta, lapide, herba, ineſſe; non tamen ineſſe poterit omninò in ea temperie, qua ineſt in lapide, ſed cum multa alteratione propter compoſitionem, & mixtionem multarum aliarum qualitatum, quæ ad hominis temperaturam concurrunt, ideò non poterit eſſe proxima, & immediata cauſa illius effectus, cuius eſt lapis, herba, vel planta. Et hoc maximè veriſſimè concluditur; Si omnis actio per quattuor primas qualitates efficitur, & diuerſitas in illis oriatur ex intentione maiori, vel minori illarum. *Ad rationẽ Pomponatij.*

181 Adde quod ſi hæc hominibus poteſtas competeret, vel illis ſecundum ſpeciem competeret; vel quatenus hoc ſingulare eſt. Primum dici non poteſt, quia tunc competeret omnibus hominibus, quod falſum eſſe conſtat, ſi autem ratione indiuidui, hoc idem dicendum eſſet de indiuiduis ipſorum lapiduum, herbarum, & plantarum, & ſic ſequeretur, quod hoc indiuiduum Reubarbari non purgaret bilem; illud verò maximè. Ratio ergo iſta omnino Philoſophiæ verè repugnat. Effectus ergo iſti in cauſam ſupernaturalem eſt referenda; ideò talis natura neceſſariò eſt admittenda.

182 Hiſtoria adducta à Codroncho dilucidè probat quod intendimus. effectus enim doloris poſt ſex menſes & euacuatio illarum rerum, & ceſſatio doloris repentina præſeferunt actionem illam à ſimplici maleficæ tactu non potuiſſe prouenire. Atque etiam id oſtendit, quod viſio illa nocturna Maleficæ cum alijs duabus Mulierculis, compreſſio vocis, & aliæ paſſiones non à vaporibus vterinis ex puerperio emanarunt, neque ex imaginatione vehementi, quia non tàm citò tràſiuiſſent, neque effectus ſequutus fuiſſet per ordinem modò à Malefica *Ad hiſtoriã adductam à Codroncho.*

prædi-

prædicto, vt euenisſe compertum eſt; ſignum clarum eſt, ergo illud totum a Dæmone ex pacto inito cum Malefica ad tactum eius vteri puerperæ effeciſſe virtute ſua, qua hæc efficere poſſe infra oſtendetur.

Ea quæ de verbis, & voce adducta ſunt reijciuntur.

183 Ea quæ de verbis, & voce adducta ſunt eodem modo circa illa diſcurrendo falſa eſſe deprehenduntur. In voce quidem duo ſunt. Vnũ naturale aliud artificiale, & ex voluntate humana ei adnexum. Naturale eſt quod vox eſt ſonus, qui formatur naturaliter per reſpirationem & inſtrumenta a natura ordinata ad illam formandam, vt docet Ariſt. 2. de Anima à tex. 87. vſque ad 91. Reſpiratio enim data eſt à natura animalibus ad duo munera agenda; Alterum eſt ad refrigerandum cor; Aliud eſt ad formandum vocem; & hoc maximè competit homini. ipſe enim aerem attrahendo, & expellendo poteſt habere plures interruptiones, & formare verba, quod alia animalia nequeunt. Artificiale autem quod ineſt voci eſt, quod ſit ſignificatiua paſſionum & cõceptuum animi, & mentis. Vnde Ariſt. 2. de Anima tex. 90. dixit non omnem ſonum formatum ab homine per reſpirationem eſſe vocem, ſed ſolum ſonum ſignificatiuum. Vox ergo eſt ſignificatiua, ſignificat autem ad placitum; quia ex eodem Ariſt. 1. Perhierm. res, & cõceptus ijdem ſunt apud omnes homines, voces verò ſunt diuerſæ, quia ſignificant ſecũdum placitum primi inſtituentis. Ad propoſitum noſtrum, cum verba non ſint niſi voces ſignificatiuæ ad placitum non poſſunt aliquid efficere niſi ſecundum hanc duplicem rationem, quatenus ſcilicet verba ſunt quidam ſonus, ſeu aer attractus, & reſpiratus, vel quatenus ſunt ſigna conceptuum, quæ habemus in mẽte, & rerum, ad quę ſignificanda inſtituta ſunt. At ſecundum primam rationem, quæ ei competit ſecundum eſſe materiale, & naturale nullum aliud officium nec effectum efficere poteſt niſi refrigerare cor, quia reſpiratio eſt attractio aeris, & eiuſdem emiſſio continua à natura data animali ad cõſeruandum illud in vita. Secundum alteram rationem verò, nimirum ſecundum eſſe artificiale eſt ens rationis; quod enim vox iſta ſignificet hoc vel illud eſt ex inſtitutione hominum, & proinde nullum eſſe habet in rerum natura ex parte rei, & conſequenter nullum effectum realem producere poteſt niſi ſignificationem conceptus ad quem ſignificandum fuit inſtituta, & accomodata à primo inſtituente; Quod autem in audiente aliquem effectum, vel gaudij, vel odij, vel triſtitiæ cauſet, hoc eſt per accidens, quatenus ſcilicet ſignificat, & repręſentat imaginatiuæ aliquod obiectum conueniens, vel diſconueniens. Vel quatenus eſt ſonus gratus, & conueniens auditui. Vnde conſiderata vox, & verbum ſecundum ſuam ſubſtantiam, & quatenus eſt ſonus, & quatenus eſt ſonus vox, & ſignificans, non poteſt aliquem illorum, quę ſupradiximus effectum producere.

Ex

Digitized by Google

184 Ex his facilis eſt reſponſio ad primum fundamentum, quod verba amorem,& odium, & cætera efficiunt in homine,& ad dictum Plutarchi. dicimus enim voces, & verba alterare, & inducere diuerſos effectus amoris,& odij, iræ & miſericordiæ, &c. non per ſe, ſed per accidens ſcilicet quatenus repreſentat ipſi imaginatiuæ obiectum conueniens,vel diſconueniens, quæ deinde mouet appetitũ ad ſequellam, vel ad fugam. Quatenus etiam eſt ſonus contingit ipſam mouere ad delectationem vel triſtitiam, cum enim ſuaui modo, & pronuntiatione grata vox modulatur,eſt grata auditui,vel ex aduerſo in concione prolata eſt ingrata,& ſic veluti obiectum conueniens,vel diſconueniens imaginatiuæ parit delectationem, & gaudium, vel triſtitiam,& mœrorem; ſed omnia iſta vt dixi ſunt per accidens.

Quomodo voces efficiant amorem, odium, et cæt.

185 Quod ſi quis dicat vocem,& verba per accidens poſſe efficere illa opera mirabilia,quia poſſunt repreſentare aliquod obiectum terribile, quod efficiat effectus mirabiles in audiente, vel in alia re. Hæc euaſio eſt nullius momenti. Primò: quia ad ſummum hoc haberet locum in homine, & in rebus animatis anima ſenſitiua, & rationali; quia cætera non audiunt, nec percipiunt vocem nec ſonum, & tamen opus illud Veſtalium ſunt effectus facti in rebus inanimatis, vt in cribro & aqua,& Naui illa Matris Deorum,& reliqua,quæ ſupra adduximus; In homine autem, & animalibus cum efficiuntur perturbationes aliquæ ex voce, vel verbis, non efficiuntur virtute vocis, vel verborum, ſed ab imaginatiua, quæ commota à ſimulacris, & ſpeciebus per vocem, & verba ſignificatis mouet appetitum ad fugam vel proſequutionem,& ſic alterationes efficiuntur in corpore audientis.Confirmatur,quia actio naturalis non perficitur, niſi agens tangat paſſum realiter, vel virtualiter. At verba & res ſignificatæ per verba non poſſunt tãgere realiter paſſum ſeu ſubiectum in quod vox tendit,quia in verbis non habent propriam exiſtentiam, neque per virtutem, quia vox ſecundum eſſe reale non eſt niſi ſonus,& aer reſpiratus, in eo autẽ non eſt virtus rerum intellectarum, & conceptarum à mente, vel ab imaginatiua ideò obiectum tangere non poſſunt virtute. Adde, quod ſi hæc eſſet vis aeris reſpirati, ſiue vocis,hic effectus ſemper ſequeretur; at rarò hæc accidunt. ergo. Demum cæteri ſpiritus emiſſi ex corpore noſtro ſtatim euaneſcunt. ergo, & vox qui eſt aer reſpiratus, ſtatim euaneſcit, ergo nullum opus extra relinquit. In verbis ergo,& voce nulla eſt vis, nec poteſtas efficiendi aliquod mirabile nec per ſe, nec per accidens; quare ſi in rerum natura aliquem effectum repentinum, & mirabilem videamus ad prolationem aliquorum verborum fieri, ſine cauſis proprijs naturalibus, dicendum eſt à Dæmonibus, vel Angelis bonis (ſi illa res bona ſit) effici. Et ſic habemus Deum, & præ-

ter

Digitized by Google

ter Deum, naturam Angelicam bonam, vel malam, qui ſunt Dæmones dari. Atque ex dictis patet quid ſit dicendum de Muſicis, cantibus, & citaredis; mouent enim ad gaudium, & lætitiam, quia ſunt obiecta grata, & conuenientia appetitui ſenſitiuo; ideo delatæ ſpecies eorum ad imaginationem excitant appetitum ad proſequutionem; Quę verò Poetæ de Orpheo fabulantur ſpernenda ſunt, ſicut & de alia figmenta.

Ad illud de Muſicis, & citaredis.

Ad illud de Brutis.

186 Ad aliud de Brutis, quod aues voce deceptæ capiuntur, &c. dicendum eſt quod non euenit vi aliqua ſpeciali, quæ verbis, vel voci inſit, ſed quia auceps fingit ita dexterè vocem auium, quod putantes ſe ſociare alijs auibus in laqueos incidunt. Ad illud vero de Muribus, Locuſtis, & alijs, rebusque expelluntur ſegetibus, & de Tauro ad verba quædam proſtrato, & ſimilia. Reſpondetur hæc eſſe euidentia ſigna dari Dæmones & Angelos. Nam cum hi effectus de repente, & ſine vlla cauſa naturali applicata fiant, non niſi virtute Dæmoniorum vel Angelorum fieri poſſunt.

Ad illud de Muribus, de Locuſtib. &c. De Tauro ad verba quadam proſtrato.

Ad illud de Maleficis.

187 Hoc autem efficaciter probatur ex adductis de Maleficis faſcinantibus homines, animalia, plantas, ſegetes, & ſimilia malefacientes. Cum enim vetulæ quædam quibuſdam carminibus, vel verbis, quæ nec ipſæ quandoque intelligunt quid ſignificent, efficiant ſtatim, & ad libitum huiuſmodi faſcinationes; ſignum clarum eſt, quod ideò per verba hos effectus conſequuntur, quia tacitum vel expreſſum pactum cum Dæmonibus inierunt, vt ad prolationem illorum verborũ Dæmones effectus illos optatos à Malefica efficiant. Dixi pactum expreſſum vel tacitum, quia ſunt aliqui, vt infra dicam, qui licèt pactum ignorent, tamen efficiunt dicendo illa verba; quia Dæmon conuenit cum primo, cui hæc verba dictauit, quod quicunque illa verba dixerit intelligatur tacitè ipſum Dæmonium inuocare; & ipſe illi aderit ad faciendum effectum quem optabit. Dæmonis autem potentia eſt magna vt videbimus, ideò illi non eſt difficile effectus illos prodigioſos efficere.

De pacto Magarum cum Dæmonibus.

Ad rationẽ fundamentalem Aduerſariorum.

188 Ex his etiam patet reſponſio ad rationem fundamentalem Aduerſariorum: fictio enim eſt quod verba afficiantur aliqua qualitate ab anima, & quod vox dirigatur ad libitum voluntatis ad hoc, vel illud obiectum & hunc vel illum hominem per auditum, vel tactum, vel aliquem alium ſenſum diffundat in corpus audientis ſpiritus, qui effectus illos mirabiles efficiant; Vox.n.& verba nullum alium effectũ habent niſi vt conceptum manifeſtent vt viſum eſt: Si autem hi effectus prouenirent à voce, non prouenirent quatenus eſt vox & verba; ſed quatenus eſſet aer infectus à corpore morbo infecto, quod ſpectat ad intemperiem corporis, quod eſt quid valdè diuerſum. Nam licèt

corpus

corpus male affectum poſſit ab halitu corrupto, & contrectatione aliũ inficere, vt diximus ſupra agendo de tactu ex Ariſtot. problem. 7. problem. 4. non tamen ſequitur id fieri per vocem & verba, ideo vnum miſceri cum alio, & vnum ex alio deducere non eſt bona cõſequentia.

Opinio eorum, qui opera prædicta ex proprietate naturæ, ſeu complexionis hominis, vel ex atrabili, aut halitibus terræ fieri poſſe aſſerunt, reijcitur. *Caput Decimum.*

OMiſſa opinione Auicennæ, quàm adduximus cap. præcedenti, qui exiſtimauit omnem creaturam obedire intellectui hominis præſertim benè diſpoſiti, & ſupra materiam eleuati, & conſequenter non erubuit dicere huiuſmodi hominem poſſe ad libitum facere miracula quæcunque ſibi placet, & opera, quæ ſupra naturam apparent; quæ omninò eſt reijcienda, cum videamus expreſsè per experientiam nedum inſenſibilia, vt lapides, plantas, elementa illi non parere cum non habeant intellectum, nec cognitionem, qua diſciplinari poſſint, & imperium apprehendere, ſed quàmplurimas ſpecies animalium homini inimiciſsimas eſſe. Et ſi quæ agit in inſenſatis, & brutis animalibus neceſſarium ſibi eſſe actiua paſsiuis applicare, atque hoc modo cogere imbecilliora cedere fortioribus, & vi quadam efficere, quæ efficit in illis: Deus enim ſolus eſt cuius nutui, & verbo omnia ſubſunt, quam omnipotentiam creaturæ tribuere eſt penitus à ratione alienũ. Non defuerunt qui dixerint cauſam mirabilium effectuum, qui dicuntur præter, & ſupra naturam tribuendam eſſe certæ complexioni, & temperamento corporis. Aſſerunt enim quandoque corpus ex qualitatibus ita adequatè conſtitui, & humores ęqualitate tanta miſceri, vt perfectiſsimum temperamentum aſſequatur: quo habito poſsit deinde homo virtute illius facere opera quaſi miraculoſa, & ſupra naturã corpoream elementarem. Atque impiè hinc inferunt Chriſtum Dominum temperamentum iſtud contraxiſſe, & vi huius temperamenti miracula tam magna patraſſe. Auctores autem huius opinionis fuerũt Fulginas Medicus, Paracelſus, Conciliator diff. 20.

Opinio Auicennæ reijcitur.

Opinio eorũ qui dixerunt cauſam horũ effectuũ eſſe naturã, & temperamentum.

Fulginas Medicus. Paracelſus. Cõciliator.

190 Fundamenta iſtorum videntur eſſe experientiæ multæ in rebus alijs ab homine ex quibus hanc vim temperamento quorundam homiuum ineſſe abſurdum non iudicant. Multa enim (aſſerunt) ſunt ſimplicia medicamenta herbæ, lapides, animalia, quæ facultate nobis ignota varios effectus nunc proficuos habent, nunc nociuos. Proficui ſanitatem, & curationem morborum efficiunt; Nociui morbos inducunt. His ſic ſtantibus ſic arguunt. Homo eſt omnia per participationem, tàm ſuperiorum quàm inferiorum, ergo non eſt inconueniens, quod

Digitized by Google

quod aliqui homines cum animalibus, vel alijs rebus in aliqua proprietate conueniant; ſicut ergo animal, vel lapis ille ex occulta qualitate efficit effectum aliquem mirabilem ſanitatis, vel infirmitatis, ſic aliquis homo ex eadem qualitate oculta ſibi inſita poſſit efficere aliquem effectum mirabilem, & qui ſupra naturam videatur.

191 Confirmatur, & declaratur, ſunt quædam res, quæ ex occulta qualitate generant morbos vt Gagates lapis, qui ſuo odore comitialē morbum excitat vt ſcribit Plinius. Mulieres cum menſtruis laborant eorum acceſſu tactæ fruges ſterileſcunt, vuæ areſcunt, inſita moriuntur, hortorum germina exuruntur, aluei apum emoriuntur, ſpecula eorum aſpectu maculantur, canes eo guſtatu in rabiem aguntur, & eorum morſu inſanabili morbo homines inficiuntur, & plura alia ſimilia per hæc ſordida excrementa efficiuntur à mulieribus, veriſimilius eſt viros, ac mulieres ipſas per ocultam qualitatem maiora efficiendi vim habere.

192 Præterea Plinius lib. 4. cap. 12. & lib. 6. cap. 3. dicit quod Anthropophagi more brutorum veſcuntur carnibus humanis, ergo nihil prohibet quod etiam à natura illis ſit indita vis inferendi veneficia. Item Agatarchides & Plinius lib. 7. cap. 2. teſtantur de Pſillis, eorum corporibus virus exitiale ſerpentibus ingenitum eſſe, cuius odore eos ſopirent. Non ergo mirum videri debet, quod corporibus hominum inſint qualitates veneficia, & opera miranda efficere potentes.

Opinio aſſerētiū effectus prędictos oriri ex atra bili, & terræ halitibus.

193 Alij enitentes omninò de medio tollere Dæmones omnes effectus per artem Magicam factos à Dæmonibus, & reſponſa oraculorum Gentilium per eoſdem Dæmones data ad cauſas naturales quoque reducere conantur; aſſerentes omnes effectus artis Magicæ cuiuſmodi ſunt veneficia, quæ ſupra ex Fernelio, Codroncho, & alia ex Valerio Max. adduximus eſſe effectus Melancholiæ & atræ bilis, & diuinationes, ſeu reſponſa oraculorū per Bacchas, & Sibyllas data non ex inſtructione Dæmonū prodijſſe, ſed fuiſſe motus quoſdam ex halitibus terræ & atra bili in illis mulieribus excitatos. Atque hoc modo operationes iſtas euidentes Dæmonū Petrus Aponenſis, Petrus Pomponatius, Hieronymus Gardanus, Eraſmus, & huius farinę viri non minus impiè, quàm vanè eludere conantur, & nullam pręter hanc molem corpoream, & elementarem dari ſuſtinent.

Fundamēta huius opinionis.
Ariſt. in proble. ſect. 30.

194 Fundamenta autem horum videntur eſſe, in primis auctoritas Ariſt. qui in Problematibus ſect. 30. loquens de atra bili tribuit illi huiuſmodi effectus, quos nos Sibyllis, & Bacchis dicimus virtute Dæmonum ineſſe: habet enim hæc verba. *Exempli gratia in quibus multa, & frigida bilis eſt atra, hi ſtolidi ſunt, & ignaui: in quibus permulta, & calida, hi perciti, & ingenioſi, Amaſii propenſi ad omnem excandeſcentiam,*

Digitized by Google

tiam, & cupiditatem; nonnulli etiam loquaciores; multi etiam propterea quod ille calor ſedi mentis in vicino eſt, morbis veſaniæ implicantur, aut inſtinctu limphatico inferueſcunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes, qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur, cum ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperie accidit. Hæc verba ex Ariſt. adduxi, quia ex hoc loco habemus certum eſſe fuiſſe Sibyllas ex confeſſione Ariſt. & communi conſenſu hominum tunc temporis: Neque enim Ariſt. laboraret reddere rationem earum operationum, & prædictionum, quas ſpiraculo diuino credebantur habere, ſi Sibyllæ ipſę non fuiſſent eo tempore. Ex hoc occluditur os ijs qui ratione conuicti vt videbimus vellint negare fuiſſe Sibyllas. Nam infra ego oſtendam carmina Sibyllarum non ex atra bili, & temperie corporis potuiſſe emanare, ſed reuera, vel diuino, vel Dæmoniaco ſpiraculo inſtigatas ea protuliſſe.

Fuiſſe Sibyllas certũ eſt.

195 Præterea Ariſt. lib. de Diuinatione per ſomnium diſtinguit diuinationem in tres ſpecies. Aliquod enim ſomnium continet diuinationem alicuius euentus tribus modis. Vno modo vt cauſa illius euentus; vt interpoſitio terræ inter ſolem, & lunam eſt cauſa Ecclipſis, & ſic videns interpoſitionem terræ inter ſolem, & lunam poteſt diuinare futuram Ecclipſim. Aliquando ſomnium eſt ſignum futuri euentus, ſicut laſſitudo Socratis eſt ſignum futuræ ægritudinis Socratis; Aliquando ſomnium eſt cauſa futuri euentus, ſed accidentalis, eo modo quo dicimus, forte deambulante corruſcat; huiuſmodi autem ſomnia tertij generis ſunt de rebus abſentibus, vel futuris, vel præteritis à nobis loco & tempore remotis vt per mille annos antefactis, vel faciendis; Diuinationem per ſomnium duobus primis modis nulli dubium eſt dari, & hanc artifices, & Medici obſeruare debent, quia ſomnia aliquando ſunt cauſa effectuum futurorum vt e. g. qui eſt aſſuetus legere lectionem ſomniat de nocte ſe lecturum die ſequente, & ſic præuidet per ſomnium quid eſt facturus die ſequẽte, & ſic de alijs. Quando etiam ſunt ſignum effectus futuri ſunt obſeruandi, vt quando Medicus ex ſomnio ægrotantis prænoſcit futuram ægritudinem, & ſic de alijs.

Ariſt. lib. de Diuinatione per ſomnium.

Diuinatio fit tribus modis ſecundũ Ariſtot.

196 De tertio modo diuinationis per ſomnium eſt dubitatio. An ſcilicet per ſomnium, quod eſt de rebus remotis, & accidentaliter iunctæ ſunt ſomnio, quia ſcilicet ſomnium non eſt illarum cauſa per ſe, neque ſignum, ſed caſu illi ſomnio annectuntur, poſſint diuinari, & præuideri illę res remotæ & abſentes; vt puta ego ſomnio, quod hic ad menſem erit bellum nauale, certè bellum nauale accidentaliter ad eum ſomnium ſequitur, eſt ergo dubium, vtrum per illud ſomnium poſſit illud bellum nauale præuideri, & diuinari.

Dubitatio circa tertiũ modum diuinationis per ſomnium.

Reſpondet Ariſt. quod hæc præuiſio eſt à caſu, & quod nullam habet

Reſponſio Ariſt.

Digitized by Google

bet cauſam determinatam, quod probat varijs rationibus. Primò, quia multoties iſta ſomnia ſunt vana, & irrita eo quia rarò euenit quod quis ſomniat; quis enim quandoque ſomniat ſe inuenire theſaurum, & nihil inuenit; quæ autem rarò eueniunt ſunt à caſu, vel fortuna. Secundò, quia ſomnium non habet cauſam; neque enim eſt à Deo, quia æqualiter ſomniant bruta, & homines; brutis autem non eſt veriſsimile Deum immittere ſomnia: item ſomniant ita prudentes, ſicut inſipientes, immo magis inſipientes, quàm prudentes: ſi autẽ eſſent à Deo, Deus magis immitteret illos prudentibus, quàm inſipientibus; quia diligit magis ſapientes, quàm inſipientes. Dicendum eſt ergo ſomnia non à Deo, ſed à natura immitti, & ideo debere dici non diuina ſed Dæmonia, quia ſunt à natura quæ eſt Dæmonia; ideſt prudens: Dæmon enim Grecè idem eſt quod ſapiens.

Natura quare Dæmonia dicitur.

197 Præterea inquit Ariſt. ſi hæc ſomnia habent cauſam, cauſa, quæ adducebatur à Democrito, non eſt vera cauſa, ſed ea quam Ariſtot. aſſignauit. Licèt non omninò Ariſtot. illam putet veram, ſed inquit quod ſi habent cauſam verã per ſe, potius dicendum erit eſſe eam, quam aſſignat Ariſt. ipſe, quàm eam, quam aſſignat Democritus. Dicebat enim Democritus, quod cauſa ſomniorum erat defluxus ſimulacrorum, & ſpecierum ipſorum ſenſibilium immiſſus à Deo ipſi dormienti. At Ariſt. inquit multiplicitatem ſpecierum ipſorum obiectorum ab ipſis rebus non à Deo fluentibus eſſe cauſam ſomniorum: per aerem enim deueniunt ad ſenſus exteriores, deinde ad interiores, & tandem ad imaginatiuam, & ſic fit ſomnium, & preuiſio. Ratio autem Ariſt. quod hæc cauſa ab eo aſſignata ſit verior quàm illa Democriti, eſt, inquit Ariſt. quia per hanc cauſam poſſumus reddere rationem omnium, quæ accidunt in ſomnio ſcilicet quare fiat de nocte & non in vigilia, & cum de nocte fiant, cur fiunt dormienti, & non vigilanti, & tertio cur magis immittuntur ignaro quàm ſapienti, quorum omnium Democritus rationem reddere non poteſt. Ad primũ enim Ariſt. dicit, quod fiunt de nocte magis, quàm de die, quia ſenſibilia magis multiplicant ſpeciem de nocte, quàm de die; quia in die vigent magis venti, & motus fortiores fiunt, qui ipſas ſpecies impediunt, ne ita facilè ad ſenſus externos perueniant. Ad ſecundum. Reſpondetur, quod motus ſpecierum in organo phantaſiæ ſunt leuiores, ideò facilius ſentiuntur cum corpus quieſcit, quàm quando vigilat; quia, in vigilia fiunt motus vehementiores. Vnde videmus quod paruus ſtrepitus dormientibus videtur tonitruum; hoc enim accidit, quia in quiete magis percipitur motus ſenſibilium ſpecierum.

Cauſa adducta à Democrito ſomniorum refellitur ab Ariſt.

198 Ad tertium. Reſpondetur quod homo fatuus eſt alienus à curis, & cogitationibus; prudentes verò ſunt pleni multis curis, &

cogi-

cogitationibus, quorum motus ſunt fortiores; ideò impediunt motum ſpecierum ſenſibilium cauſantẽ ſomnium,quia eſt motus debilior.

199 Quod autem Dæmocritus per ſuam cauſam non poſsit reddere rationẽ horũ probat Ariſt.quo ad primum; quia ſi iſtę ſpecies defluerent a Deo ſomnium magis fieret de die,quam de nocte; vel ſic eſſent de die, quàm de nocte, quia Deus operare poſſet ſic de die, ſicut de nocte; videmus tamen experientia fieri de nocte. Neque poteſt ſatisfacere ſecundæ, quia cogitatiua in vigilia eſt ita capax ſpecierum, ſicut in ſomno. Neque quò ad tertium,quia melius & facilius homini docto immitterentur,quàm ignauo;quare concludit, ſi vlla datur cauſa horum ſomniorũ eſſe defluxum ipſarum ſpecierum a ſenſibilibus ipſis non à Deo ad ſenſus externos, deinde ad phantaſiã; dat exemplum de lapide iniecto in aquam, fit commotio in aqua, & iſta commotione cauſantur mille circulationes in aqua vna poſt aliam; ita fit in propoſito, cum enim obiectum ſenſibile immittit ſpeciem immutat primam partem aeris, & aer habens ſpeciem, illam immittit alteri parti aeris, & ſic deinceps, quò ad perueniat ad ſenſus externos. Hæc eſt opinio Ariſtotelis.

200 Demum dicit quod huiuſmodi ſomnia inſunt tribus generibus hominum ſcilicet patientibus extaſim,ideſt alienationem mentis; familiaribus reſpectu familiarium; & denique Melancholicis. Adducit rationem de ijs, qui patiuntur extaſim, quæ eſt, quia iſti patiuntur alienationem mentis, nec ſenſus exteriores operantur, & remanent immoti,& tamen vigilant,non tamen vident,nec audiunt;quia retracti ſunt ſenſus exteriores ab intra, & quieſcunt ab opere ad extra, & ſic cogitatiua eſt vacua à curis, & proinde non excludit impreſsiones ſpecierum ſenſibilium externorum receptas in ſenſibus interioribus quibus preuident futura; quia percipiunt ſpecies illorum obiectorum ante alios,& ſic diuinant,& prædicunt futura: Adducit deinde rationem,quare inſint familiaribus,quam omitto.

Quibus hominibus inſint ſomnia diuinantia ſecundum Ariſt.

De extaſi.

201 Adducit deinde rationem,quare inſint Melencholicis, & eſt, quia (inquit) Melancholici habent vehementiam magnam in commotione ſuorum phantaſmatum; ideò cum aliquod phantaſma eorum phantaſiam à principio commouet, vehementer per illam,tanquam à principio diſcurrit per omnia alia phantaſmata ordinata in mente ſua, & ſic pręnoſcit futura. Qui modus, & ratio eſt ſatis obſcura, & litera Ariſtot.eſt ſatis difficilis,& diuerſimodè exponitur ab expoſitoribus. Dat Ariſtot.tria exempla vltimum quod facilius videtur eſt de vorticibus aquæ,videmus enim quod cum vortex aquæ eſt vehemens non impeditur ab alio vortice aquæ aduerſo minus vehementi, ſed illum ſuperat. Sic in Melancholicis ita eſt vehemens imaginatio in ſuis

imaginibus, & ſpeciebus, quas habet repoſitas in mente, quod non diuertitur à cogitatione ſuarum imaginum, & ſpecierum per occurſum imaginum aliarum, ſed a principio vſque ad finẽ percurrit ab illa per omnes alias, atque per hunc diſcurſum factum per ſimilitudinem illarum imaginum venit in cognitionem rerum futurarum. Quod declarant Expoſitores vario modo. Magis intelligibilis videtur eſſe hic. e.g. Si quis ſomniabat dum dormiret quod erat magna pluuia, poſtea per virtutem cogitatiuæ inferat quod illo anno erit maxima penuria frumenti diſcurrendo à ſimili ad ſimile, quia in imaginatiua habet quod tali anno fuit maxima pluuia etiam fuit maxima penuria; ſic à ſimili: infert ergo hoc anno erit maxima penuria, & ſic Ariſtot. vult quod diuinatio, & vaticinia fiant per hunc modum, & negat fieri à Deo, vel ab Angelis, vel Dæmonibus per reuelationem futurorum, vel manifeſtationem rerum abſentium, vel præteritarum. Atque ideo ex hoc effectu negant Aduerſarij deduci dari Dæmones, & Angelos.

Quo argumento negãt Aduerſarij dari Dæmones, & Angelos.

202 Præterea dicunt Sibyllas, & alios, qui furore diuino inſtigari dicuntur, & oraculis aſſiſtebant ad dandum reſponſum, vt Pythia apud oraculum Delphicũ id habere ex halitibus terrarum diuerſarum, & exhalationibus certorum locorum, ac loca ipſa inter ſe ſitu, & Cœlorum poſitiua diſtantia conducere multum ad diuinationem faciendam. Nam vt dicunt, imaginatio ſecum habet vires diuinandi, ſed eget motu, & excitatione facta ab aliqua re; ideò cum halitus prædictos, exhalationes, loca diuerſa ſint accomodata ad mouendum imaginationem, dicunt eſſe cauſas diuinationis, & vaticinij. Addunt non ſolùm halitus, &c. eſſe aptas cauſas ad excitandum furorem ad diuinandum; in aptis ad diuinandum ſed etiam herbas, & lapillos, vt de Chelidonia Plinius narrat, & de Teangelica, qua pota magos diuinare ait; & alia huiuſmodi multa afferunt, quibus omnes effectus Magicos, & Dæmoniacos tollere, & ad cauſas naturales referre nituntur.

Halitus, & exhalatiões ſecundũ hãc opinionẽ eſſe cauſas diuinationis.

Opinio allata reijcitur.

1. Ratio.

203 Allata opinio, quàm ſit falſa non poteſt maiori ratione comprobari, quam experientia ipſa. Etenim ſi fieri poſſet, vt complexio, & temperamentum ex mixtione qualitatum ad tantam perfectionem reduceretur, vt poſſet homo virtute illius facere opera miranda, & ſupra naturam, cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſupra adduximus ex Valerio Max. ſequeretur huiuſmodi temperamentum eſſe naturale, & eſſentiale omnibus hominibus; prodiret enim ex principijs naturæ, & proinde eſſet maximè intentum à natura; quæ autem ſunt à natura eueniunt ſemper, vel vt plurimum, ad differentiam eorum, quæ eueniunt à caſu, & a fortuna, quæ eſt doctrina clara Ariſt. ratione, & experientia firmata. At experientia patet pauciſſimos eſſe homines qui hoc temperamentum ſecundum eorum ſententiam aſſequantur; neque

enim

enim alios aſſignare ſciunt niſi Moyſem, Chriſtum Dominũ, & Prophetas. (Falsò enim enumerant Mahumetum; quia nullum miraculum verum feciſſe certum eſt.) Neque Moyſem, Chriſtum Dominum, & Prophetas numerare ſciuiſſent, niſi fuiſſent Chriſtiani, & ex lege Chriſti hos feciſſe miracula didiciſſent. Vnde Ariſt. & alij Philoſophi, qui fidem Chriſti ignorauerunt huiuſmodi temperamentum nō agnouerunt, nec fieri poſſe docuerunt.

204 Præterea ſi mixtione, & æqualitate perfectiſſima conſurgeret huiuſmodi temperamentum perfectiſſimum ſequeretur, quod ex mixtione proxima huic perfectiſſimo temperamento conſtitueretur temperamentum illi perfectiſſimo proximum; atque conſequenter, quod homo tali temperamento præditus poſſet facere opera mirabilia, & ſupra naturam, licèt non eſſent ita excellentia, & ita admiranda, ſicut opera facta ab eo, qui temperamento perfectiſſimo foret. Exempli gratia. Si habens temperamentum perfectiſſimum, quod ponatur eſſe decem graduum, poſſet facere opus miraculoſum quoad decem, qui haberet temperamentum proximum illi nimirum perfectum quo ad nouem gradus poſſet facere opus miraculoſum quo ad nouem, & ſic de alijs, ſecundum perfectius, vel minus perfectum temperamentum. At experientia videmus neminem efficere aliquod mirandum quod excedat vires naturæ elementares; & quidquid facit vnus homo, ſecluſa arte, & ſcientia applicando actiua paſſiuis videmus quemcumque alium facere, ſi attentet; ergo pluſquam vanum eſt tribuere temperamētum vim aliquam per ſe efficiendi miranda, ſeu miracula. 2. Ratio.

205 Præterea ſi temperamentum iſtud, quod appellant iuſtitiale, daretur, vel dari poſſet, homines illo præditi non poſſent operari veneficia, & faſcinationes, virtute illius; conſequens eſt falſum, & contra illos; quia omnes effectus prodigioſos volunt prouenire à virtute huius temperamenti, & volunt ſaluare omnia, quæ fiunt à Dæmonibus, non à Dæmonibus ſed naturaliter ab hominibus virtute huius tēperamenti ad placitum voluntatis humanæ fieri. Antecedens verò probatur, quia hoc temperamentum, cum ſit perfectiſſimum opus naturæ, eſſet per ſe intentum à natura, & eius principalis finis: Natura enim agit propter finem, & natura eſt Dæmonia, vt habet Ariſtot. lib. de Diuinatione per ſomnium & alibi, ideſt natura eſt prudens; finis autem intentus à prudenti natura non poteſt eſſe ad malum; ergo ſi daretur hoc temperamentum eſſet ad effectus bonos ſcilicet ad conſeruationem rerum naturalium, & præſertim hominis non ad deſtructionem, & ruinam eius; repugnat ergo principijs naturæ dari hoc tēperamentum ordinatum ad veneficia, & ruinam hominum; & naturę. 3. Ratio. *De temperamento iuſtitiali.*

206 Quod ſi quis dicat hanc vim non competere hominibus ra-

tione principiorum naturalium, & eſſentialium ſpeciei, ſed ratione indiuidua, & temperamenti proprij. Contrà. Hoc eſt quod impugnamus, quia cũ tẽperamentũ in ſpecie ſit opus naturæ, & à principijs ſpeciei oriatur, temperamentum maximè perfectum debet eſſe intentum à natura, & non per accidens: quæ enim per accidens eueniunt, eueniunt ex defectu non ex inſtituto naturæ, vt ſunt monſtra; ſi daretur ergo hoc temperamentum in aliquo homine illud maximè eſſet opus naturæ; quare illud deberet eſſe optimum, & ad talem optimum finem non ad deſtructionem eiuſdem naturæ & aliarum ſpecierum.

Tacita obiectio refellitur.

4. Ratio. 207 Præterea ſi hæc vis efficiendi mirabilia, & etiam faſcinandi ineſſet hominibus vi temperamenti, operarentur operationes iſtas naturaliter, non pro libito voluntatis. At Aduerſarij volunt quod iſta efficiant pro voluntate ſua, ergo. Antecedens probatur, quia quæ ſunt à natura non parent voluntati; neque enim voluntas poteſt imperare vegetatiuæ vt non conuertat cibum in carnem; quod non appetat cibum conueniens, quod non refugiat a noxo, & ſimilia. Si ergo quis ex ſuo temperamento eſſet veneficus non poſſet non veneficia inferre, neque poſſet huic, & non illi illud inferre, ſed omnibus æqualiter; Vnde cum hominibus non poſſet verſari, ſicut ſerpens, quia natura ſua eſt veneficus cum nulla ſpecie animalium verſari poteſt, quin illa inficiat. eſt ergo omninò ridicula horum opinio de temperamento iuſtitiali.

Ad fundamenta aduerſariorum ex experientiis. 208 Fundamenta eorum ex experientijs illis adducta nullius ſunt momenti. Vaniſsima enim eſt conſecutio arguere à rebus inſenſatis, & animalibus brutis ad homines; Cum enim ſint nedum ſpecie, ſed etiam genere ſaltim ſubalterno diuerſa, proprietas, quæ eſt in vno, non debet inferri eſſe debere in alio. Quare ſi aliqua herba, vel lapis, vel Animal habet vim veneficam, & noxam non debet inferri eandem vim eſſe in homine, & eò maximè, quia homo eſt opus præſtantiſsimum naturæ, propter quem nedum inferiora, ſed etiam cœleſtia eſſe facta videntur. Cœleſtia enim inſeruiunt naturæ humanæ, quia inſeruiunt huic mundo ſublunari in quo nullum ens perfectius reperitur homine. Sicut autem videmus ſpecies nobiliores aliorum entium ad effectus nobiliores ordinatos eſſe, non ad aliquod maleficium, vt patet de arboribus, plantis, & alijs nobilioribus ſpeciebus Animalium; ſic dicendum eſt multo magis de homine.

209 Quod autem dicunt hominem participare cum cæteris rebus creatis, quia homo habet aliquid commune cum omni creatura, quia cum lapidibus habet eſſe, cum arboribus viuere, cum animalibus ſentire, hoc minime concludit proprietates, & maximè noxas aliarum creaturarum ineſſe homini. certè omnes creaturæ nedum homo conueniunt ad inuicem in primis principijs, vt in materia, & forma, in

quatuor

quatuor primis qualitatibus, & tamen non ob hoc ſequitur, quin inter ſe habeant diuerſas proprietates,& naturas;ideò vaniſſima eſt hęc argumentatio,& indigna philoſophiæ profeſſoribus,& medicis.

Ad id de mulieribus menſtruatis.

210 Quod verò adducunt de Mulieribus Menſtruatis, eſt pariter indignum philoſopho. Sanguis enim menſtruus eſt à natura ordinatus,& datus mulieribus propter generationem humanam, nimirum ad fœtus nutriendum, & augendum. Cum autem mulieres non concipiunt, nec vterum gerunt, cum ſit ſuperfluus certis temporibus emittitur ab ipſis mulieribus abſque vlla noxia, tam ipſarum mulierum,quàm aliorum. Quod ſi aliquando, & in aliquibus mulieribus eſt vitioſus, & exitialis, hoc eſt per accidens ſcilicet propter aliquam admixtionem humorum prauorum,& vitioſorum,quę natura ad vterum tanquam ad Cloacam, & ſentinam deponit. Et certè ex hoc opere maxime ordinato à natura ad propagationem naturæ, ducere argumentum quod ſit ordinatum ad maleficium,& deſtructionem eiuſdem naturæ, neſcio an hominibus qui philoſophiæ abdita perſcrutantur dignum ſit.

De Anthroppophagis.

211 Ad illud de Anthroppophagis, qui ſecundum Plinium lib.4. veſcuntur carne humana. Reſpondeo, hoc arguere morum feritatem,non proprietatem. Nam etiam apud nos reperiuntur, qui viperas comedunt inciſa cauda,& capite,& tamen non dicimus eos natura eſſe veneficos, nec inſitum habere venenum.

De Pſyllis.

Ad illud de Pſyllis,& ſimilibus. Reſpondetur. Huiuſmodi affectiones nullo modo a natura hominibus innaſci,ſed,aut induſtria acquiri,vel Dæmonum auxilio exerceri. Atque hoc vltimum, eſt valdè veriſimile; quoniam Plutarchus ſcribit Catonem iter per deſerta Lybiæ facientem,ſecum Pſyllos duxiſſe, qui morſibus ſerpentum mederentur partim ore trahentes venenum; partim ſerpentes cantibus medicātes;apparet ergo homines illos incantationibus vſos fuiſſe,& proinde arte magica Dæmoniaca vſos fuiſſe.

Plutarchus de Catone.

Opinio quod hi effectus à Malencholia oriantur reiicitur.

212. Altera opinio eorum, qui omnes illos effectus ad Malencholiam,& atram bilem reducere conantur,eſt omnino quoque à ratione, & à Philoſophia aliena, licèt Ariſtot.illi fauerit quo ad diuinationem, vt vidimus;ſed de Ariſt. non eſt mirum,quod nixus fuerit exiſtentiam horum effectuum tribuere Malencholiæ, quia ipſe cum eſſet priuatus reuelatione diuina,& ea tantùm ſcriptis tradere inſtituerit, quæ principijs rerum naturalium conueniunt, nullam ſciuit reperire aliam magis apparentem cauſam. Verùm, vt infra patebit ipſe quoque nouit eam reuera non ſatisfacere. Quæro ergo ab auctoribus huius opinionis,vt doceāt quomodo per humorem melancholicum fieri poſſent ea prodigia, & miranda, quæ recenſuimus de redditu Deorum Penna-

Melancholia non potuit eſſe cauſa diſceſſus Deorum Pennatum, ſerpentis Epidaurii &c.

tuum Alba Lauinium; de Serpentis Epidaurij progreſſu Romam; de actionibus Quintæ Claudiæ, & Taciæ Veſtalium. Certè quomodo humor Melancholicus hos effectus attingere poſſit non eſt intelligibile. Melancholia quidem excitata poteſt inducere veſaniam in eum, qui tali humore premitur: atque intra imaginatiuam ipſius mira monſtra producere. At quod in alienis corporibus motum aliquem, vel effectum alicuius momenti, nulla apparet ratio, vt ſupra diximus de imaginatione, quia nulla eſt proportio actiui ad paſſum, adeſt diſtantia, motus ille ab humore melancholico facit motum in imaginatione, qui eſt motus & actio immanens, non tranſiens, nec aliquid relinquens extra in obiecto imaginato; ideò velle aſſerere, quod opera illa mirabilia facta ſint ab humore melancholico alicuius hominis, vel mulieris eſt omninò alienum à ratione. Neque etiam quis dicet, quotquot viderunt ſerpentem Epidaurium vehi naui Romam affectos fuiſſe humore melancholico. Eſt enim incredibile, quod & Legati Romani, & ſerui eorum & Nautæ, & populi Epidaurij, qui viderunt ſerpentem ſpatiari per Epidaurium, & Romani, qui viderunt eum è naui deſcēdere in templum humore melancholico correptos, atque inſanos fuiſſe: quomodo enim eodem tempore omnes, & ſimul, etſi eſſent diuerſarum complexionum potuiſſent offici ita acriter tali humore, vt putarent videre, quod non viderent? Præterea nunquid vniuerſus populus Romanus erat humore malencholico actu correptus quando Quinta Claudia traxit Nauem Matris Deorum Zona ſua; & Tacia hauſit aquam cribro, vt inſanirent, & putarent ſe videre, quod non videbant, & omnes eandem viſionem haberent? Hæc ergo opera minimè ab humore melancholico prodire non poſſe eſt omninò indubitatum. Velle autem omnia iſta facta eſſe negare, eſſet negare totum illud, quod nos non videmus oculis noſtris, & ſic poſſemus negare omnes hiſtorias, & ſcriptores, qui hæc facta eſſe publicè commemorāt, ac templa in horum memoriam ædificata fuiſſe, quæ quidem ſi eſſent mendacia deluſi fuiſſent ab ijs, qui eo tempore vixerunt, quo hæc facta fuiſſe mentirentur.

Effectus miros Magorū, vt vehi per aera, loqui aliena lingua &c. non poſſe fieri à melancholia.

213 Eiſdem rationibus probatur falſum eſſe à Melancholia procedere effectus maleficorum, & maleficiorum mirabiles, & ſupra naturam elementarem & corpoream, cuiuſmodi ſunt homines vehi per aera ad ludos nocturnos, aliena lingua loqui, oculta præuidere, & diuinare, futura enunciare. Nam oporteret vt Auctores, qui hos effectus in Melancholiam, & habitus, & vapores noxios referunt, declararent modum, quo ab his cauſis huiuſmodi effectus efficiantur. Neque enim ſufficit aſſerere, ſed opus eſt aſſertionem declarare, & probare; hic enim eſt verus modus philoſophandi. ęquidem maleficas mulieres corpora-

pora-

Digitized by Google

poraliter per aera deferri ad ludos eſt ſententia ferè communis, auctoritate, ratione, & experientia comprobata, quam enixè tuetur Martinus del Rio lib. 2. Diſquiſitionum Magicarum q. 16. contra eos, qui aſſerunt dumtaxat animi cogitatione, & Diabolica illuſione intereſſe, qui fuerunt Lutherus, & Melancton, & multi hæretici; & ex Catholicis nonnulli præſertim Alciatus lib. 8. Pareg. cap. 22. Martinus autem del Rio adducit tot experientias ex viris doctis, & fide dignis acceptas vt illis credere nolle, & omnes nugatores reputare, irrationabile videatur. Et quidem, quæ in contrarium adducuntur, quod experientia compertum ſit aliquando ſagas dixiſſe ſe ad ludos iuiſſe corporaliter, & tamen repertas fuiſſe in eodem loco ſemper ſopitas manſiſſe, probant ſepè per imaginationem tantùm ludis interfuiſſe; at non ob id obſtat quin quandoque etiam corporaliter interſint. Neque enim hoc repugnat, quia ſcimus Dæmones habere potentiam deferendi corpora ab vno loco ad alium; ſcimus etiam eſſe agilem, & potentem & poſſe auferre obſtacula, quæ eius motum impedire poſſent. Cum ergo fieri poſſit, & tot teſtibus, & experientijs factum eſſe, & fieri comprobetur eſſe verum ſupponendum eſſe decreui. Qui vult hanc diſputationem exactam videre legat Auctorem prædictum loco citato.

De ſagis extib. ad ludũ.

Lutherus, & Philippus Melancton.

214 Ego vnicam Hiſtoriam ex Bartholomeo Spineo quæſt. de Strygibus cap. 17. hìc adducam, quæ fortaſſe Lectori non erit inutilis. *Quandam (ait) puellam, quæ cum Matre Bergomi moraretur, inuentam fuiſſe nocte Venetijs in thalamo ſui affinis, quam mane repertam nudam, recognitamque, quia conſobrina erat, cum interrogaſſent quomodo illuc veniſſet, aut ibi eſſet, & quarè plorans illa, poſtquam veſtita ab eis fuit, hæc quæ ſubdo enarrauit, dicens. Hac nocte, cum in lecto vigilarem vidi matrem meam, quæ me dormire putabat ſurgentem de lecto, & exutam camiſia ſe quodam vnguento, quod ex vaſculo aſſumpſit de ſub lateribus extracto perungentem corpus; & ſtatim aſſumpto baculo quodam ibi præparato in modum equitantis aſcendens extra feneſtram deportata eſt, & à me nequaquã ex tunc ibi viſa. cumque ipſa quoque de lecto ſurgens, meum, vt mater fecerat perunxiſſem corpus extra feneſtram educta ſtatim in hunc locum deportata ſum, vbi matrem puero huic lecto decumbenti inſidiantem vidi. ex quo ego territa, cum matrem quoque ob meum aduentum turbatam vidiſſem, & comminantem, nomen Domini Ieſu, & Beatæ Virginis inuocaui, & ex tunc matrem non vidi, & ego hìc nuda ſolaque remanſi. His auditis à puella ſcripſit hæc omnia affinis ille narrantis Patri Inquiſitori Bergomenſi, à quo capta mulier, & tormentis expoſita cuncta confeſſa eſt, & addidit ſe à Dæmone pluſquam quinquagies deportatam, vt puerum illum prædicti affinis occideret, ſed tamen præualuiſſe nunquam, eò quod ſemper illum inuenerit ſigno Crucis, & Sanctis Orationibus à parentibus benè munitum.* Hæc ibi.

Hiſtoria de puella corporaliter delata Bergomo Venetias à Dæmone.

Hiſtoria quę dam ab Auctore adducta.

Magiſter Zacharias de Rauēna Inquiſitor Pataui.

215 At ego non poſſum non adducere hic hiſtoriam, quam non referrem, niſi à viro honoratiſſimo, & ab omni mendacij ſuſpicione alieniſſimo, Magiſtro Zacharia Vrceolo de Rauenna Inquiſitore Pataui; toti Ciuitati notiſſimo, & omni virtutum genere præſertim verò prudentiæ ornatiſſimo proprio ore intellexiſſem non vna vice, ſed pluries, dum de huiuſmodi ſtrigibus, & ſagis pro munere ſuo occurreret ſermo. Dum eſſet Inquiſitor Senarum ei delata fuit quædam anus pauper quod eſſet ſaga, & paruulos in quibuſdam ruribus, & ſuburbanis illius Ciuitatis veneficijs afficeret, & interficeret; fuit autem delata à quadam muliere, quæ pro certo tenebat proprium filium ab huiuſmodi vetula interfectum fuiſſe veneficio, his coniecturis; quod de huiuſmodi crimine hæc anus eſſet diffamata, & quod cum quadam die huiuſmodi anus ſub ſpecie eam viſendi propè lectulum paruuli aſſediſſet, & mulier paruuli mater aliquantulum ad neſcio quid faciendum à paruulo diſceſſiſſet, ex improuiſo gemitum vehementem paruuli audiuit, & ſtatim accurrens, vidit anum paruulum blandicijs afficere dicendo. tace animula mea, & ſimilia: Verùm paruulus minimè acquieſcebat, ſed magis gemebat, nec ab illa hora amplius ſe bene habuit, ſed intra paucos dies è vita exceſſit. Vnde pro certò tenebat quod anus illa eadem hora paruulum veneficijs affeciſſet. Pater Inquiſitor peractis, quæ de iure erant agenda, euocata anu omnem diligentiam adhibuit vt veritatem inueſtigaret; Sed cum nihil proficeret, volebat ipſam dimittere. At dum hæc cogitaret ſatius iudicauit blanditijs prius tentare, an ex ore eius veritatem habere poſſet. Educi ergo eam fecit è carcere, atque blandè ei cœpit dicere, quod contra eam nihil inueniebat, & quod decreuerat eam ſtatim dimittere. Nihilominus rogabat eam, vt ſic priuatim inter ſe, & illam ſolam vellet ei manifeſtare veritatem huius rei, oſtendens ſe valdè cupidum internoſcendi quomodo ipſę Maleficæ huiuſmodi veneficia efficere poſſint. Tunc anus reſpondit, video quod ſis vir lepidus, volo tibi moremgerere, & adamuſſim narrare, quomodo res ſeſe habeat. Ego quadam die ob nimiam paupertatem in deſperationem eiecta cœpi blaſphemare, & Dæmonem inuocare, vt me adiuuaret, & ſubleuaret à tanta paupertate, & animam meam ei deuouebam. Dæmon apparuit mihi in forma humana & dixit, ecce me aduocaſti preſto ſum paratus tibi ſuccurrere, dummodò quod promiſiſti ratum habere velis. ipſa pactum ſecum iniui, animam meam illi deuoui, eum Dominum animæ meæ cōſtitui, & omnibus eius iuſſis obedire promiſi, & pacto inito mihi neceſſaria ſubminiſtrauit, nō tamen lautè: Precepit autem, vt arti huius Magicæ incumberem, & de modo me inſtruxit; ideo ego, & aliæ ſagæ in eius obſequium, & honorem huiuſmodi paruulos, & alios prout nobis

placet

Digitized by Google

placet veneficio afficimus, & occidimus. Tunc Pater Inquiſitor interrogauit, quænam eſſet cauſa, vt paruulis illis innocentibus nocerēt. Reſpondit, nonne ſcis, quod Diabolus eſt ſuperbus? ipſe nihil magis appetit, quàm honorem diuinum; ideò vult, vt nos ſagæ paruulos illos innocentes, tanquam in ſacrificium, cultum, & honorem eius occidamus; delectatur enim ſacrificio huiuſmodi victimarum innocentum. Pater Inquiſitor interrogauit: An ipſa verè veneficio affecerit paruulum de quo accuſabatur, & quomodo huiuſmodi paruulos necarent. Reſpondit verum eſſe ipſam paruulum illum veneficio interfeciſſe eo modo quo à muliere delatum fuerat; tangendo enim eum ſolo digito, ſicut, & multos alios, paruulum illum faſcinauit, & veneficio affecit, propter quod tandem mortuus eſt. Atque hunc eſſe morem faſcinandi paruulos. Dæmonem deinde eſſe illum qui intrinſecus morbis dolorificis afficit, & interrimit ex pacto cum ſaga inito. Pater Inquiſitor interrogauit quomodo ingrederetur domos clauſas de nocte. Reſpondit Dæmon aperit nobis hoſtia vt ingredi poſſimus, & efficere valeamus, quæ volumus. Aſſeruit etiam Dæmonem ipſam carnaliter ſępius cognouiſſe, & reuera ad ludum ire in corpore cum alijs ſagis. quæ cum audiſſet Pater Inquiſitor, cogitauit rem hanc ſupremo tribunali Sanctæ Inquiſitionis ſignificare; ſed dum de deliberatione cogitaretur quodam mane inuenta eſt à miniſtris in carcere mortua ſatis horribili aſpectu. Hæc vir omni exceptione maior, & fide digniſſimus.

216 Illud mihi magnam fidem facit, quod ſi hæ tranſlationes ad ludum eſſent ex humore melancholico ſomnia, fieri non poſſet, vt ait Codronchus, vt tot Maleficæ omnibus ſæculis, ac in diuerſis Mundi partibus captiuatæ, & examinatæ hos ludos eodem modo referrent, & eſſent omninò conſentaneæ; deliramenta enim, & ſomnia ex melancholia prouenientia ſemper ſunt difformia, & vix multis ſęculis reperti ſunt duo, qui eadem ratione, & eiſdem delirijs, & ſomnijs omni ex parte laborauerint. Adde, quod formare ſibi ſomnia, & efficere, vt per imaginationem ea percipiat, quæ optat habere, eſt impoſſibile homini; ſagæ hoc obtinent; ergo non eſt opus humanum, nec melencholiæ, ſed Dæmonum. Ratio efficax.

217 Alius effectus ſupra naturam experientia cernitur fieri arte Magica. Videmus quandoque aliquem ruſticum aliena lingua loquentem, quam nunquam didicit, nec alium in ea loquentem audiuit, vt ruſticum italum lingua germanica, vel polonica rectè conceptum aliquem explicantem; certè hic effectus non poteſt cauſari ab humore melancholico. Nam eſt regula certa Ariſt. & vera nihil eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, & pari ratione nihil eſt in phantaſia, quin prius *De loquente in lingua aliena.* 3. De anima tex. 29. & 30

Digitized by Google

prius per ſenſus externos ad internos non tranſiuerit. In propoſito autem ruſticus ille nunquam audiuit phraſes illas abſtruſiſſimas, nec aliquem in illo idiomate loquentem intellexit. ergo eſt impoſſibile, quod hæc locutio fiat virtute humoris Melancholici; humor enim melancholicus poteſt quidē phantaſmata exiſtentia in phantaſia commouere, & diuerſas compoſitiones ex illis facere. At phantaſmata, quæ illic prius non erant introducere non poteſt, vel alijs manifeſtare, & præſertim rerum, quæ ex inſtitutione hominum non ex re ipſa habent eſſe, ſicut cæcus à natiuitate, qui nunquam colores vidit, ex humore melancholico non poteſt de illis phantaſiare, & aliquam compoſitionem facere.

2. Ratio. 218 Præterea doceant quæſo, quomodo rerum imagines, & Idromatum verba, & nomina ex hominum inſtitutione prodeuntia, quæ nunquam ad ſenſum alicuius hominis peruenerint poſſint in imaginatiua eius per humorem melancholicum, vel per halitus varios terrarum generari? Certè illæ imagines, & phantaſmata non præexiſtūt in anima; quia ex ſententia Ariſtot. à principio eſt tanquàm tabula raſa in qua nihil eſt depictum. extrinſecus ergo debent deferri; per halitus autem non poſſunt deferri, niſi ab obiectis efformentur & deferantur ad ſenſus externos, & deinde ad internos, & in imaginatiua reponantur, atque hoc modo de illis fiat recordatio, & cōmotio, & compoſitio, certè in Philoſophia nullus alius modus aſſignari poteſt; ergo illi quorum ſenſus externi non ſunt moti à ſenſibilibus externis, de nulla re imaginari poſſunt, neque per melancholiam, neque per halitus.

3. Ratio. 219 Prę terea experientia patet, huiuſmodi homines, vel mulieres, quas à Dæmone vexari dicimus, ſepè loqui abſque vſu inſtrumentorum naturalium requiſitorum ad vocem formandam; ſiquidem aliquando loquuntur ore clauſo omninò lingua immota, vel in mentum prominente. At ſi hic effectus eſſet ab humore melancholico, vel aliquibus halitibus, neceſſariò deberet formari per inſtrumenta naturalia; ergo ſignum eſt quod formantur ab aliqua ſubſtantia ſuperiori, quam dicimus Dæmones eſſe.

4. Ratio. 220 Præterea ſi iſti effectus prodirēt ab humore melancholico, ſequeretur frequentius homines, quàm mulieres his morbis vexari. Conſequens tamen eſt falſum, quia experientia conſtat longè plures mulieres his morbis corripi, quàm homines. Conſequentia verò probatur: quia, authore Cornelio Celſo, & Medicis homines ſunt magis parati ad humorē melancholicum, quàm mulieres vt oſtendit Codronchus lib. 2. de veneficijs cap. vltimo: immo plurimum prudentes hoc morbo laborare deberent; quia Ariſtot. ipſe Prob. ſect. 30. dicit, ſapientes, & pru-

& prudentes omnes eſſe melancholicos. Verba eius ſunt prædicto loco in principio. *Cur homines qui ingenio claruerunt, vel in ſtudijs philoſophiæ, vel in republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercẽdis melencholicos omnes fuiſſe videamus, & alios; ita vt etiã vitijs atræ bilis infeſtarentur, ceu inter Heroes de Hercule fertur, &c.* Ariſt. Probl. 30.

221 Præterea dicit Ariſt. homines facientes huiuſmodi effectus ex malencholia eſſe inſanos, vt Sibyllas, & Bacchantes dantes reſpõſa oraculorum. At conſtat hoc eſſe falſum; quia huiuſmodi mulieres, quæ abſentia manifeſtant & quædam futura prædicunt ſciunt referre quid egerint, cum quo egerint, quomodo præſentia, præterita, & futura enuntiauerint, & in omnibus etiam alijs actionibus mente conſtant, aptè reſpondent, & nullum ſignum veſaniæ oſtendunt; ex quo aperte colligitur non laborare morbo Melancholiæ. Quod optimè nouit Cicero lib. 2. de diuinatione, qui licèt eſſet eiuſdem ſententiæ Ariſtot. & virorum huius opinionis, vt patet ex illis verbis eodem 2. lib. de diuinatione. *At me Peripateticorum ratio magis mouebat, & veteris Dicearchi, & eius qui nunc floret Cratippi, qui cenſent in mentibus hominum, tanquàm oraculorum aliquod, ex quo futura præſentiant, ſi aut furore diuino incitatus animus, aut ſomno relaxatus ſoluti moueantur, ac liberè.* Tamen quantũ ad id quod Sibyllæ & Bacchæ furore Melancholico loquerentur, non autem quò ad veritatem prædictorum ab oraculis (quorum diuinationem confutat) loquens de Sibylla Erythrea, quæ protulit ita apertam prophetiam de Chriſto Domino, quàm adducemus infra in diſp. An gentiles myſteria noſtrę fidei cognouerint cap. 1. inquit, illam Sibyllam nequaquam inſanam apparere in illis carminibus, ſed valdè ſagacem, & cordatam. Vndè habet hæc verba. *Non eſt autem illud carmen furentis cum ipſum Poema declarat (eſt enim magis artis, & diligentiæ, quàm incitationis, & motus) tum verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, ideſt cum deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur, vt cum quibuſdam Ennianis Quintus Ennius fecit id certè, magis eſt attenti animi, quàm furentis. Atque in Sibyllinis expoſitio verſu cuiuſque ſententiæ carmen omne prætexitur. hoc ſcriptoris eſt non furentis, adhibentis diligentiam non inſani.* Hæc Cicero. Ex quo apparet, quod Sibylla, non ex humore Melancholico illos verſus compoſuit, ſed afflata ſpiritu quidem non terreno, nec ex antris hauſto, ſed diuino, alias per reuelationem manifeſtato: At ego oſtendam in prædicta quæſtione vel certè tunc à Deo, vel per Angelos bonos, vel malos immiſſo, vt etiam ex inimicis teſtimonium ſuæ fidei haberet Deus ipſe. 5. Ratio. *Ciceronis teſtimoniũ de prudentia Sibyllarum.*

Poteſt confirmari, quia vt eodem lib. docet Cicero, & omnes conſentiunt; reſponſa Apolinis erant enigmatica, & operta, ita vt vario modo poſſent interpretari. At ars hæc ſic enigmaticè loquendi, non *Cõfirmatur.*

eſt ex

eſt ex inſania, ſed ex prudentia & ſagacitate. Clarum eſt ergo non fuiſſe effectus melancholici, morbi, & veſaniæ.

6. Ratio. 222 Præterea ſi inſpiciantur reſponſa oraculorum, quæ diligenter collegit Porphirius, & aliqua adducuntur ab Euſebio in libris de præparatione, & de demonſtratione Euangelica, apertè conſpicitur auctorem maximè ſibi conſtare; vnum, & alterum adducam ex Euſebio lib. 4. & 5. de præparatione Euangelica, quæ ipſe ex Porphirio in libro de reſponſis oraculorum obſeruauit maxima diligentia; lib. 4. ergo, cap. 4. adducit hoc reſponſum, in quo Apollo ipſe inſtruit homines circa cultum, & ſacrificia Deorum.

Hæc age, qui nutu diuorum ingreſſus amice es
Huius iter vitæ: mactanda eſt hoſtia cunctis
Multa Deis, ſeu qui terram, ſeu qui mare vaſtum,
Aera ſeu qui habitant, latum ſeu qui æthera, ſeu qui
Alta colunt cœli, ſeu qui infima regna barathri
Quæ quibus obſeruanda modis ſint, ſingula dicam.
Tu memori conſcripta animo mea dicta teneto.
Terna quidem Diuis cœleſtibus hoſtia, & ipſa
Candida mactanda eſt, terna & terreſtribus atque
Atra eadem. gaudent porrò, & capiuntur apertis
Terreſtres aris: foueas cum numina contra
Expoſcunt atro imbutas inferna cruore.
Nec placeat niſi quæ terræ mandetur humata
Hoſtia, mel verò nymphæ atque liquentia vina
Offerri lætantur, ac ignem accendier aris
Quæ circumuolitant terram ſibi numina quærunt
Imponique atrum corpus, tum thura ſimulque
Injicier ſalſas fruges, & dulcia liba.
Hæc facito, verum quibus eſt data cura profundi
His ipſo ſemper fer ſacra in littore, totum
Proijceque in fluctus animal: cœleſtibus autem
Extremas reddes partes, atque igne cremabis.
Quod ſupereſt propone tibi, dapibuſque referua:
Sudet odoratis craſſiſque vaporibus aer.

223 Et lib. 5. eiuſdem libri adducit reſponſum Ecate ex eodem Porphirio quo declarat, quomodo, & ex qua materia facienda ſint ſimulacra his verbis.

Quale mihi facis ſimulacrum, aduerte, docebo.
Silueſtri cape nata loco, atque abſynthia circum
Ponito: tum totum celato, & pingito mures
Qui ſoleant habitare domos. pulcherrima ſunto

Hæc

Hæc ornamenta; atque animo gratiſſima noſtro.
Tùm myrrham, thus, ſtyracem, ipſorumque cruorem
Conterito pariter murum. ſacra deſuper inde
Verba cane, tot verò adhibe murosque repone,
Quot mihi tu eſſe vides formas; tum ſumito laurum
Exque eius trunco vaginam aptato: piasque
Tunc effunde preces ſimulacro, & debita ſolue
Vota. Hæc ſic facies per ſomnum meque videbis.

Huiuſmodi reſponſa certè non ſapiunt aliquid morbi veſaniæ, ideò quod proueniant ab hominibus, vel mulieribus veſanis abſurdum eſt.

224. Vltimò. Oraculorum reſponſa nõ ſolùm fiebant per mulieres, vel homines, ſed per ipſas ſtatuas, & ſimulacra ſine interuentu alicuius hominis, vel mulieris; fiebant etiam per ſimplices voces ex antris, & delubris prodeuntes. quod conſpicitur ex eo oraculo quod adducit Porphirius in eodem lib. Reſponſorum oraculi producto ab Euſebio lib. eodem 5. cap. 6. in quo dicit Deos neceſſitate compelli ab hominibus ad dandum reſponſa. habet enim hæc verba Hecate, ideſt Diana. 7. Ratio.

Exorata tui veni ſermonibus iſtuc
Mortales quos conſilio inuenere Deorum.

& in alio loco clarius

De cælis Hecate cur huc compulſa venire es?

& paulò poſt. Reſpondetur

Victa hominum precibus cæleſtia numina terram
Coguntur petere, & caſus aperire futuros.

225 Et confirmatur, quia Ermes Triſmagiſtus etiam adductus à D. Auguſtino lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 24. apertè docuit Dæmones, quos medios poſuit inter Deos, & homines ligatos eſſe ſtatuis arte quadam ab hominibus; habet enim hæc verba in Aſclepiade. *Quoniam animas facere non poterant euocantes animas Dæmonũ, vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis diuinisque myſterijs, per quas Idola, & benefaciendi, & male vires habere potuiſſent.* Triſmegiſtus adductus à D. Auguſt.

Præterea cum etiam ſacræ litteræ Dæmones in ſtatuis loquutos fuiſſe teſtentur non eſt credibile, quod Porphirius, & tot Philoſophi, & gentes id crediderint niſi reuera ſtatuas ſine hominibus vidiſſent reſponſa dare.

Demum oracula ceſſauerunt, vt apertè aſſerit Cicero lib. 2. de Diuinatione, vbi ſupra paulò infra his verbis; *Sed quod caput eſt, cur iſto modo iam oracula Delphis non edantur non modò noſtra ætate, ſed iam diu, iam vt nihil poſſet eſſe contemptius?* Et Plutarchus ſcripſit opus de ceſſatione oraculorum. At humor melancholicus durat, & complexio- *Oraculorum ceſſatio.* Plutarc. de ceſſatione oraculorum

Digitized by Google

nes non mutantur ſpecie: Dicendum eſt ergo vt veritas Theologica affirmat oracula ceſſaſſe, quia Dæmones in aduentu Chriſti obmutuerunt iuxta Prophetiam Iſaiæ cap. 19. & Hieremiæ cap. 2. & experientia ipſa comprobauit. Nec valet dicere quod oracula ſublata fuerunt in aduentu Chriſti, quia lex Gentilium fuit ſublata, & introducta fides Chriſti, quæ illa prohibet; quia ex Cicerone, & Plutarcho, & alijs apparet ceſſaſſe ſuo tempore; in quo licèt Chriſtus natus eſſet, tamen eius lex nondum erat diuulgata, & obſeruata per orbem, ſed Gentilium leges vigebant.

Opinio Ariſt. de Diuinatione reijcitur. 226 Quæ autem tradit Ariſt. de Diuinatione per ſomnium nullam habent conſiſtentiam: dicit enim quod qui extaſim patiuntur præuident futura, quia eorum cogitatiua vacat ab opere, & cura exteriorum ſenſuum qui ligantur & in quiete vigoratur. At ego quæro, ſi ſenſus exteriores ſunt ligati, quomodo à ſenſibilibus exterioribus poſſunt immutari, & per ſpecies illorum futura præuidere? Deinde, ſi ſenſibilia futura nondum ſunt, quomodo poſſunt ſuas ſpecies demittere ad ſenſus externos, & ad imaginatiuam atque ſcire præſentare futura? Præterea dicit Ariſtot. quod melancholici ideò diuinant, quia à principio accipiunt vnam imaginem, tanquam principium diſcurſus, & per eã tanquam per ſimilitudinem mouent alia phantaſmata, & hoc modo prænoſcunt futura. At quænam ſit hæc ſimilitudo ad futura, de quibus nullam habent præexiſtentem ſimilitudinem non eſt intelligibile. Expoſitores autem laborant illum exponere, ſed fatentur reuera ſe illam non intelligere. Vnde Ludouicus Bucaferreus vir doctiſſimus lectione 26. apertis verbis dicit. *Si ego Domini ſcirem ſoluere, eſſem contentus.* & adducit dubitationes cum reſponſionibus Aduerſariorum, quas tamen ſibi minimè ſatisfacere probat, & ſolutiones, quas ipſe adducit, fatetur eſſe leuiſſimas, quę hic adducere putaui ſuperuacaneum, quia apud illum legi poſſunt.

1. Ratio. (at "ſenſuum qui ligantur")
2. Ratio. (at "mutari, & per ſpecies")
3. Ratio. (at "ſus externos")

Vera explicatio. 227 Eſt ergo dicẽdum huiuſmodi prædictiones futurorum ab oraculis, & energumenis fieri virtute Dæmonum, qui licèt non poſſint cognoſcere futura, quæ pendent ex voluntate diuina, & humana; & quæ ſunt ad placitum, (hæc enim ſoli Deo nota ſunt, vnde Dæmones, cum prędicunt, quæ à libera voluntate hominum pendent, falluntur, & alios decipiunt; vt patet ex tot oraculis falſis, de quibus Cicero de Diuinatione, & Euſebius, de Demonſtratione Euangelica.) Tamẽ non eſt inconueniens ponere in Dęmonibus ſcientiam coniecturalem, quæ licèt quãdoque ſit fallax; tñ abſentia & præſentia latentia cognoſcere poſſunt, & etiam futura, quæ pendent ex cauſis naturalibus, & ſic poſſunt aliqua prænoſcere, & prædicere, quia, vt diximus cum Scoto in 2. ſent. in Angelis eſt cognitio intuitiua ſingularium, & abſtractiua

Digitized by Google

ua vniuerſalium, quia habent intellectum poſſibilem, & agentem, per quos accipere poſſunt cognitionem à rebus.

228 Quæ autem obijcit Pomponatius Apologię lib. 2. cap. 4. ridicula ſunt. In primis enim dicimus Angelos non cognoſcere ea, quæ ad placitum ſunt, vt ipſe ſupponit ſicut diximus. Nec dicimus cognitionem, quam habent Angeli de rebus, eſſe cauſam rerum, ſed res eſſe cauſas ſcientiæ. Secus de Deo, qui voluntate ſua dat eſſe realis exiſtentię rebus, quas prius in intellectu ſuo per intelligentiam, ſeu Ideas cognouerat, vt diximus in 1. ſent. diſt. 37. & 39. cum Theologis. Quod autem dicit ſi Angeli cognoſcerent ſingularia, ſequi, quod cognoſcerent infinita, quia cum Angeli & Beati ſint æterni habebunt infinitas cogitationes. Reſpondetur, cognoſcere infinita abſtractiuè, & per vniuerſales ſpecies: ſingularia verò cum ſint infinita ſucceſſiuè, non omnia ſimul intuitiuè cognoſcere, ſed ſucceſſiuè, tunc cum fiunt, & ſic proficiunt in cognitione; neque hoc eſt inconueniens de Angelis; neque eſt inconueniens eorum intellectum moueri à rebus materialibus licèt careant ſenſu; neque enim de ratione intellectus eſt, vt ad hoc, quod intelligat materialia iunctus ſit ſenſibus. *Obiectio Pomponatij refellitur.*

229 Quod autem Pomponatius negans Dæmones ait intelligentias poſitas ab Ariſtot. mouentes orbes gubernare hæc ſingularia, tam quæ proueniunt à cauſis naturalibus, quàm liberis, atque ea intelligere non quomodo artifex cognoſcit, & dirigit opus, quod facit, ſed per cognitionem vniuerſalem vnam numero, quam vult ſufficere ad cognoſcendum omnia indiuidua in particulari ſecundum vnam rationem, & ſecundum omne tempus, diſtinctionem verò, & multiplicationem in his inferioribus fieri ſecundum corporis, & materiæ diuerſitatem, eſt omnino irrationabile immo inintelligibile. Verùm eſt quidem intelligentias, mediantibus orbibus cęleſtibus eſſe cauſas vniuerſales Mundi huius inferioris & hoc intellexiſſe Ariſt. 1. Metheororum, cum dixit Mundum hunc inferiorem contiguari Mundo ſuperiori; atque inde omnem virtutem in hæc inferiora manare, vt ſupra diximus; at præter cauſam hanc vniuerſalem neceſſe eſt dari cauſas particulares, & proprias, à quibus effectus particulares emanant, & indiuiduantur, & cauſalitas iſta ſe extendit ad res naturales non ad contingentes liberos, & quæ proueniunt à voluntate humana; quia tunc auferretur libertas. Et quod ait Deum concurrere ad actus noſtræ voluntatis, & tamen non tollere libertatem, non bene intelligitur ab ipſo. Deus enim non concurrit naturaliter agendo ſed libere, & ideo non prædeterminat ipſe actus voluntatis noſtræ, ſed ſinit eam ſuos motus agere, & illam adiuuat non autem pręuenit, vt in lib. de Prædeſtinatione diximus diſp. de concurſu cauſæ primæ cum ſecundis; ſed demus ei id eſ- *Intelligentias mũdum gubernare opinio Pomponatii falſa.*

ſe

ſe verum de cauſalitate effectuum. At de modo hoc intelligendi res iſtas ſublunares opinio iſta Pomponatij nedum eſt irrationabilis, ſed non eſt intelligibilis. Quomodo enim intelligentia per intellectionem vniuerſalem vnâ numero poteſt diſtinctè intelligere ſingularia, etiam contingentia ſecundum rationes particulares ſingularis vniuſcuiuſque? Cognitio ſpecificatur ab obiecto; cognitio enim terminata ad vniuerſale dicitur vniuerſalis; terminata ad ſingulare dicitur ſingularis: Si ergo cognitio eſt vniuerſalis vna numero, terminabitur ad omnia entia ſingularia, quatenus ſunt vnum vniuerſale, & ſecundũ vnam rationem vniuerſalem; ergo non poteſt ſecundum hanc rationem cognoſcere ſingularia, vt ſingularia ſunt. Deinde quomodo differentia, & diuerſitas in hac cognitione oriatur ex complexione corporis, & differentijs materialibus non eſt intelligibile niſi terminatiuè; neque diuerſitas corporis actiuè modificat intellectum intelligentiarum ad producendum cognitionem hanc particularem diuerſam ab illa, & ſic de alijs, ſed ſolùm terminatiuè diſtinguit, quia ſcilicet terminatur ad hoc tale, & tale ſingulare, & non ad hoc, vel illud. Vel ergo ipſe coincidit cum noſtro modo dicendi, vel eſt omninò irrationalis.

Homines futura præcognoſcere, vt vult Pomponatius, impium eſt.

230 Ex his patet nedum impium, ſed ſtultiſſimum ſe præbere Pomponatium, dum prędicto loco vult homines futura præcognoſcere, & ea prædicere virtute intelligentiarum mediantibus corporibus cœleſtibus. Inquit enim contingere poſſe, quod aliquis ex permutatione humoris ſiue complexionis, & ex motu aſtrorum quæ futura ſunt ſibi appareant, vel in propria forma, vel in aliena, eaque apparentia prædicent; ſui tamen dicti nullam ſciunt adducere rationem; atque hoc modo vult naturaliter fieri prædictiones, & multa mira, quæ adducuntur à Sanctis, & non ab Angelis, vel à Dæmonibus. Quomodo enim id, quod nondum eſt, poteſt per motum ſyderis apparere, & figurari in intellectu hominis, vt ſupra contra Ariſt. dicebamus, & dicebat Bucafereus? futura autem nondum habent eſſe. Similiter quomodo motus Aſtrorum poteſt inducere in imaginatiuam hominis figuram rei, quæ mille millibus diſtat ab imaginante? cur illud ſingulare adeò diſtans, & non proximiora? quomodo repræſentabit actionem futuram, quæ pendet a libera poteſtate? dicere autem habet omnia fato euenire, quæ opinio quam aduerſa ſit Ariſtotili, & veritati nemo eſt qui neſciat. Demum monſtra ſunt deteriora, & defectus naturæ; prædictio autem eſt effectus excellentiſſimus, ideò ſi eſſet à natura ſæpius accidere deberet, quia natura ſemper intendit id quod eſt perfectius; ſed plura diximus ſupra cap. 7. ideò vt homo irrationalis cum alijs eſt dimittendus.

De

Digitized by Google

De arte Magica, Cabala, & poteſtate Dæmonum ad opera miranda faciendum. Caput Vndecimum.

MAgia eſt nomen æquiuocum; accipitur enim aliquando pro ſapientia, & perfecta rerum naturalium cognitione; eſt enim vox Perſica. Vnde ab illis appellabantũr Magi, quos Græci vocant Philoſophos. Verùm de Magia in hoc ſignificatu nunc non eſt ſermo. Alio modo accipitur propriè pro arte quadam, ſeu facultate efficiendi opera quædam mira, & inſolita ſuperantia captum humanum, & de hac eſt ſermo in præſenti. Hæc diuiditur in tres ſpecies ſcilicet naturalem, artificialem, & Dæmoniacam.

Magia eſt nomen æquiuocum.

232 Magia naturalis, vt ex Pſello, & Procho colligitur, eſt quędã cognitio ſecretorum naturæ, qua cęlorum, ac ſyderum curſu influxu, & ſimpathijs, atque antipathijs rerum obſeruatis ſuo tempore, loco, & modo res rebus applicantur, & miranda quædam opera perficiuntur, quæ cauſarum ignaris miracula, vel Dæmonijs præſtigia videntur: Exempla multa adducuntur de hac Magia à Sireno lib. 9. de facto cap. 6. à Fracaſtorio lib. de Sympathia, & Antipathia, & alijs, ſed cauendum eſt à multis, qui miſcent Magiam Dæmoniacam vt videbimus. Huiuſmodi autem ſunt illud Tobiæ, qui paternam cęcitatem abſtulit felle piſcis, quem aliqui dicunt eſſe piſcem Callimonium, cui à Galeno, & alijs talis virtus attribuitur. Item de Calce, quæ cum in ſe habeat vim ignitam per infuſionem aquæ accenditur, per infuſionem olei non accenditur. Item de Magnete, quæ trahit ferrum. Item de veneno Tarantulæ ſeu Phalangij Calabri, quod non expellitur niſi certo muſico ſono ſaltitare eo laborantes compellantur, donec fatigati concidant, & ſimilia. Hæc Magia eſt honeſta, & debet enumerari inter alias ſcientias, & artes, & hanc Deus infudit Adæ cum reliquis ſcientijs cum eum creauit, à quo poſteritas edocta illam per orbem propagauit, ſed paulatim ſemper magis diminutam.

Magia propriè dicta eſt triplex.

Magia naturalis eſt ſcientia honeſta.

233 Mirandulanus in Apologia in prohemio, & q. 4. eam latè comendat, & in concluſionibus multa de hac ſcientia diſſerit, & honeſtiſſimam eſſe defendit, vti reuera eſt. Hæc magia diuiditur in operatricem, & diuinatricem de quibus multi multa ſcripſerunt, ſed cauendum eſt à multis ſcriptoribus qui vtrique Magiæ naturali operatorię, & diuinatorię multa miſcuerunt ex Dæmoniaca. Signum autem principale ad diſcernendum naturalem a Dæmoniaca eſt, quod naturalis nihil poteſt efficere vltra vires cauſarum naturalium. Cum ergo quis operatur, vel diuinet aliquid abditum, quod tranſcendit vires cauſarum naturalium (niſi diuina ope fiat vt Theologi nouerunt)

Signum ad diſcernendũ Magiam Dęmoniacam à naturali.

H non

Digitized by Google

non naturali ſed Dæmoniaca Magia id operatur, & prænoſcit, vt infra videbimus.

De Magia naturali artificiali. 134 Magia artificialis, naturalis, operatiua eſt quæ perficit opera mira per humanam induſtriam, & cauſas naturales ſcitè applicatas. Magia naturalis diuinatrix eſt quæ per cauſas ocultas rerum naturalium alijs ignotas præuidet, & prædicit effectus futuros. *Exempla operatricis.* Exempla operatricis naturalis ſunt vt ſphera Archimedis vitrea, de qua Cic. 1. Tuſcul.& 2.de nat. Deor.columba linea volans Architæ, de qua Plutarchus in Marcel.Tom.2.Leonis Imperatoris auiculæ cantilantes de quibus Zonaras.

Exempla diuinatricis. 135 Diuinatoriæ exempla ſunt,cum Medici præuident futuras ægritudines ex accidentibus,quę obſeruant in corpore alicuius,& Nautæ præuident, & prædicunt futuras tempeſtates, & ſic de alijs.

De Magia artificiali. Huic anneсti poteſt quædam ars naturalis,quæ ab aliquibus Magia præſtigiatrix vocatur, ſeu ludicra qua aliqui effectus fiunt qui nō ſunt quales videntur, neque ij qui videntur, ſed apparenter tantùm; cuiuſmodi multa ſunt, quæ fiunt à circulatoribus, quæ agilitate pedum vel manuum fiunt & tamen creduntur fieri incantationibus, & auxilio Dæmonum.

Obſeruandum eſt tamen, quandoque Magiæ naturali operatrici artificiali miſceri Dæmoniacam,vt cum quidam circulatores cartam oclusam in manu bis vel ter immutari faciunt; grauia pondera ferrea, vel argentea vno capillo, vel ſine labore de loco ad locum attrahunt; cum ex toto faſciculo cartarum vnam euocant, & illa ad eum procedat; cum certæ lucernæ accenſo lumine efficiunt, vt quotquot adſunt mulieres veſtibus ſe nudent, & quæ natura docet tegenda oculis obijciant,& ſimilia; hæc enim eſt Dæmoniaca, & præſtigiatrix, ideſt apparens non vera.

De Cabala. Prima acceptio Cabalę. 136 Proximę huic Magiæ naturali eſt Cabala, verùm quid ſit Cabala,ſeu ars,aut ſcientia Cabaliſtica non omnes conueniunt. Aliqui dixerunt Cabalam eſſe quandam ſcientiam complectentem vniuerſam philoſophiam diuinam, & humanam nec non naturalem, & omnium rerum cognitionem non more aliarum ſcientiarum tractans de illis rationibus argumentis & diſputationibus,ſed per numeros,figuras,ac ſymbola. Vnde volunt quod numeri, figuræ, nomina, puncta, accentus,& ſimilia habeant doctrinam ſignificatricem rerum ingentium,& inſuper virtutem ad effectus rerum mirabilium producendum: dicunt enim nomina, quæ Adam impoſuit rebus, habere tantam virtutem, vt illis prolatis vnaquęquę illi obediat; atque hæc nomina eſſe Hebraica, quia Adam locutus eſt in lingua Hebraica, & omnia ſupradicta habere ſecretam virtutem ligandi Dęmones,faciendi miracula;atque hanc

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſcientiam quam Deus reuelauit Moyſi, propter quam Moyſes deinde fecit tot miracula in Ægypto, & in deſerto, atque eadem vſum fuiſſe Ioſuè, Eliam, Eliſeum, & alios Prophetas; immo blaſphemi dicunt hac arte, & ſcientia Chriſtum Dominum feciſſe miracula, quæ fecit; atque hìc inferunt, quod qui hac ſcientia pollent poſſunt praeſcire futura, noſcere præſentia, & abſentia, & poſſe facere miracula, & res arduas.

237 Verùm Cabala in hoc ſenſu, vt optimè Ioan. Picus in Apologia q. 4. oſtendit, non differt à Necromantia, ſeu à Magia Dæmoniaca, & abuſiuè dicitur Cabala. Falſum eſt enim Moyſem, & alios Prophetas, & Chriſtum Dominum illa miracula feciſſe hac arte, atque hanc ſcientiam emanaſſe à Moyſe modo prædicto; ſed iſta fuit fictio quorundam Hebræorum rebus diuinis falſas, & vanas ſuperſtitiones miſcentium, & iactantium has ſuas ſuperſtitiones emanaſſe à Moyſe, ſicut Necromātes iactant ſe habere artem ſuam à Salomone, ab Adā, & ab Enoch. Quam autem vana ſit Cabala in hoc ſenſu patet ex dictis ſupra, vbi oſtendimus nomina, verba, figuras, numeros, & ſimilia nullam habere virtutem cum ſint quantitates, quæ nullam vim actiuā habent; & cum Ariſt. Pitagoricos reiecerimus, qui actiuitatem tribuebant numeris, & illos faciebant principia rerum naturalium. Voces enim, & nomina non habent vim, niſi ratione ſignificationis & obiecti repræſentati, quod excitat ad fugam vel proſequutionem. & certè dicere quod prolatio nominum illorum, quæ ipſi dicunt impoſuiſſe Adam rebus, habeat vim imperandi rebus ipſis, etiam lunæ, & ſoli, & alijs corporibus cœleſtibus eſt pluſquam ridiculum; poſſent enim iſti Cœlos, & elementa, & ſpecies naturales rerum peruertere, & alium mundum conficere; & ſi poſſent, certè aliqui aliquando aliquam magnam mutationem in Ciuitatibus, in Regnis feciſſent, & ſe ad imperia, & regna hoc modo eleuaſſent, nec opus eſſet tot armis, tot exercitibus, & ſimilibus; ideò vt vana eſt dimittenda, & ſi quæ operationes mirandæ ab huiuſmodi Cabaliſtis fiunt, opere Dæmonum fieri neceſſe eſt.

Refellitur.

Necromātes iactāt ſe habere ſuā artem à Salomone.

238 Alio modo accipitur Cabala, vt apud eundem Mirandulanū eſt videre pro ſcientia numerandi. Quam inquit Ioannes Picus fuiſſe antiquam philoſophandi rationem obſeruatam à Priſcis Theologis, à Pithagora præſertim, ab Aglaophemo, a Philolao, à Platone prioribus Platonicis, ſed quæ hac tempeſtate, vt præclara alia poſteriorum incuria, ſic exoleuit, vt vix veſtigia illius vlla reperiantur; quam tamē ipſe renouauit, & profeſſus eſt ſe illam callere, ad cuius rei periculum faciendum pollicitus fuit in ſuis concluſionibus ad quartam, & ſeptimam quæſtiones quæ inter Phyſicas, & diuinas principales videntur

Cabala accipitur pro ſciētia numerandi.

per numeros reſponſurum eſſe publicè. Atque ſuſtinet ibidem Picus, quod characteres, figuræ, numeri, & huiuſmodi habeant actiuitatem nedum per accidens ſcilicet quatenus coniuncta ſunt rebus Phyſicis; (hæc enim actiuitas per accidens non poteſt negari, & omnes eam concedunt: Clarum eſt enim quod ferrum non ſecabit lignum niſi habeat figuram dolabræ, vel ſecuris; figura ergo quoque confert ad actiuitatem) ſed inquit ipſas res Mathematicas, figuras, & numeros eſſe actiuas per ſe magis, quàm qualitates ſint, & hanc eſſe ſecretiorem philoſophiam Pythagoricorum, de qua inquit Platonem ſcribere in Epimenide, & inter omnes liberales artes, & ſcientias contemplatrices præcipuam, maximeque diuinam eſſe ſcientiam numerandi; & reſpondens etiam cur homo ſit animal ſapientiſſimum, dixit, quia numerare nouit: ſubiungit tamen hanc Arithmeticam non eſſe Arithmeticam mercatoriam, ſeu qua pollent mercatores peritiſſimi, ſed eſſe Arithmeticam diuinam. Et adducit auctoritates Doctorum Catholicorum, qui numeris tribuunt virtutem, tàm in bonum, quam in malum, vt ternarium, & ſeptenarium eſſe perfectum, & ſepè penes virtutem numerorum aſſignatur ratio myſteriorum diuinorum, vt cur præcepta Decalogi ſint decem; cur Chriſtus Dominus ieiunauit 40. diebus, & ſimilia; de quibus ipſe Picus loco citato copioſè diſſerit. Atque ſubiungit per hanc ſcientiam optimè confirmari fidem noſtram Catholicam, & conuinci Iudęos, & alios, qui negant miracula facta à Chriſto eſſe diuinitus facta. Qui enim peritiſſimi ſunt in Magia naturali, & in hac Mathematica Cabala, apertè nouerunt, quod cauſæ naturales ſola ſua virtute non poſſunt attingere reſuſcitationem mortuorum, & alia miracula, qua Chriſtus Dominus, & Sancti fecerunt, & faciunt, & ideò eſſe concludendum, Chriſtum, & alios Sanctos illa miracula diuinitus feciſſe.

Cabala prędicta refellitur.

239 Ego reuera percipere non poſſum, quomodo numerus, figuræ, & alia huiuſmodi Mathematica ſint effectiua per ſe, & magis formaliora, vt vult ipſe Mirandulanus; & certè non eſt credibile, ſi iſta ſcientia Mathematica Pithagorica tàm excellẽs daretur, quod Ariſt. de illa tacuiſſet; præſertim cum ipſe vt ſupra vidimus 12. Met. tex. vlt. & alibi nitatur oſtendere numeros, &c. non poſſe eſſe principia rerũ: Deinde cum experientia conſtet qualitates eſſe actiuas per effectus quos producunt certè ſi quantitas diſcreta, vel continua eſſet effectiua appareret aliquẽ effectum ab illa prodire per ſe, ſicuti apparet quod ab illa per accidens proueniunt. Ideò ad exempla de numero ternario, ſeptenario, de figuris, & ſimilibus. Reſpondetur concludere quantitatem eſſe effectiuam per accidens. Sunt enim quędam agentia, quæ tentata actione alicuius effectus tot vicibus vt puta ter, vel ſepties, perfi-

perficiunt effectum rectè, quem non perficiunt actione tentata tantum alijs diuerſis vicibus, vt bis, vel quater, & ideò ille numerus, quo ſolet res benè ſuccedere, dicitur bonus; è conuerſo numerus, quò res non benè ſuccedit, dicitur infauſtus, & infelix. Similiter artifex operatur vnum effectum per inſtrumentum vnius figuræ, quam non poteſt operari per inſtrumentum alterius, vt dictum eſt de ſecuri, & ſic de alijs. Quod autem numerus ipſe Mathematicus habeat in ſe talem vim, & figura, vt figura Mathematica, habeat talem efficientiam eſt omninò alienum à ſenſibus, & à ratione. Quando autem Plato, & alij comendant ſcientiam numerandi, niſi ſint Pithagorici fortaſſe per numerum intelligunt proportionem agentium, & paſſorum, quæ in quodam numero conſiſtit, vt eſt armonia muſica, & ſimilia, ſed hoc non concludit niſi actiuitatem per accidens, vt dictum eſt.

240 Accipitur ergo Cabala alio modo proprie, vt habetur ex eodem Pico vbi ſupra nimirum pro expoſitione, & intelligentia legis diuinę datæ à Deo Moyſi cum manifeſtatione omnium miſteriorum, & ſecretorum, quæ ſub cortice, & rudi facie legis continentur. Eſt enim opinio Rabi Eleazar, Rabi Moyſis de Aegipto, Simeō Belāgis, Rabi Iſmael, Rabi Iodam, & Rabi Inachinam, & aliorum quamplurium (inquit Ioannes Picus) ex ſapientibus Hebræorum, & etiam doctorum legis Chriſtianæ, Moyſem accepiſſe duplicem legem à Deo in monte, ſcilicet litteralem, & ſpiritualem; Moyſem autem ex pręcepto Dei ſcripſiſſe litteralem; ſpiritualem autem ex præcepto Dei non ſcripſiſſe, ſed ſolum 72 ſenioribus, & ſapientibus communicaſſe oretenus; atque eis præcepiſſe, vt ſic ſolis ſapientibus ſucceſſoribus oretenus traderent ſucceſſiuè; Ex hoc autem modo tradendi per ſucceſſionem iſtam ſcientiam adeptam fuiſſe nomen Cabalę. Nam Cabala apud hebræos eſt idem, quod apud nos, receptio. Vnde ſcientia Cabala eſt idem, quod ſcientia receptionis, ſeu traditionis; fuerunt autem hæc miſteria, & ſecreta deinde tradita litteris, & ſcripta ab Eſdra eo tempore, quo hebræi à Babilonica captiuitate reſtituti fuerunt per Cyrum, & ſub Zorobabel inſtauratum fuit templum. Ideò autem Eſdras, qui fuit præfectus Sinagogæ, poſtquam reparauit legem ſcriptam Moyſis, & correxit teſtamentum vetus, voluit etiam vt iſta ſecreta Dei eloquia, quæ vſque ad illud tempus ſcripta non erant, ſcriberentur; quia propter captiuitatem non poterant ſeruare illum ordinem tradendi illam doctrinam per manus; & dubium erat, ne amitteretur niſi ſcriptis mandaretur; & quia erant 70 ſeniores, quibus hæc doctrina communicata erat, ordinauit, vt in ſeptuaginta libris ſcriberetur, qui tamen non niſi ſapientibus communicarentur, quos libros

De Cabala propriè dicta

Digitized by Google

Ioan. Picus multa impenſa ſibi conquiſiuiſſe aſſerit; quia hæbrei hos libros noſtris Latinis communicare nolunt.

Hos libros, ait Picus, cõtinere omnia conſona fidei noſtræ, & eſſe valdè vtiles ad conuincendos hębreos de eorum perfidia in Chriſtum, quia fuerunt Dei ore traditi, & à Iudæis ante Chriſti mortem, & aduentum ſcripti, quo tempore nulla paſſione moueri poterant ad viciandam, vel corrumpendam ipſam veritatem.

241 Quod autem iſta ſcientia, & libri dentur, probat Picus multis auctoritatibus Hæbreorum, & Chriſtianorum, ego has duas adducam. Prima eſt auctoritas Eſdræ his verbis. *Ex actis 40 diebus locutus eſt Altiſſimus dicens. Priora quæ ſcripſiſti palam pone, legant digni, & indigni; nouiſſimos autem 70 libros conſeruabis, vt tradas eos ſapientibus de populo tuo, in his enim eſt vena, intellectus, & ſapientia fons, & ſcientiæ flumen, & ſic feci.* Latini autem Doctores vt Diuus Hieronymus, & Græci confugiunt ſepè ad Hæbreos in explicandis ſenſibus ſacræ ſcripturæ dicentes, hæc eſt ſententia hæbreorum. Tunc ſic. Non poſſunt intelligere Doctores hæbreos Talmuticos, quia iſti totaliter ſunt contra Chriſtum; & præterea Talmut fuit compoſitum poſt mortem Chriſti pluſquam 150 annis, & Clemens, & alij multi ſancti Patres allegant auctoritatem Hæbreorum ante hoc tempus; ſignum eſt ergo quod loquuntur de Doctoribus iſtis Caballiſticis.

Hæc Cabala ſi datur, vt tenet Ioannes Picus, nõ eſt reijcienda, ſed eſt maximè amplectenda, tanquàm doctrina à Deo tradita.

De Magia Dæmoniaca.

242 Magia Dæmoniaca eſt, quia nec induſtria, vel artificio hominum nec naturalibus cauſis, ſed immateriali, & ſeparata virtute mira opera, quæ tranſcendunt virtutem cauſarum naturalium operantur. Hanc artem dari, & per illam multa mira fieri eſt certiſſimum, atque ex exiſtentia huius artis dari Dæmones ipſos euidentiſſimè conſequitur. Hanc autem artem dari nedum Theologi, & Catholici, ex ſacris litteris Exodi 7. & 1. Regum 28. & Pſalmo 57. de venefico incantante ſapienter aſpidem ſerpentem omnes aſſerunt, ſed ex Philoſophis plerique Platonicis præſertim, & experientia ipſa conſtat; nam conſequi ſcientias nonnullas ſtatim, & ſine labore diſcendi; ſubtrahere corpus præſens ab oculis videntium, & ſimilia quæ ab aliquibus fieri experimur, ad nullam alieni cauſam reduci poſſunt quàm ad intellectualem, & ſeparatam aliquam naturam. Vndè exiſtimãdum puto, Deum præter alias cauſas, ob hanc præcipuè, hanc artem Magicam Dæmoniacam permittere ad confundendum ſcilicet hos miſeros Atheiſtas, vt ſic etiam verificetur illud Apoſtoli ad Romanos 1. Philoſophos nullam habere excuſationem ſi non credunt, & non venerantur, vt debent, Deum ipſum.

Magiam Deus permittit ne Philoſophi excuſationem vllã habeant.

Et licèt

243 Et licèt Plinius lib. 30. cap. 2. neget hanc artem eſſe veram, ex eo quod Nero Imperator illi operam dedit, & falſam, & vanam reperijt; non debet cogere multum; quia ſcimus Magos arte iſta, nec Dæmones poſſe facere quæcunque cupiunt (veh enim mundo, ſi omnia, quæ cupiunt, poſſent efficere) quia Deus Benedictus non permittit; ideò non eſt mirum, quod peſſimo, & potentiſſimo Imperatori noluerit permittere illa vti. *Plinij opinio quod ars magica non detur refellitur*

244 Hanc artem Magicam Dæmoniacam dari ex veneficijs, quæ continuò à Magis fieri ſolent in hominum perniciem, & damnum maximè comprobatur. Nam experientia quotidie comprobatum eſt, & quotidie comprobatur, quod in lectulo alicuius morbo aliquo incognito laborantis reperiuntur cortices glandium, fruſta, vel ſtipites ipſarum, leguminum, ac variarum plantarum ſemina, plumæ artificio quodam inſertę, acus, claui, vitra, oſſa, capilli, vngues, fila quædam veſtium, vel caligarum particulæ ab ægrotantibus deſumptæ; particulæ mortuorum inſepultorum, & eorum præcipuè, qui laqueo ſuſpenſi ſunt, fruſta funium, auium, vel ferrarum inteſtina, imagines cereæ, vel plumbeæ, vel alterius materię, modò ſimplices, modò acubes, vel clauis transfixæ, & nonnulla incognita, & ſimilia, atque iſta, vt dixi modò in lecti puluinaribus, modò cultris, modò ceruicalibus, vel in liminari hoſtium, ac in multis alijs, aut etiam in clamide, alijsvè veſtimentis ægrotantis. Præterea ſæpiſſime viſum eſt complures veneficio affectos, vel à Dæmone obſeſſos in adiurationibus ab exorciſtis factis, ſupradictas res, vel per vomitum, vel per ſeceſſum reijcere, ſanitatique protinus reſtitui; certum eſt autem huiuſmodi res præſertim intra corpus ægrotantis virtute humana, vel virtute aſtrorum, vel ex atrabili, vel ex halitibus terræ, & alijs modis, de quibus diximus in præcedentibus capitibus generari, vel introduci non poſſe; ergo neceſſariò ſequitur iſta eſſe opera Dæmonis, & conſequenter dari artem magicam, & dari Dæmones. *Magia Dæmoniaca probatur experiẽtia per veneficia q̃ continuo fiunt.* *De clauis, acubus, oſſibus per vomitum reiectis à Veneficatis.*

245 Verùm hìc aliqui reſpondent iſta non eſſe poſſibilia, ſed eſſe figmenta hominum; inquiunt enim non eſſe poſſibile Dæmonem poſſe clauos, acus, carbones, ſulphur, & alia ſimilia in corpus humanum immittere, quia huiuſmodi res non poſſent immitti a Dæmone, neque reijci per vomitum, vel ſeceſſum ſine vulnere illarũ partium, per quas tranſeunt, quod tamen ſine vulnere aſſerimus, & videmus fieri. *Obiectio negantium Dæmones veneficia facere poſſe.*

246 Cæterùm, cum experientia iſta de facto conſtent, non eſt dubitandum, neque negandum hæc fieri. Ad dubitationem autem illam varijs modis reſponderi ſolet, quibus omnibus eſſe opera Dæmonis conſpicitur. Verùm vt hoc clarius intelligatur explicandum eſt, quæ & quanta ſit virtus Dæmonis, & tunc intelligemus non eſſe difficile, *Solutio.*

Quæ & quãta ſit poteſtas Dæmonum.

quod ipſi Dæmones, nedum veneficia, ſed alia opera miranda quæ ſupra adduximus, ex Valerio Maximo, & alijs feciſſe, & ſimilia facere potuiſſe. In primis ergo, illud certum, Magos non efficere veneficia, neque alia opera mira, quæ faciunt virtute verborum, vel figurarum, vel numerorum, vel obſeruatione aſtrorum, aut certorum caracterum, aut orationum, aut alicuius alterius inſtrumenti, quo ipſi vtantur; quia præcedentibus capitibus oſtendimus huiuſmodi opera miranda à rebus huiuſcemodi prouenire non poſſe; neque illis ſuis incantationibus cogunt Diabolum ad ſibi parendum, quia non habet homo per ſe, & per illas actiones poteſtatem ligandi Diabolum, & eum cogendi, ſed omnia illa efficit Dæmon per ſe, & ſponte ex pacto innito cum ipſo Mago expreſſo, vel oculto; Hoc eſt certum apud Theologos, Canoniſtas, & Iuriſperitos, vt patet ex D. Auguſtino lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 23. & ex Gratiano 26. q. 5. per multa capita in fine, & l. Multi, C. de Malef. & Mathem. & habetur expreſsè in Sacra Scriptura. Quidam enim homines praui optantes conſequi optata quædam, quæ viribus ſuis obtinere non poſſunt recurrunt ad Dæmonis auxilium. Dæmon autem conuenit cum his prauis hominibus optata præſtare, quotieſcunque à Mago euocatus fuerit, dummodò Magus illi cultum, & honorem exhibeat modo quo ipſe Dæmon poſtulat, & Magus pollicetur ſe illi huiuſmodi cultum, & honorem præſtare cõtra legẽ Dei.

Magi ſuis characteribus, & figuris, &c. non efficiunt opera ſua, ſed ex pacto cũ Dæmone.

Pactũ quale cum Dæmonibus.

247 Quod autem intercedat huiuſmodi pactum elicitur ex ſacris litteris. Nam in Euangelio Matthęi 4. Diabolus tentans Chriſtum dixit illi, *Si cadens adoraueris me, hæc omnia tibi dabo*. In quibus verbis licet videre pactum, & contractum, do vt facias. Per hunc enim modũ etiam nunc Diabolus agit cum Magis. *Si tu te mihi addixeris, dabo tibi, &c. ditabo, &c. vlciſcar te, &c.* Dæmones enim odio graui perſecuntur homines, ideò non accedunt gratis, ſed vt à Mago viciſſim aliquid in detrimentum ſalutis ſuæ accipiant. Nec ſemper, ſed quando à Deo ipſis permittitur, & vt ſic Magum ſibi deuinctum, & alios aliciant. Pactum autem eſt duplex, aliud expreſſum, quod fit viſibiliter ipſo Cacodęmoni in corporea aliqua forma apparenti coram teſtibus fidelibus, & homagium promittitur, & aliquando Diabolus viſibiliter non comparet, ſed vox eius auditur, & pactum in ſcriptis offertur, in quo Chriſtum ipſum negant eſſe Filium Dei, & Matrem eius Mariam cũ omni propoſito legem Chriſti non obſeruandi, ſed ipſius Dæmonis ſeruitio omninò ſe dicant, & tradunt. Aliquando fit per procuratorem, & diuerſæ aliæ conditiones adduntur, de quibus fusè Grillandus, & Martinus del Rio, præſertim lib. 2. Diſquiſitionum Magicarum quæſt. 4. & alij quos omitto. Pactum tacitum eſt, quando quis volens, & ſciens vtitur incantationibus, & adiurationibus, quibus vti ſolent

Pactum duplex.

Magi,

Digitized by Google

Magi, quos ex libris Magorum, vel ab alijs didicerũt. Eſt ergo verum, quidquid à Magis fit, fieri à Dæmone ex pacto. Quia ſecundum Theologos Dæmones, & Angeli ſunt eiuſdem eſſentiæ, atque ex virtutibus vitalibus habent ſolùm vim intellectiuam, & vim motiuam, non autẽ habent vim ſenſitiuam, nec vegetalem, ideo nõ poſſunt exercere opera ſenſitiuarum potentiarum, neque opera vegetalis virtutis, ſolùm poſſunt intelligere atque quidem excellẽtiſſimo modo, quia ſunt ſubſtantiæ intellectuales à materia ſeiunctæ; ideò nullum impedimentum habent eos impediens ab intellectione cunctarum rerum, & obiectorum creatorum; habent etiam vim motiuam efficaciſſimam, & magnam, quæ licèt finita ſit, & limitata, nihilominus eſt magna. *In Dæmonibus eſt tantũ uis intelligẽs & mouens.*

248 Atque has duas vires nedum ſecundum Theologos ponere cogimur in Dæmonibus & Angelis (qui Theologi etiam addunt) Angelos per ſe eſſe nobiles, & moueri de loco ad locum; quia in ſacris litteris expreſsè habetur. Nam Matth. 12. Chriſtus Dominus dixit de quodam ſpiritu nequam egreſſo ab homine, quod perambulauit per loca arida, & inaquoſa, & iterum aſſumptis ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe ad illum hominem redijt, ſed etiam cum Ariſt. & Philoſophis, quia certum eſt eum poſuiſſe intelligentias mouere orbes, & eſſe intelligentes, ergo Dæmones ipſi cum ſint ſubſtantiæ ſeparatæ, ſicut ipſæ intelligentiæ non eſt dubium cognoſcere omne obiectum intelligibile, præſertim ſublunare, atque quodcunque corpus poſſe mouere virtute ſua; atque etiam hoc poſſe, dato quod eſſent immobiles, vt voluit Ariſt. quia etiam mouent orbes cœlorum cæteræ intelligentiæ, & tamen ſunt immobiles: agunt enim, & mouent immediatè immediatione ſuppoſiti, & immediatè immediatione virtutis ſine tactu corporeo.

Et licèt multi aſſerant requiri contactum corporeum in actionibus corporalibus; tamen cum Scoto in 1. ſent. diſt. 37. aliàs ego oſtendi, agens poſſe agere in diſtans, quando obiectum eſt proportionatum, ideò multò magis poterit Angelus per virtutem ſuam agere in corpus diſtans non agendo in medio. Sed quidquid ſit de hoc, pro nunc ſufficit in Dæmonibus eſſe vim intellectiuam, & vim motricem etiam ſecundum Ariſt. Ex hoc autem ſequitur non eſſe repugnantiam Dæmones omnia illa opera efficere poſſe in rebus corporalibus, quæ per vim intellectiuam, & motiuam fieri poſſunt; & licèt habeant vim hanc finitam, neque Deus permittat facere omnia quæ poſſunt. Tamen multa permittit, & habent tantam vim, quod poſſunt multo plura, quàm agentia naturalia, ipſi tamen non ſunt ęquales in virtute; quia cum naturalia ſint perfectiora in vno, quàm in altero, ita etiam maiorem, vel minorem vim & potentiam habent, ideò ſuperiores ſunt potentiores inferioribus. Cum ergo hęc naturalia manſerint integra in Dæmoni- *Potentia Dęmonum.*

Digitized by Google

monibus, licèt debilitata, propter peccatum, poſſunt opera miranda, & ſimilia miraculis facere, inducere veneficia in homines, morbos inducere & curare, & ſimilia. Atque hanc virtutem eſſe in Dæmonibus, pręterquam eſt doctrina à Theologis probata, & ex principijs Ariſt. ſuperius adductis deducitur euidēter. Adhuc ex operibus mirādis adductis, & ex veneficijs, quæ facta eſſe, & fieri cōtinuò cernimus, cogimur dicere in Dæmonibus eſſe hanc virtutem, & illos conſequenter dari, quia alias non poſſumus aſſignare cauſas efficientes proximas & per ſe effectuum prędictorum.

Dæmon per vim motiuā dupliciter operatur.

249 His ergo conſtitutis deſcendendo magis ad particularia per vim motiuam dupliciter operatur Dæmon. Aliqua enim efficit immediatè per propriam vim ſuam motiuam. Aliqua verò alia efficit mediatè, ſcilicet mediantibus corporibus actiuis, & paſſiuis ea applicando ſimul. Per ſeipſum poteſt primò tempeſtates magnas excitare commouendo aquas maris, vel ventos concitando, terręmotus facere, vel ſpiritum in cauernis terræ exiſtentem commouendo, vel eum in illas immittendo, poteſt aquas fluminum retropellere, & eas dirimere, ita vt videantur retrofluere, quod ſuo tēpore accidiſſe inquit Plinius lib. 2. cap. 103. his verbis. *Amnes retrofluere, & noſtra vidit ætas Neronis principis annis ſupremis, ſicut in rebus eius retulimus.* Poteſt magna ędificia diruere, ventos vehementes immittendo; ignem ab vno loco in alium locum in materiam aptam inijciendo; Ciuitates, & alias res comburere; poteſt transferre homines, oues, boues, & alias res de vno loco in alium; & hoc modo verificari poſſunt hiſtorię Gentilium, in quibus aliquando dicitur viſos fuiſſe ſerpentes, homines, & ſimilia per aerem volantes, vel boues, & alias res pluiſſe: Atque hoc modo tranſtulit Deos Pēnates, ſeu Idola illa Alba Lauinium de quibus ſupra diximus. Hac eadem ratione poteſt homines pręſentes alicui à conſpectu illius ſubito ſubtrahere, & ſic facere inuiſibiles; & hoc modo Apollonius ex conſpectu Domitiani Imperatoris ablatum fuiſſe credendū eſt. Hac eadem ratione poteſt facere quod ſtatuæ, & aliæ res inanimatę ambulent more hominum; & hoc modo tripoda lapidea, & picernę ęreę potuerunt miniſtrare pocula, & fercula more famulorum in Conuiuio Iarchę pręſente Apollonio, vt habetur ex Philoſtrato. Poteſt facere, vt ſtatuę, & animalia loquantur more hominum, ac in aere voces humanæ audiantur, & nullus homo cernatur. Neque enim putandum eſt animalia bruta, & ſtatuas, & arbores humano modo loqui, ſed eſt Dęmon, qui ſermones illos articulatos format in aere iuxta, vel intra illas ſtatuas, & corpora. Nam videmus etiam aliquos eſſe, qui per organa vel alia inſtrumenta ita flatum temperant, vt cantus humanos reddere videantur; Cum autem Dęmon ſit multo melior

Quomodo Dęmon tranſtulerit Deos Pēnates Alba Lauiniū, & alia mirāda faciat.

arti-

Digitized by Google

artifex, quàm quilibet homo non eſt mirum in aere, vel intra, vel iuxta alias res huiuſmodi voces formare. Poteſt Dæmon hoc modo ingredi cadauera hominum, & fingere illos eſſe reſuſcitatos: hoc modo Agrippa arte Magica Louanij ſuaſit quendam ſuum domeſticū à Dæmonibus occiſum reſuſcitaſſe, quod factum Martinus del Rio lib.2. Diſquiſitionum Magicarum quæſt.29. refert his verbis. *Agrippa is commenſalem habebat nimis curioſum, ſemel profectus aliquò Agrippa, vxori, quam poſtea repudiauit, claues muſæi ſui tradit, addita prohibitione, ne quem ingredi ſineret. Inconſultus iſte adoleſcens oportunè, importunè non deſtitit mulierculam deprecari ſibi copiam ingrediendi, vt faceret, donec impetrauit, Muſæum ingreſſus incidit in libellum coniurationum, legit: en illi pulſatio ad ianuam. turbatur; ſed pergit legere. pulſat iterum neſcio quis, & nihil reſpondente rudi harum rerum iuuene, Dæmon ingreditur: quærit cur vocatus? quid fieri iubeat? iſti metus vocem intercludit, fauces Dæmon. Sic miſer luit pœnam nefariæ curioſitatis: Redit interea domum Archimagus, videt exſultantes ſuper eam Dæmones. Vtitur ſolitis artibus; adſunt vocati, narrant rem vt geſta; illæ homicidæ iubet cadauer ingredi, & per forum (vbi ceteri ſolebant ſtudioſi frequentius conuenire) aliquoties obambulare, tandemque corpus deſerere. Ambulauit ille ter, quaterve, tum corpus concidit diffugiente eo, qui regebat. Creditum diu, hunc ſubita correptum morte conceſſiſſe, ſed indicia ſuffocationis initio rem ſuſpectam facere; poſtea tempus omnia diuulgauit, & Agrippa, quas pectore occuluerat hæreſes, in Lontaringiam profugus cœpit euomere.* Hæc ibi. Hoc modo accidit quod Plato 10. de Rep. narrat de Ere Armeno reſuſcitato, & ſimilibus adductis à Plinio.

Agrippa quemdā occiſum à Diabolo arte Magica finxit reſuſcitaſſe.

Quid de reſuſcitatis apud Platonē, & alios.

250 Poteſt facere vt animalia mira quadam ratione ſe moueant, & quædam agant quæ non niſi intelligentia, & ſolerti ratione fieri ſolent. Et hoc modo Dæmon mouere potuit Leonem, de quo Philoſtratus lib.5. cap.15. narrat; qui manſuetiſſimus ducebatur veluti canis per vrbes in Ægypto, nemini non modò nocens, ſed blandiens omnibus, quique ad genua Apollonij more ſupplicantium hominum ſe ſubiecit, quem aſpiciens Apollonius, reſpiciens ad populum ſpectantem dixit. Hic Leo me rogat, vt vos doceam eum habere animam Amaſis Ægypti Regis; quo dicto Leo miſerabiliter fremens lachrymabilem rugitum edidit, flebat, & lachrymas fundebat. Apollonius autem ſubiunxit Leonem illum mittendum eſſe Leontopolim, atque in templo collocandum. Regem, in Regiam beluam conuerſum tanquam egenum mendicare indignum eſſe dixit ſe iudicare. Illud autem Apollonium arte Magica, & ope Dæmonum feciſſe non eſt dubitandum ad facilius ſuadendum falſam tranſmigrationem Pithagoricam animarum humanarum in varias beluas. Atque hoc eodem modo dicendum

De Leone Apollonij.

Digitized by Google

dum eſt factum eſſe opera Diaboli, quod ſerpens Æſculapij quem mo do ſupra narrato Epidauro Romani Romam adduxerunt. Quod enim ille nemini noceret, ſed quodam rationabili modo Nauim conſcenderit, ibi quieſceret, donec Romam ad deſtinatum locum perueniret; & alia efficeret, quæ ex Valerio Maximo ſupra adduximus non niſi ope Dæmonis effici poterant. Hoc eodem modo Dæmonis ope factum fuit, vt Claudia Veſtalis nauim hęrentem in Tyberi Zona ſua traheret; & Tucia Veſtalis quoque hauſerit aquam cribro. Nam Dæmon erat qui occultè Nauim Matris Deorum mouebat, & tenebat ſuſpenſam aquam, ne per cribrum dilaberetur.

De ſerpente Epidaurio.

Claudia Veſtalis, & Tucia quomodo mirabilia fecerint q̄ narrantur.

251 Poteſt Dæmon varia corpora vario modo formata aſſumere, vt corpus Hominis, Leonis, Lupi, aut alterius ſpeciei; atque illa ita moueret, vt verè videãtur eſſe Homo, Leo, Lupus, vel aliquid aliud: Quod facit Dæmon ad perterrefaciendum homines, vel ad illos decipiendos prout oportunum ſibi videtur ad eos fallendum. Sic eſt intelligenda apparitio illa Caſtoris, & Pollucis facta Publio Vatinio noctu vrbem petenti ſupra ex Cicerone adducta; & illud quod Valerius Maximus refert lib. 1. cap. 8. Romanis apud Lacum Rheginum pugnãtibus cum acie Tuſculanorũ Caſtorem & Pollucem opera attuliſſe, & aduerſarios Tuſculanis viſos fuiſſe. Poteſt Dæmon ex aere condenſato, vel alia quauis materia, fictas res pro veris oſtendere, vt puta fictum aurũ, fictas gemmas, fictas dapes, & ſimilia, & ſic eludere homines, quomodo apud Philoſtratum lib. 4. cap. 5. Lamia illa decipere volebat Menippum quemdam formoſum iuuenem, Refert enim Philoſtratus, quod hæc Lamia gerens ſpeciem pulcherrimæ iuuenis fingebat ſe captam amore Menippi iuuenis pulcherrimi, atque illi velle nubere. Die autem nuptijs dicato, Lamia conuiuium lautiſſimum apparauit maxima copia auri, & argenti ornamentorum, & omni copia dapum inſtructiſſimum. Verùm cum Apollonius ingreſſus eſſet illam domũ ad eos qui præſentes erant conuerſus dixit. Tantali hortos videtis, qui ſicut Homerus ſcribit apparebant eſſe aliquid, & nihil erant; talem exiſtimate hunc apparatum eſſe, quia quęquæ apparent, ſimulacra ſolum ſunt non res ipſę. Hæc autem ſponſa vna eſt è numero Lamiarũ, quas aliqui Laruas, aliqui Lemures appellant. Sunt autem ad amorem, & Venerem procliues, & carnes humanas vehementer expectunt Venereorum cupidine capientes illos, quos cupiunt poſtea deuorare. Quibus dictis totus ille apparatus euanuit ab oculis omnium, & illa mulier in forma ſua turpi apparens ſe ſe Lamiam eſſe confeſſa eſt, & voluiſſe Menippum voluptatibus explere, & eius corpus poſtea deuorare. Conſueuiſſe enim pulchrorum iuuenum corporibus veſci, vbi ad ſummam ſanguinis vehementiam perueniſſent.

De corporib. aſſumptis.

De Caſtore, & Polluce.

De Lamia apud Philoſtratum.

Poſſunt

Digitized by Google

252 Poſſunt Dæmones grauiſſimos morbos in corpore humano inducere concitando, & conturbando humores, vel ſpiritus, diſiungendo, atque diſtrahendo partium connexiones, & compages, vt videmus experientia in ijs qui à Dæmonibus torquentur. Cum etiam ſit inuiſibilis, & incorporea ſubſtantia poteſt inuiſibiliter ſe inſinuare in corpus, & ſpecies, ſeu ſpiritus, & phantaſmata ita mouere, & formare, vt repræſentent res præteritas, vel futuras, quæ habent cauſas naturales, vel etiam præſentes, ſed occultas, Dæmonibus tamen notas; poſſunt etiam ſpecies quaſdam ſenſibiles ab externis ſenſibus acceptas, iterum ad ſenſus externos deuoluere, vel ſenſibus externis obijciendo imagines, & ſpecies rerum ſenſibilium falſas, ideſt non talia, qualia videntur, ita vt etiam vigilantes videantur audire, & videre quædam, quæ reuera non audiunt, nec vident; ſicut etiam euenire ſolet in freneticis. Tandem omnes effectus, qui in homine ex vi morbi alicuius accidere poſſunt eos Dæmon poteſt efficere, quia habent cauſas naturales à quibus efficiuntur, quas optimè nouit Dæmon. Poteſt ſimiliter cauſare paſſiones, & affectus amoris, vel odij, vel timoris, & hoc tribus modis. Nimirum vel obijciendo ſpecies rerum, quæ ad tales effectus mouent; vel interius mouendo phantaſmata repræſentantia res mouentes ad tales effectus; vel accendendo, & agitando humores, qui ſunt materia horum effectuum, nimirum ſanguinem, vel atram bilem, aut flauam bilem, & alia his ſimilia. *De morbis.*

253 Poſſunt per cauſas naturales omnes effectus, qui poſſunt ab illis euenire ex applicatione eorum actiua, & paſſiua. In rerum natura ſunt quædam res, vt quædam herbæ, quędam metalla, lapides, gemmæ, ligna, animalia, plantæ, terræ, aquæ & in ipſo hominis corpore, quę habent occultas qualitates, quas ipſe Dæmon optimè nòſcit, homines autem ignorant; optimè etiam nouit quibus in locis hæ res reperiantur, cum quibus componi poſſent, quo tempore, quo modo; eſt etiam miræ celeritatis; ideò citò, & oportunè poteſt illas deferre, & ex illis efformare, & cauſare medicamenta proficua, vel nociua, v.g. Si Dęmon aliquem melancholico morbo vult afficere melancholicum, ſuccum auget, vel iam genitum, & auctum in cerebrum commouet; atque in internorum ſenſuum ſedes atros vapores defert. Si Apoplexiam, & alios ſimiles morbos excitare ſtatuerit, craſſos ſuccos ad cerebrum defert, quibus venas cerebri, vel eius ventres, vel neruorum origines obſtruit. Si cęcitatem, traducit ad oculos excrementa, vel neruos viſorios ita comprimit, vt facultas animalis per eos tranſmitti non poſſit, & ſic de alijs. *Dæmones poſſunt p cauſas naturales efficere eos effectus quos illæ poſſunt.*

254 Hac eadem ratione poteſt acus, clauos, carbones, ſulphur, & ſimilia in corpora ęgrotorum immittere, vel producere, & venef- *De clauis, acubus, offi-*

ficia

bus, &c. reiectis ab oppreſsis à Dæmone.

ficia ex pacto innito cum Magis, & ſtrigibus facere. Experientia enim compertum eſt, vt ſupradiximus, cumplures veneficio affectos, vel a Dæmone obſeſſos in adiurationibus diuinis, & ex alijs remedijs talia per vomitum, vel ſeceſſum reieciſſe, & ſtatim ſanos euaſiſſe.

An prędicta reiecta ab oppreſſis à Dęmone ſint verè talia qualia apparent.

Verùm aliqui arbitrati ſunt huiuſmodi res reiectas ab obſeſſis à Dęmonibus non eſſe verè, & realiter illas res, quæ apparent, ſed ſpecies apparentes; eo quod breui tempore, vt puta ſpacio duorum, vel trium dierum reſoluantur, ac pereant, quamuis à principio veræ & reales appareant. Alij dixerunt illas quidem res eſſe veras res, & naturales, ac conſeruari iuxta earum proprietatem; reuera tamen non reijci ex corporibus, ſed Dæmon in ipſo vomitu, vel deiectione citiſſimè ac inuiſibili modo aliunde delatas ita immiſcere, & abſcondere, vt cum vomitione, & alijs excrementis videantur eſſe eductæ. Alij tamen dixerunt illas res ſeu inſtrumenta reuera à Dæmone in corpore obſeſſorum immitti, & extrahi, & eſſe res, ſeu ſpecies veras, & naturales illarum rerum, quarum apparent, nec aliunde adductas eſſe; quod plurimis experimentis probant, res nempè huiuſmodi è corporibus veneficio affectis reiectas pluribus diebus, menſibus, & annis ſeruatas fuiſſe. Omnes iſti modi ſunt poſſibiles, & de duobus prioribus nullum eſt dubium propter potentiam Dæmonis, quam ſupra explicauimus; ſed etiam tertius modus eſt poſſibilis; nimirum quod res illæ, & inſtrumenta realiter immittantur, & extrahantur à corporibus obſeſſis. Nam poteſt Dæmon inijcere in corpus materiam, ex quibus illa inſtrumenta generantur, & paulatim applicando cauſas naturales appropriatas illas efficere, ſicuti naturaliter in corpore ipſo abſque operatione Dæmonis generantur flatus, lapides, & ſimilia; & ita ad immittendum hæc inſtrumenta, vt clauos ferreos, oſſa, & ſimilia non eſt neceſſe quod fiat vulneratio in partibus illis per quas tranſeunt: Neque neceſſe eſt quod ſenſibilem dolorem afferrant. Poteſt etiam illas res integras vt proijciuntur immittere, & reijcere abſque vulneratione, & dolore in illis partibus, quia ſcit adhibere medicamenta dilatantia illas partes, per quas tranſire habent, & ſenſus ſopire, vt euenit in extaticis qui ferrum candens admotum ad carnem non ſentiunt. Poteſt etiam ea inſtrumenta emolire (ferrum enim etſi ſit durum, tamen videmus ad ignem emoliri, & liquefieri) Poteſt ergo adhibere cauſas naturales, quibus illæ materiæ emoliantur, & ſic illas extrahere abſque vulneratione, & facta extractione illas iterum indurare, & ad ſuum eſſe naturale reſtituere. Et ſic certum apparet non eſſe impoſſibilem huiuſmodi immiſſionem, & extractionem rerum naturalium à corporibus obſeſſorum virtute Dæmonis fieri.

255 Fortaſſe autem quis quæret, quæ differentia ſit inter hæc opera

ra miranda, quæ per potentiam ſuam naturalem faciunt Dæmones, & miracula facta à Deo, Angelis, & Sanctis hominibus, quibus innititur fides Chriſtiana. Reſpondeo hanc eſſe quæſtionem Theologicam, de qua præſertim agunt Alexander Alenſis 2. par. q. 41. & 43. & D. Thom. p. 1. q. 105. per totum, & 2. 2. q. 178. & alibi. Scotus in primo ſent. q. 2. Prologi *§. de Octauo. ſ. de Miraculorum claritate* & 3. ſent. d. 24. q. vnica *§. Contra hęc primo* in fine, & alibi. Breuiter tamen vt facit ad propoſitum noſtrum obſeruandum eſt, omnes Theologos conuenire, quod Miraculum eſt nomen, quod ab admiratione venit; admiratio autem tunc fit, quando aliquis effectus fit manifeſtus, & cauſa ignoratur. Cum ergo aliquod opus arduum fit, & eius cauſa ignoratur, effectus ille dicitur miraculum. Huiuſmodi autem effectus, tunc ignoratur cauſa quando fit præter facultatem naturæ, & opem admirantis; tunc enim effectus ille admirationem nobis parit: quia ignoramus cauſam, & ideò dicitur miraculum. Ex quo elicitur, quod effectus dicitur miraculum reſpectu naturæ ignorantis cauſam illius. Hinc eſt quod comparatione ad Deum nullum eſt miraculum, quia nullus eſt effectus, cuius cauſam ignoret Deus; reſpectu ergo humanæ naturæ illud opus dicitur miraculum communiter, cuius cauſa ignoratur communiter ab hominibus, & hoc modo communiter, & impropriè etiam opera Dæmonum, & Magorum, immo, & quorundam ſapientum dicuntur miracula, & à Theologis communiter miracula appellantur, vt Sphera Archimedis, & ſimilia, quæ ab aliquibus miracula dicuntur. Tamen propriè miraculum illud dicitur non ſolum cuius cauſa ignoratur, ſed quod nullam habet cauſam naturalem, ſed ſuperat omne poſſe naturæ à D. Auguſt. lib. de vtilitate credendi cap. 16. his verbis. *Miraculum voco quidquid arduum, aut inſolitum ſupra ſpem, vel facultatem mirantis apparet.* quam adducit Scotus & ponderat vbi ſupra.

Quę differentia ſit inter opera Magorum, & miracula facta virtute Dei.

Quid ſit miraculum.

Miraculum communiter dictum.

Miraculum propriè quod nam dicatur

Scotus.

256 Poteſt autem opus excedere potentiam, & vim naturæ tribus modis, & ſic oriuntur tres gradus Miraculorum. Vno modo quantum ad ſubſtantiam facti; & hoc modo opus ſupernaturale quò ad ſubſtantiam dicitur miraculum: ſicut quod duo corpora ſint ſimul in eodem loco, vel quod ſol retrocedat, aut quod corpus humanum beatificetur. hæc opera dicuntur miracula: quia à natura creata minimè fieri poſſunt, ſed à ſolo Deo. Et hic eſt primus, & ſupremus gradus Miraculorum. Secundo modo aliquod opus excedit facultatem, & vim naturæ non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad modum; & ſic omne opus ſupernaturale quò ad modum eſt miraculum. Hoc autem dupliciter fit; vno modo quò ad materiam in qua fit. Exemplum, reſuſcitatio mortuorum, illuminatio cęcorum, & ſimilia. Nam licèt natura poſſit dare, & cauſare vitam, tamen non poteſt illam cauſare in mor-

Tres gradus miraculorũ.

Digitized by Google

in mortuo. Similiter natura poteſt cauſare viſionem, ſed non in cæco; ideo dicuntur miracula, & tenent ſecundum gradum miraculorũ.

Tertius gradus miraculorum.

Tertio modo aliquid poteſt ſuperare vim naturæ quò ad ordinem, & modum ipſum faciendi. Exemplum. Cum aliquis ſubito per virtutem diuinam à febre curatur abſque curatione, & conſueto ordine naturæ, & hæc tenent tertium, & infimum gradum miraculorum.

256 Ex his conſpicitur, quæ ſit differentia inter miracula vera, & opera mira Magorum, & Dæmonum; ſeu inter miracula vera, & falſa, de qua tractat Diuus Auguſtinus loco ſupracitato, & alibi.

Differentia inter miracula vera, & falſa.

De ranis & ſerpentibus factis à Magis Pharaonis.

Prima differentia eſt quod Diabolus, & Magi non poſſunt facere miracula vera primi generis, nec ſecundi generis, ſed ſi quæ videntur facere ſunt illuſiones, & apparentiæ falſę ad illudendum homines. Tertij generis opera facere poſſunt, vt patet de Magis Pharaonis, qui veras ranas, & veros ſerpentes fecerunt; ſed tamen non erant vera miracula, quia facta erant à Dęmone virtute cauſarum naturalium, non immediatè ab ipſo Deo.

Secunda differentia qua cognoſcitur verum miraculũ à falſo.

Secunda differentia, quę eſt ſignũ diſcernendi verum miraculum à falſo, eſt, quod verum miraculum fit ad vtilitatem hominum, & gratiam, & beneuolentiam conciliant; cuiuſmodi videmus eſſe miracula facta a Chriſto Domino, & Sanctis in ſacris litteris; cuiuſmodi erant ſanatio languidorum, mundatio leproſorum, inceſſus claudorum, cæcis viſus, ſurdis auditus redditus, mortuorum reſurrectio, & ſimilia. At miracula, ſeu opera mirabilia (ex cauſis tamen naturalibus facta) à Magis, & a Dæmone ſunt ad oſtentationem, ad vanitatem; vt volatus Simonis Magi, & opera illa relata à Valerio Max. & ſimilia, ſolum enim excitabant admirationem non autem vtilitatem vllam præter illud ſpectaculum, quod conferrebat, & ordinabatur ad impietatem, Idolatriam, & opera praua, & peccaminoſa; atque etiam in perniciẽ, & deſtructionem rerũ ipſarum, vt patet de veneficijs, & incantamentis hominum, animalium, & reliquarum rerum pertinentium ad perfectionem mundi. Demum illorum finis eſt vel lucrum, vel gloriæ, & honoris cupiditas, vt ſibi nomen, & honorem diuinum aucupent, vel vt veritatem peruertant, falſitatem ſuadeant, vel ad patrandum adulteria, furta, homicidia, & id genus. Vnde facilè ex hac differentia poteſt cognoſci quæ ſint vera, & quæ falſa miracula.

Tertia differentia.

Tertia differẽtia eſt, quod miracula vera nõ fiunt niſi per viros ſanctos, nimirum ad eorum obſecrationem, & interceſſionem; & ſi aliquando fiunt per homines prauos, fiunt ad aliquam veritatẽ comprobandam. Miracula enim ſunt tanquam quædam ſigilla obſignantia veritates fidei Chriſtianæ. Cum enim Dęus ſit veritas ipſa, quæ nec falli, nec fallere poteſt, facit miracula per Sãctos ſuos ad cõfirmandũ veri-

veritatem prædicatam ab eis. Fiunt etiam ſolum à Sanctis ad teſtificandum ſanctitatem illorum, & ad eos commendandum, ſiue in vita, ſiue in morte. Miracula verò falſa, & Dæmonũ nõ fiunt niſi per hoĩes prauos, cuiuſmodi ſunt Magi, & Præſtigiatores vt erit Antichriſtus.

Quarta differentia eſt modus: Quia vera miracula fiunt ſolum per orationem interiorem, vel exteriorem, vel per inuocationem diuinæ virtutis, vel facto ſigno Crucis, vel aliquibus verbis ſacris recitatis. At Magi, & Diabolus vtuntur multis mendacijs, figuris, characteribus, verbis, vel nihil ſignificantibus, vel abſurda; miſcent ſacra profanis, vſurpant quædam verba ſacra, quibus adiungunt ſuperſtitiones, & ea fœdant; docent enim ea debere dixi ſub certa quadam conſtellatione, certo loco, certo tempore toties ſigno Crucis facto, tot candelis accenſis tactis à pueris, vel virginibus; Adhibent etiam quandoque conditiones ridiculas, nimirum oportere lauare barbam, tali hora radere capillos, hac, vel illa veſte indui. Adhibẽt etiam, (quod fidei Chriſtianæ, eſt veritatis certiſſimum argumentum) quædam impietatis plena. Dæmonibus enim ſacrificant; nomen, & fidem Chriſti abiurant; prohibent homines ſignare ſe ſigno Crucis, & alia faciunt partim ſuperſtitioſa, partim ridicula, partim penitus execranda. Iſtæ ſunt potiſſimum differentiæ inter miracula falſa, & vera; atque proinde ex his ab inuicem diſcerni poſſunt, à quolibet pio, & erudito viro. Atque vt puto ex his patet ſatis apertè dari Dæmones, atque opera illa mirabilia, quæ adduximus ſupra tàm ex Valerio Maximo, quàm ex Medicis euidenter comprobare illa eſſe opera Diaboli non naturæ alicuius corporalis, & elementaris; & qui proinde negat dari Dæmones omninò à Philoſophia diſcedere, & penitus deſcipere cogitur. Siquis autem vellet negare opera illa mirabilia facta fuiſſe vt ſupra dixi, poterit etiã negare omnes alias hiſtorias nedum ſacras, ſed Gentilium; poterit negare fuiſſe Valerium Maximum, Titum Liuium, Ciceronem; poterit ſimiliter negare fuiſſe Romam, fuiſſe templa illa Deorum, in quibus oracula à Dæmonibus dabantur, quæ omnia negare inſipientis proculdubio eſt, vt ſupra dicebamus.

Quarta differentia.

Immortalitas Animæ rationalis ex dictis, & alijs rationibus contra Atheiſtas fortiſſimè probatur. Caput Duodecimum.

Cum ex dictis in præcedentibus conſtet dari Deum propriè, dictum id eſt ſubſtantiam immaterialem intelligentem, liberè operantem, & gubernantem Mundum & alias ſubſtantias immateriales intellectiuas diuerſa opera in hoc Mundo ſublunari facientes, quæ nullum agens naturale efficere poteſt, quorum aliquos Angelos, alios Dæ-

Digitized by Google

mones vocamus; ſequitur nullam eſſe repugnantiam Animam rationalem eſſe ſimilis ſubſtantiæ ſcilicet immaterialem, & incorruptibilem, & poſt mortem manere. Quas autem operationes agat poſt mortem, quotquot illam admittunt immortalem, beatam fore, & ſumma voluptate fruituram in Cœlis, vel in Inferno æterna pœna puniendam fore conueniunt. Et certè admiſſa immortalitate animæ alteram horum neceſſariò ſequitur. Quod ex dicendis patebit. Nunc circa immortalitatem verſemur.

258 Ego autem in Philoſophia naturali, Theor. 68. de Animę immortalitate fusè diſſerui; atque cap. vltimo in vera Philoſophia immortalem eſſe dicendam efficacibus rationibus probaui. Neque enim Philoſophia Ariſtot. eſt omnis Philoſophia: ſunt enim alię quamplurimæ ſectę Philoſophorum, quæ certè à Philoſophia Ariſt. in quamplurimis differunt. Philoſophia ergo vera eſt Philoſophia in ſe, ſeu ſapientia, quæ viribus naturalibus acquiritur, vel eſt acquiſibilis, non autem ſola Philoſophia Ariſtot. Quia autem vnus eſt acutiori ingenio altero, hinc acutius rerum naturalium cauſas agnoſcit, & proinde non debemus noſmetipſos ita alligare vnius hominis, quamuis ſapientiſſimi dictis, vt nobis non liceat oppoſitum ſequi, & alijs adhærere, qui ab illo diſcrepauerint, ſi ratio id ſuadeat. In propoſita autem materia de immortalitate animæ cum pauciſſimi ſint, qui immortalitatem negent, & è cõuerſo quamplurimi immo omnes, exceptis, & paucis quibuſdam Ariſtot. expoſitoribus cum Epicuris, ſuſtineant eſſe immortalem, non erit ab re ab eis diſcedere, & cum alijs oppoſitum ſentientibus conuenire. Æquidem quàm dubia ſit Ariſtotelis ſententia ex eo Theoremate manifeſtum eſt, cum ipſe ita perplexè ſit loquutus, quod eius interpretes in vtranque partem eum trahunt. Et certè vt ibidem dixi cum Scoto Ariſt. credidiſſe animam rationalem eſſe immortalem ex eius apertiſſimis auctoritatibus colligitur. Tamen ex principijs ſuæ doctrinæ oppoſitum ſequitur; quæ cum ipſe neſciret diſſoluere, licèt ob excellentiam eius, & receptam ſententiam communiter de eius immortalitate apud omnes exiſtimaret ipſam immortalem, tamen apertè id non potens comprobare, quaſi anceps eam immortalem dixit. Ego auctoritates Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum prius adducam; deinde rationibus ex Ariſtotelis doctrina ductis, immortalitatem probabo.

Ariſt. credidit animam rationalē eſſe immortalem. ſed propter quędam principia quę ſoluere neſciebat, anceps fuit.

Quod Ariſt. aſſeruerit animę rõnalis immortalitatē prima auctoritas.

2. de Anima tex. 21.

259 Et quidem quod Ariſt. cenſuerit eſſe immortalem ex eo deducitur maximè, quia nunquam legitur dixiſſe precisè, ſeu in particulari intellectum ſeu animam rationalem eſſe mortalem, & corruptibilem; è conuerſo autem apertè dixit eſſe immortalem præſertim 2. de Anima tex. 21. Vbi habet hæc verba. *De intellectu autem, & ſpeculatiua poten-*

potentia nihil adhuc manifeſtum eſt, ſed videtur genus aliud animæ eſſe, & hoc ſolùm poſſe ſeparare, ſicut perpetuum à corruptibili. & 3.de Anima tex.7.ponit differentiam inter ſenſum, & intellectum, quod ſenſus à vehementi ſenſibili corrumpitur; intellectus verò perficitur, quanto magis obiectum eſt perfectum, & vehemens; neque poſt intellectionē maximè intelligibilis hebetatur, vt non poſſit intelligere inferiora, ſed potius magis illa intelligit; & adducit rationem huius differentiæ in hæc verba. *Senſitiuum enim non ſine corpore eſt, hic autem ſeparabilis eſt*. lib. 12. Met. tex. 17. loquens de formis compoſitorum dicit quod formæ compoſitorum manent dum compoſita manent. exemplificat. forma enim æneę ſpherę manet dum ſphera manet, & ſic ſe habet de alijs formis. An autem aliqua compoſiti forma maneat poſt compoſitum, perſcrutandum eſſe inquit, & inquit in quibuſdam compoſitis nihil prohibet huiuſmodi formam poſt compoſitum manere; veluti animam non omnem ſed intellectiuam; quia quod omnis anima ſit ſeparabilis fortaſſe eſt impoſſibile. Verba textus ſunt iſta. *Si autem aliquid poſterius permanet, conſiderandum eſt, in quibuſdam enim nihil prohibet veluti ſi anima tale ſit non omnis ſed intellectus, omnem namque fortaſſis impoſſibile eſt*. Nec debet faceſſere negotium quod loquatur conditionaliter. *Si anima tale ſit*. quia hic modus loquendi eſt familiaris Ariſtoteli. Nam in eodem tex. loquens de reliquis formis Phyſicis, inquit *omnem namque fortaſſe impoſſibile eſt*. & tamen certiſſimum eſt, quod forma carnis, forma ſanguinis non eſt ſeparabilis à carne, & ſanguine, vt docuit, & probauit 2. Phyſ.

3.de Anima tex.7.

12. Met. tex. 17.

Ratio etiā & ſimul auctoritas Ariſt. quam habet 3. de Anima tex. 6. hoc confirmat. Dicit enim intellectum eſſe immixtum corpori, & inorganicum; & probat, quia ſi eſſet corporeus eſſet calidus, vel frigidus, & vteretur organo in operando; nullo autem organo vtitur. Clarum eſt autem id quod caret materia eſſe immortale, hac enim ratione 12. Met. & 8. Phyſicorum probat intelligentias eſſe perpetuas, quia carent materia. Verba autem Ariſt. 3. de Anima tex. illo 6. ſunt iſta. *Vnde neque rationabile eſt ipſum miſtum eſſe cum corpore, qualis enim quidam vtique fieret, calidus, aut frigidus, & ei aliquod inſtrumentum eſſet, ſicut ſenſitiuo, nunc autem nullum eſt, & bene vtique, qui dicunt animam eſſe locum formarum niſi quod non tota, ſed intellectiua, neque actu, ſed potentia formæ*. lib. 1. de Anima tex. 49. inquit laborioſum eſſe animæ eſſe alligatam corpori, atque non poſſe ab illo ſeiungi, & proinde hunc modum dicendi fugiendum eſſe, quia melius eſt intellectum aſſerere eſſe ſeiunctum à corpore, vt aliqui dicere conſueuerunt, & placet multis. Verba tex. ſunt. *Laborioſum autem eſt, & commiſtum eſſe corpori non potens abſolui; & præterea fugiendum, ſiquidem melius eſt intellectiui non*

Ratio Ariſt. ex 3. de Anima tex. 6.

3.de Anima tex.6.

1.de Anima tex.49.

I 2 *cum*

Digitized by Google

cum corpore eſſe, quemadmodum & conſuetum eſt dici, & multis placet. Comendat ergo Ariſt. eos, qui tenent animam eſſe ſeparabilem à corpore. Idem habet multis alijs in locis, vt videre eſt in eodem Theoremate. Quare cum Ariſt. intellectiuam animam dicat eſſe immortalē, & ſeparabilem, & incorpoream, proculdubio eſt aſſerendum eum credidiſſe eſſe immortalem.

Auctoritates prędictæ non de intelligētia aſſiſtente, neque de intellectu agenti intelligi poſſunt.

260 Neque audiendi ſunt illi, qui hæc loca interpretari volunt de mente aſſiſtente vt Auerroes, vel de Deo, vt Alexandrei. Conſpicuum eſt enim loqui de anima rationali quæ eſt forma informans, & quod quid eſt hominis, non de Deo, quod eſt agens vniuerſale; vel de aliqua vna intelligentia, quæ nobis aſſiſtat: neque enim tunc nos formaliter intelligeremus, neque eſſemus formaliter homines, ſed belųæ quædam paulò nobiliores alijs beſtijs; ſed apertiſſimè intelliguntur de anima intellectiua vniuſcuiuſque hominis, qua ille homo particularis intelligit, & ſapit, & aliter interpretari eſt extra ſenſum litteræ Ariſtotelis omninò, vt abundè oſtendimus in citato Theor. 68. & Theor. præcedenti 67. vbi oſtendi animam intellectiuam eſſe veram formam informantem hominis.

Ariſt. credidit animam rationalē eſſe immortalem, ſed non demōſtrauit propter magnam rei difficultatem.

261 Cognouit ergo Ariſt. animæ rationalis immortalitatem, & exiſtimandum eſt eam talem credidiſſe, cum eam ſemper immortalem, nunquam mortalem (de ipſa in particulari loquens) appellet; Non demonſtrauit autem, neque ad hanc demonſtrandam ſe accinxit, quia res ardua, & difficilis ex ſenſibilibus eſt eam determinare. Et eo magis, quia quædam principia ipſe ſtatuere conatus eſt, quæ omninò immortalitati eiuſdem repugnant, cuiuſmodi eſt æternitas Mundi, quā adſtruere tantopere laborauit in 8. Phyſic. Admiſſio autem æternitatis Mundi cum animæ immortalitate ducit ad tranſmigrationem Pithagoricam, & Platonicam, quæ quàm impia ſit patet; quam cum Ariſt. non admitteret de ſtatu animæ poſt mortem fuit ambiguus; & ideò ſic anceps, & pendulus fuit in hac quæſtione. Admiſſio æternitatis Mundi cui Ariſt. adeo innixus fuit, ipſum deiecit in labyrinthum cogitationum, & perplexionem hāc de immortalitate animæ, & multarum aliarum. Eſt enim fons omnis impietatis, & omnis infęlicitatis, & rerum humanarum omnium confuſio; admiſſa enim æternitate Mundi niſi tranſmigratio Pithagorica admittatur, tollitur creatio tēporalis rerum; nulla poteſt reddi ratio prouidentiæ Diuinæ; & immortalitas ipſa animarum omninò inficias iret. Quid enim infinitæ animæ ab æterno productæ, & producendæ in infinitum agerent? non daretur Cœlum, quo aſcenderēt propter merita, non infernus quo propter demerita punirentur. Mundum hunc caſu factum ſic eſſe conſequeretur. Cur homo brutis pręmineat, atque tam alta cognitione eos ſuperet,

Cauſa perplexionis Ariſtot. ī immortalitate animæ fuit opinio quā habuit de æternitate Mūdi. Opinio æternitatis Mūdi eſt fons omnium errorum.

peret,

Digitized by Google

peret, vt ſciat facere Domos, Ciuitates, Naues, tot artes exercere, terram collere, inſerire, plantare arbores, & denique tam magna, & multa facere, quæ bruta facere poſſe nec ſomniare poſſumus, nulla ratio reddi poſſet. Clamat autem Ariſt. quæ caſu, & fortuna eueniunt rarò, & per accidens euenire; hæc autem ſemper conſtantiſſimè eodem modo ſe habent, non ergo caſu facta dicemus. Cum ergo Ariſt. hoc principium tenuerit, ex hac parte animę immortalitatem non potuiſſe tenere videtur. Quare ego cum Scoto puto virum hunc acutiſſimum in hac quæſtione ſemper hęſiſſe, & modò in hanc partem, modò in aliam conceſiſſe. Infra autem diſp. particulari, An Mundus ſit æternus, vaniſſimum eſſe hoc aſſertum Ariſt. de Mundi æternitate oſtendam, & eius rationes nullo negotio diſſoluam.

Prima obiectio Pomponatij.

262 Quod autem aliqui obijciunt, vt Pomponatius, ſe capere non poſſe, quomodo rationalis anima ſit immortalis, cum dicamus ſenſitiuam, & vegetalem eſſe idem realiter cum ea, conſtet autem ſenſitiuã, & vegetalem eſſe inſeparabiles à materia, & proinde dicendum vel etiam rationalem eſſe inſeparabilem vel omnes eſſe inſeparabiles, & mortales, quod repugnat. Item cum intellectus non poſſit intelligere

Secũda obiectio Pompo natij.

niſi per phantaſmata, & conſequenter pendent ab obiecto ſenſibili, & materiali nõ poſſe capere, quomodo intelligat poſt mortem; ſi autem non põt intelligere, ſequitur nec poſſe eſſe poſt mortẽ, quia ociaretur.

Ad primam obiectionem

263 Reſpondemus has dubitationes fuiſſe quæ Ariſtotilem ancipitem faciebant; ſed cum ipſe Ariſt. apertè dicat rationalem eſſe immixtam à materia, & inorganicam, non eſt ab hac ſententia diſcedendum, ſed quærendus eſt modus ſoluendi obiectionem allatam quæ turbabat Ariſt. Dicimus ergo animam rationalem vnitiuè in ſe continere vim vegetalem, & ſentientẽ, & ipſam quamuis immaterialem fungi officio vegetalis, & ſentientis. Si dicas quomodo immateriale ędere poteſt operationes materiales, & corpus informare? Et ego quæro à te, quomodo ex Ariſt. intellectus inorganicus poteſt organici corporis eſſe actus, & in corpore materialia per ſenſibilia intelligere, & tamen Ariſt. hæc omnia apertè conceditur, dicendum eſt ergo animam rationalem non dare eſſe extenſum corpori, ſed corpus extenſionem habere à forma corporeitatis extenſa, & quanta; Animam verò rationalem dare actum vegetandi, & ſentiendi in corpore ipſo, ſicut licèt ſit immaterialis & inorganica, intelligit tamen in corpore, & corporalia per phantaſmata, & ſpecies à corporibus ſumptas; Difficilia iſta ſunt, & tot opinionum anfractus hìc reperiuntur. Attamen cum Ariſt. dixerit animam rationalem eſſe inorganicam non quantam, & tamen eſſe actum corporis in ipſo, & per ipſum intelligere, cur negare volumus etiam alias actiones, quamuis materiales (licèt ſit immaterialis)

agere; & præſertim cum homo generet hominem non purè vegetatiuum, & ſenſitiuum, ſed etiam intellectiuum? Cum ergo lumine fidei illuſtrati ſimus, ſupplicamus in ijs, in quibus Ariſtot. anceps & nutans fuit. Videbat Platonicos ponere animam rationalem immortalem & placebant illi; at quæ dicebant de ſtatu poſt mortem, de illa transmigratione Pithagorica, de creatione Mundi non placebant; Ideò de ſtatu animæ poſt mortem nihil dixit; tamen quoad productionem illius non potuit non affirmare eam de foris aduenire; & ſic quoquo modo creationem innuere.

Ad illud de dependentia à phātaſmate.

264 Ad illud autem de dependentia à Phantaſmate in intelligendo, dicendum eſt cum Theologis, animam poſſe poſt mortē ſine phantaſmate intelligere res materiales, & ſpirituales, quia ſicut dum exiſtit in corpore intelligitur obiecta, quia præſentantur ſenſibus externis, & per ipſos ad internos, ad ſenſum communem & phantaſiam, & tandē ad intellectum; ita poſt ſeparationem ipſa obiecta immediatè offeruntur ipſi intellectui agenti, qui cognitione intuitiua intelligit ſingularia, & abſtrahit ab illis ſpecies intelligibiles, & producit cognitionem in intellectu poſſibili, vt faciunt Angeli, de quibus Scotus quo ad Angelos in 2.diſt.3.q.11.& de anima rationali in 4.diſt.45.q.1. Neque hoc difficile videri debet: quia ſecundum Ariſtotilem intelligentiæ ſunt immateriales, & ſine ſenſibus, & tamen intelligunt corporalia, vt ſunt corpora cœleſtia, quæ ipſæ mouent. Neque enim dicendum eſt quod ea moueant & ea non cognoſcant, cum ſint agentia per cognitionem, & moueant propter amorem & deſiderium primæ intelligentię, quę mouet in ratione amati & deſiderati. Neque Cœlum eſt obiectum vile & corruptibile indignum, vt ab ipſis intelligatur: & nihil intelligere extra ſe eſt proprium primi entis non aliarum intelligentiarum ex ipſo Ariſtotile.

Sētentię Philoſophorū de immortalitate animæ ex Plutarcho.

265 Nunc hāc veritatem de animæ rationalis immortalitate aliorum auctoritatibus, & rationibus quibuſdam oſtendamus. Plutarchus de placitis Philoſophorum lib.4.cap.7. habet hæc verba. *Pithagoras, & Plato interitus expertem animam: cum enim exit peruenire in incognitam ſibi animam Mundi. Stoicos. Exeuntem è corpore ſimul cum concreto interire, eam ſcilicet quę ſit imbecillior, quales ſunt ineruditorum animę: Validiores, quales ſunt ſapientum durare vſque ad conflagrationem. Pithagoras, Plato, ratione præditam partem non interire eſſe animam quippè in Deum, ſed opificium æterni Dei: Brutorum eſſe obnoxiam interitui.* Hæc Plutarchus. Non facit mentionem Ariſtot. opinor, quia in quam partem declinet magis Ariſt. ipſe Plutarchus neſciuit inueſtigare propter eius perplexitatem. Vides hīc omnes præter Democritum, & Epicureos animam aſſerere immortalem. In hanc eandem ſententiam

coli-

colimabant veteres omnes Caldei, Ægyptij, & Græci, dum dixerunt animos noſtros eſſe diuinos à Deo creatos veniſſe in corpora; nam cũ non poſſent inuenire in terra procreationem animorum, à ſedibus diuinis, à Deo non lapſos, vt nonnulli dixerunt poſtea, ſed ortum ac originem innuentes venire prædicauerunt. *Ægyptiorũ, Caldeorũ, & Græcorũ ſententia.*

266 Triſmegiſtus vnus ſufficiat, qui veterum, & primorum ſapiẽtum optimè nouit ſententiam. Hic in Pimandro cap. 13. quod eſt Epiſtola ad Tatium filium, poſtquam mirè explicauit creationem Mundi à vero Deo loquẽs de animæ noſtræ immortalitate per modum Dialogi, vt ſui moris eſt, cum filio ſuo Tatio ſic reliquit ſcriptum. Triſmegiſtus.

Tat. *Reſponde ad hæc ò Pater. Corpus iſtud ex potentia conſtitutum, num aliquando diſſoluetur.* Triſm. *Caue ne id vlterius audeas; Impoſſibilia profers, ac penitus erras, mentiſque oculis iſta loquendo impietate nimis profanaris. Senſibile naturæ corpus ab eſſentiali regeneratione procul admodum diſcrepat, vnum quidem diſſolubile, indiſſolubile alterum, illud mortale, hoc immortale.* Ecce quàm apertè animam, quæ à vitijs ad virtutes ſe regenerando tranſit, dicat eſſe immortalem, & indiſſolubilem; corpus verò ſenſibile mortale, & diſſolubile.

267 Hoc idem apertè Phocylides (vt è Græcis præcipuis alterum adducamus) è priſcis illis Græciæ, qui ante Philoſophos, vt dicunt floruerunt certis carminibus expreſſit in lib. de præceptis, de vita degenda. Vbi ait quod corpus quidem è terra ſumptum eſt.

Sed viuunt animi, ſemper ſine morte ſenectaque.
Defunctis ſupereſt vita; & Dij deinde creantur.

Aſſerit homines poſt mortem creari Deos, quia dicebant homines ſingularibus virtutibus præditos eſſe Heroes, & euadere Deos; quod etſi ſit falſum, tamen hoc nobis, indicat ipſos immortalitatem humanorum animorum aſſeruiſſe, & tenuiſſe. (Sed cum Poeta iſte hæc carmina ſua ex carminibus Sibyllinis hauſerit, vt aſſerit Suidas, fortaſſe voluit, licèt vmbratim id quod Chriſtiana religio tenet, viros eximios ſanctitate præditos ſpeciali beatitudine ſuper alios beatificari, & ſanctos dici) ſubiungit deinde Phocylides.

Incorrupta manet anima, nam luce carentum
Atque breui è terra ſperamus ſcandere ad auras.

268 Plura affert Eugubinus lib. 9. de perenni Philoſophia ex Trimegiſto, Muſeo, Orpheo, Homero, Pindaro, Pherecide Syro, Pithagora Præceptore, Cicerone, & poſterioribus, qui dixerunt animos ſempiternos. Ego ex poſterioribus vnius Senecæ auctoritatem ſufficere volo. Hic Epiſtola 102. habet hæc verba. *Cum venerit dies ille, qui miſtum hoc humani diuinique ſecernat tempus. hic vbi inueni relinquam, ipſe me dici reddam; nec nunc ſine illis ſum, ſed graui terrenoque* *Auctores antiqui tenẽtes Animæ immortalitatem.* Seneca.

 pon-

pondere detineor, per has mortalis aui moras, illi meliori vitæ longiorique præluditur. Quemadmodum nouem menſibus nos tenet maternus vterus, & praparat non ſibi, ſed illi loco in quem videmur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare; ſic per hoc ſpatium, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium naturæ ſummimur paſtum; alia origo nos expectat; alius rerum ſtatus; nondum Cælum niſi ex interuallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſupremũ, ſed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tanquam Hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. Tranſeundum eſt. Dies iſte, quem tanquam ſupremum reformidas æterni natalis eſt. Hæc Seneca, & alia plura quæ referre longum eſſet. Multa alia infra in diſp. An myſteria noſtræ fidei Chriſtianæ cognita fuerint antiquioribus Philoſophis, adducam, quæ valdè conferunt ad probandum antiquitatem tenuiſſe ſine vllo dubio animam rationalem eſſe immortalem: & opinionem de mortalitate irrepſiſſe oſtendam primum in Græcia iam obtenebrata reuelatione ſucceſſiua oretenus communicatã ab Adam poſteris ab impijs Atheiſtis Diagora, & alijs, de quibus diximus ſupra cap. 1.

Ratio efficax ex Religione 269 Ratio aũt efficax ſumitur ex Religione quam ſuperius tactam repeto propter eiuſ efficaciã. Animus. n. noſtris inſita eſt Religio. i. cultus Dei, & Deũ eſſe colendum, & ab ipſo Deo nobis pro culpis pœnã eſſe infligendã, & pro bonis actionibus propriũ eſſe retribuendũ; Hoc autem apertè infert animã rõnalem eſſe immortalem, quia cõiter hæc præmia, & pœnas retribuenda eſſe poſt mortem aſſerunt omnes quotquot religionem habent, non ſolùm noſtra Religio Chriſtiana, quæ eſt vera Religio, ſed Religiones omnes Gẽtilium, ſiue fuerint Græci, ſiue Caldei, ſiue Arabes, vel alterius gentis, & his temporibus, ſiue Mahumetani, ſeu Indi Gentiles. Neque enim in ſtatu hoc vitæ mortalis iuſtam retributionem pœnarum, vel præmiorum fieri videmus; immo oppoſitum cernitur, quia vt plurimum mali præmiantur, & iuſti puniuntur. Ex hac ergo communi notione animi, quod anima rationalis ſit præmianda, vel punienda poſt mortem, ſequitur omninò eſſe temeritatem magnam animæ rationali immortalitatem negare.

Ratio ex D. Auguſt. 270 Confirmatur ex rõne adducta a D. Aug. 13. de Trin. c. 8. vnuſquiſque appetit beatitudinem: beatitudo autẽ eſt aggregatio omnium bonorum, ſed principale bonum eſt vita, ablata enim vitã per mortem tollitur omne aliud bonũ; ergo data mortalitate animæ rõnalis hic appetitus naturalis beatitudinis non daretur, quia ad impoſſibile nullus eſt appetitus naturalis, licèt appetitus rationalis inefficax poſſit eſſe impoſſibilium, vt diximus in 2. ſent. agendo de peccato Dæmonum.

Obiectio Põpon. diluitur 271 Dicere aũt, vt Põponatius dicit, quod homo in illo obiecto debet quietari, quod ſecundum prudentiam cognoſcit ſibi conuenire, & appe-

appetere illud ad quod non poteſt peruenire, eſſe ſtultitiam; Profecto oſtendit vanitatem Pomponatij, & ſimilium hominum. Sic enim pauper in obulo panis quo famem expellat deberet fœlicitari: quia ſecundum prudentiam cognoſcit, quod ſecundum ſtatum ſuum non poteſt aliquid maius obtinere; Quæ quæſo maior ſtultitia? finis, ad quē tēdit natura vt quieſcat, eſt naturalis non voluntarius; finis ille, in quo per prudentiam quis quieſcit, eſt finis præfixus ſeu prçſtitutus, non naturalis. Per quantamcumque ergo prudentiam quis aliquo fine contentus ſit, & non doleat, licèt finem perfectiorē attingere non poſſit, eius appetitus naturalis non erit ſatiatus, ſed ſolum in obiecto infinito. Quare hoc deſiderium eſt ſignū efficax immortalitatis animæ humanæ, quia hic finis optimus, in quo omnia bona aggregantur, eſt ſolus Deus.

Huic proxima eſt altera ratio penitus inuicta ex Ariſtot. viſceribus deducta. ſ. quod anima rationalis eſt inorganica, & ſeiuncta à materia, quia intellectus non eſt calidus, nec frigidus, ex hoc autem deducitur inuictè quod ſit immortalis, quia intelligentiæ mouentes orbes nō alia ratione ſunt immortales, niſi quia ſunt ſeiunctæ à materia; cum ergo anima rōnalis ſit ſeiuncta à materia, optimè ſequitur eſſe immortalē. *Ratio efficaciſſima ex Ariſtot. principiis.*

272 Ex hac ratione ex ipſiſſima Ariſtotel. doctrina deducta patet quàm nimis propenſus etiam contra Ariſt. eſſet Pomponatius ad mortalitatem animæ rationalis adſtruendam. Quamuis enim negare non poſſet Ariſt. aſſeruiſſe rationalem animam, ſeu intellectiuam eſſe immaterialem, & inextenſam; tamen affectu aſſerendi ipſam mortalem ipſe lib. 1. Apologiæ cap. 3. inquit. *Sed vnum etiam huic addere volo, quod tamen ex toto non aſſero, verùm mihi ſatis probabiliter dici poſſe videtur. hoc autem eſt iſtud. ſ. ſtat intellectum humanum eſſe extenſum, & ſecundum eſſentiam, & ſecundum potentiam, ſecundum quam intelligit, & vult, & tamen ipſe vniuerſaliter cognoſcit, & ſylogizat, neque hoc Ariſt. contradicit.* Quāuis ergo tam diſertis verbis Ariſt. aſſeruerit intellectum eſſe inorganicū, nihilominus audet dicere ſibi probabile videri, nec Ariſt. repugnare aſſerere intellectū eſſe organicum, & materialem; potuitnè euidentius ſuā peruicaciā manifeſtare? At inquit Auerroes, & D.Th. ponunt dari cogitatiuā diſtinctā à Phantaſia; atq; eā diſcurrere, & ſylogizare aſſerunt, & tñ eſt organica, & materialis, cur ergo hoc nō pōt ſuſtineri de intellectu? Rñdetur non poſſe ſuſtineri, quia Ariſt. ſcdūm cuius doctrinam ipſe profitetur loqui dicit apertè intellectum eſſe inorganicū & immaterialē; & adducit rōnem, quia non eſt calidus, nec frigidus, nec à vehemēti intelligibili hçbetatur; licèt Pōponatius ē t hoc neget, affirmando immo intellectū humanū maximè pp ſtudiū hçbetari. Cæcus homo non vult diſtinguere inter animam, & corpus; & tamen clamat Ariſt. quod ſi ſenex reciperet oculum iuuenis, videret vt

Procliuitas Pomponatii ad mortalitatē animæ adſtruendā.

Alia obiectio Pomponatii ſoluitur.

iuuenis;

iuuenis; quanto magis intellectus intelligeret ſemper perfectiſſime, & proficeret, ſi corpus humanum non ſeneſceret?) & 3. de Anima tex. 21. & inde apertè aſſerit compoſitionem, & diuiſionem, & multò magis diſcurſum eſſe operationes ſolius intellectus. Cum ergo Auerroes, & D. Thomas ſequens Auerroem ab Ariſt. recedant, ita apertè, non erat ipſi Pomponatio quoque diſcedendum ab Ariſtot. propter horum auctoritatem. Sed maluit Pomponatius laudare cogitatiuam Auerrois, & cum Auerroe facere hominem animal brutum, immo cum Grillo apud Plutarchum omnia bruta animalia ratione vti, nec differre ſpecie ab homine, ſed ſolum ſecundum magis, & minus; quàm cū ſolum facere animal rationale, & animam eius ſolam immortalem. Nec ſciuit ponere diſcrimen inter calidam vulpem, & Phidiā, vel Praxitellem, vel Zeuſim, vel Argonautas. Neque inter formicæ prouidentiā, & agricolæ ſolertiam, niſi ſecundum magis, & minus; ſed cum ſe brutum eſſe vellit cum brutis habeat, & nos ad noſtra reuertamur.

Grillus apud Plutarchum facit omnia bruta rationis cōpotes.

Alia ratio pro immortalitate ex Ariſtot.

273 Alia ratio non leuis ex 12. Met. tex. 17. elicitur. Nam Ariſt. in tex. illo ponit hanc propoſitionem abſolutam *quaſdam formas manere poſt mortem nihil prohibet*, ideſt nullum adeſt impedimentum propter quod aliquæ formæ non poſſint manere poſt mortem; hoc facto principio exemplificat hoc modo, *vt anima non omnis ſed intellectiua ſi ſit talis*, ideſt quod non habeat impedimentum permanere poteſt poſt mortem. Tunc ſic arguo. At anima rationalis eſt de numero eorum, quæ non habent impedimentum verè, & ſine dubitatione; ergo abſolutè, & ſimpliciter (& non dubitatiuè vt infert Ariſt.) eſt aſſerendum animam intellectiuam manere poſt mortem. Aſſumptum; nimirum, quod anima intellectiua non habeat impedimentum aliquod probo; quia impedimentum illud eſt materialitas formæ. Anima rationalis caret illa; ergo poteſt manere poſt mortem. Maiorem probo, quia Ariſt. dicit quod omnem animam permanere eſt impoſſibile. Tunc quæro, quænam eſt ratio propter quam aliæ animæ non poſſunt permanere? certè eſt quia ſunt materiales; hæc enim eſt differentia, quam Ariſt. ſupra poſuit inter ſenſum, & intellectum, in reliquis enim conueniunt; ergo anima intellectiua caret impedimento quod prohibet animam manere poſt mortem, & propter quod cæteræ animæ & formæ non poſſunt manere poſt mortem; ergo intellectiua ſolùm ſimpliciter poteſt manere poſt mortem, & eſt immortalis. Stante ergo illa propoſitione Ariſt. quod nulla eſt ratio propter quam impediatur aliquam formam manere poſt mortem quam Ariſt. profert ſimpliciter, & abſolutè, & ſtante hac propoſitione, quod impedimētum impediens aliquam manere poſt mortem eſt materialitas; & ſtante hac altera, quod iſto impedimento, quod eſt materialitas intellectiua caret, & aliæ

animæ

animæ eo præditæ ſunt, ſequitur euidenter ipſam poſſe manere poſt mortem, & eſſe immortalem.

274 Pomponatius hic ſudat Apologiæ lib. 1. cap. 7. ſed omiſſis multis, eius ſpeculatio eſt quod Ariſt. ſibi in hoc loco, & in 2. de generatione animalium contradicit. Nam in hoc 12. videtur dicere quod anima rationalis incipiat cum corpore. In ſecundo de generatione verò dicit, quod de foris venit, & quod anima habet eſſe ante corpus, quæ ſunt pugnantia. Vnde reſpondet ſoluendam eſſe hanc contradictionem, & explicandum eſſe Ariſt. per hanc diſtinctionem. Intellectus poteſt conſiderari vel in ſe, vel vt eſt in corpore, & in materia; primo modo poteſt præcedere, & ſequi; ſecundo modo non poteſt præcedere nec ſequi, ſeu permanere poſt mortem, quare cum intellectus ſit forma corporis non poteſt præcedere, nec permanere poſt mortem. *Reſpōſio Pō ponatij.*

275 Hæc ſpeculatio eſt omninò voluntaria, nec facit ad rem; primo quod intellectus incipiat cum corpore, ſicut aliæ formæ ſubſtantiales cum ſuo compoſito non repugnat ſecundo de generatione animalium; quia ibi non dicitur quod intellectus habeat eſſe ſubſiſtentiæ ante corpus per aliquod tempus, ſed quod eius productio quando producitur eſt extrinſecus ab agente Deo, ideò non repugnat quod producatur à Deo ſimul cum corpore; Vnde Ariſt. ibi alludit ad opinionē Platonis, & aliorum ponentium productionem intellectuum, & animarum rationalium á Deo; ſemper enim ambiguus inter iſtas opiniones progreſſus eſt. Vnde habemus Ariſtot. innuere creationem, & immortalitatem, licèt ſub quadam ambiguitate. Solutio autem contradictionis, & explicatio Ariſt. facta à Pomponatio non eſt ad rem; quia apertè Ariſt. 12. Met. loquitur de intellectu vt eſt in corpore, & in materia; dicit enim inter formas formantes compoſita naturalia, & ipſam materiā nihil prohibet aliquas permanere, & ex hoc infert, quod licèt intellectus informet materiam, & corpus, non tamen ei repugnat quin permaneat poſt mortem, quia eſt immaterialis, & multum diuerſus ab alijs animabus, ſenſitiua, & vegetatiua. *Reijcitur.*

276 Confirmatur Ariſt. poſuiſſe intellectum eſſe immaterialem, & inſuper conſequenter ex hoc deduxiſſe eſſe immortalem, licèt de ſtatu eius poſt mortem non diſſeruerit vt diximus propter difficultatem magnam rei ipſius. Nam tex. 19. 3. de Anima apertè dicit intellectum agentem eſſe ſeparatum, & immixtum, & tex. 20. ait intellectum in actu, qui eſt poſſibilis eſſe perpetuum, & immortalem. Modò intellectus agens eſt pars animæ noſtræ rationalis; ſi ergo ille eſt immaterialis &c. ſequitur animam rationalem eſſe immaterialem immixtam corpori, & hac ratione eſſe immortalem: Quod autem intellectus agens ſecundum Ariſt. non ſit Deus, neque hoc deducatur ex illis te- *Confirmatio alia efficax.* Tex. 19. tertij de anima Tex. 20.

ſtibus

Digitized by Google

ſtibus explicauimus fusè in philoſophia naturali theor.81. breuiter autem oſtenditur ex ponderatione tex.19. & 20. Verba text.ſunt iſta. *Et hic intellectus ſeparabilis eſt, & immiſtus, & impaſſibilis, ſubſtantia actio exiſtens, ſemper enim honorabilius eſt agens patiente, & principium materia. Idem autem eſt ſecundum actum ſcientia cum re ipſa, quæ vero ſecundum potentiam tempore prior in vno eſt, omninò autem neque tempore, ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit: Separatus autem eſt ſolum hoc, quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale eſt, & perpetuum; Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſciuus verò intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit.* Probauerat ſuperius tex.6. Intellectum poſſibilem eſſe immixtum, & immaterialem; in tex.19. probat eadem prædicata multo rationabilius competere intellectui agenti ſcilicet eſſe immixtum, immaterialem, & etiam ſeparabilem; probat autem per hoc medium, quia intellectus agens eſt *ſubſtantia actio* exiſtens: Vbi per *ſubſtantia actio* non vult dicere, quod intellectus agens ſit actio per eſſentiam, ita quod actio, & ſubſtantia in ipſo ſint idem, vt volunt Alexandrei; quia clarũ eſt quod actio intellectus agentis eſt accidens; actio enim eius eſt productio intellectionis. Intellectio autem in nobis eſt accidens non ſubſtantia ipſa; ſed vult dicere quod eſt ſubſtantia actualiter agens, & operans; & conſequenter eſt nobilior patiente. Probat ergo Ariſt. intellectum agentem eſſe ſeiunctum, immortalem, & impatibilem; quia eſt ſubſtantia actualiter operans: Quaſi dicat. Si intellectus paſſibilis eſt ſeparatus, & immixtus, vt ſupra diximus text. 6. multo magis hæc prędicata competunt intellectui agenti; quia ille patitur ſemper; hic verò eſt ſubſtantia actu operans: honorabilius autem eſt agens patiente; ergo ſi ille eſt ſeparatus, & immixtus, multo magis intellectus agens eſt immixtus, & immaterialis. In illis vero verbis vltimis textus *19. idem autem eſt ſecundum actum ſcientia cum re ipſa;* & in tex.20. loquitur de intellectu in actu, qui eſt poſſibilis reductus ad actum; quem dicit eſſe idem cum re actu intellecta, quando ipſam actu intelligit: quia ſcientia ſecundum actum eſt idem cum re intellecta (nam intellectus intelligens actu lapidem fit lapis ipſe in eſſe intelligibili.) Quando aũt nõ eſt in actu ſed in potentia, non eſt ſcientia, & res ipſa intellecta, ſed eſt tempore prior ipſa ſcientia; quando autem eſt actu, nõ ſolum non eſt prior tempore ſcientia, ſed eſt idem: quia non ſe habet ita tunc quod aliquando intelligat, & aliquando non: quia ſemper eſt in actu intelligendi. His habitis ſubiungit illum eſſe ſeparatum à materia non abſolutè, ſed ſolum hoc quod eſt, ideſt eſt ſeparatus ſolum quò ad quidditatem, & eſſentiam, non quò ad operationem, quia corrupta phantaſia non intelligit, ipſa verò corrumpitur, licèt intellectus ſit immortalis; & propter

pter hoc etiam non reminiſcimur poſt mortem. Vbi apertè patet quod illa particula *ſolum* non refertur ad intellectum agentem, ita quod ſit ſenſus, quod ſolus intellectus agens ſit ſeparabilis; ſed illa particula ſpecificat cauſam, & rationem ſecundum quã, & propter quam intellectus agens, & intellectus in actu eſt ſeparabilis, & perpetuus: quę eſt; quia eſt ſeparatus, & immortalis ſolum ſecundum quidditatem, & eſſentiam; non autem quoad operationes. Ex quibus vides lector, quod Ariſt. ſemper habebat in animo hanc immortalitatem animæ rationalis; ſed cum ex aduerſo haberet principia repugnantia, vt ęternitatem Mundi, & tranſmigrationem Pitagoricam deſpiceret, neque de origine animæ, & ſtatu eius poſt mortem haberet quid illi ſatisfaceret, nec omninò probaret, quæ Plato docebat, ſic ſemper anceps fuit.

278 Quod autem ait Pomponatius hanc expoſitionem non poſſe ſtare: quia tunc intellectus poſt mortem otiaretur, quod Ariſt. repugnat, & rationi. Reſpondetur ſecundum Platonicos intellectum poſt mortem intelligere, & etiam ſecundum Theologos. Ariſt. autem quoad hoc fuit ambiguus, ideò ex ratione illa immaterialitatis concluſit eſſe ſeparabilem quoad eſſentiam manifeſtè; quantum autem ad intelligere non videbatur ſibi poſſe concludere eſſe ſeparabilem, quia ſine phantaſia non poteſt intelligere, illa autem in morte corrumpitur: ideo reliquit inſolutum, quomodo poſt mortem intelligat. Sed cum Ariſt. apertè dicat eum eſſe immortalem, & perpetuum ſecundum eſſentiam non debemus hoc negare eo quia neſciamus explicare quomodo poſt mortem intelligat, ſed modum hunc debemus quærere cum Theologis. Alias rationes in Philoſophia naturali loco citato adduximus, quas hic repetere non eſt neceſſarium; Adducemus tamen etiam alias infra in Diſp. An Mundus ſit æternus. Rationes etiã pro Aduerſarijs in eodem Theor. ſoluuntur facilè, ex quo magna confirmatio noſtræ ſententiæ deducitur.

Obiectio ex Pomponatio diluitur.

Macrobius lib. 2. de Somno Scipionis cap. 13. & ſequentibus adducit rationem Platonis in Phedro, & 10. de legibus, qua ipſe probabat animam rationalem eſſe immortalem ex eo principio, quod anima eſt numerus ſeipſum mouens. Atque hanc rationem ex ſectatoribus Platonis contra Ariſt. defendere nititur: ſed quia illam puto parum validam omitto. Dato enim quod vera eſſet illa propoſitio, numerus ſeu res ſeipſam mouens eſt principium vitæ & motus, & eſt immortalis; & quod anima ſit numerus ſeipſum mouens, & conſequenter immortalis, ſequeretur omnes animas omnium animalium eſſe immortales, quod tamen eſt falſum. Conſequentia autem eſt euidens quia eo modo quo anima rationalis eſt principium ſui motus, & ſeipſam

Macrobius.

Ratio Platonis pro animę immortalitatẽ eſt parum efficax.

Digitized by Google

ſam mouet, ita animæ brutorum ſeipſas mouent, & ſunt principium motus ſui. Quare licèt rationes Ariſt. quibus in 8. Phiſ. nititur probare quod nihil ſeipſum moueat, ſed omne quod mouetur ab alio moueatur, non eſſent efficaces, vt Platonici, & Macrobius ibi oſtendere nituntur, non tamen propter hoc ſequitur eos habere intentum ſcilicet rationem illam probare animam rationalem eſſe immortalem, non eſt ergo recedendum à prędictis rationibus philoſophicis ſuperius deductis, & ſumptis ab immaterialitate animæ rationalis, à Religione, & alijs, de quibus in illo Theoremate.

Animam rationalem eſſe immortalem experiētia probatur.

Defunctorum animæ ſæpius apparuerunt.

279 Verùm quia experientia eſt rerum magiſtra, & principia ſcientiarum ex experientia habent ſuam vim, & efficaciam ex Ariſtot. 2. Poſter. cap. vltimo, & alibi, operepretium eſſe duxi hìc experimenta quædam adducere, ex quibus certitudo non leuis immortalitatis animæ deducitur. Experientia autem eſt iſta, quod defunctorum animæ ſæpè ſæpius apparuerunt viſibiliter, & ſenſibiliter multis, & illis aliquid notificauerunt, vel in ipſorum animarum, vel illorum quibus apparuerunt vtilitatem, vel damnum pro vt rerum occaſio ſeſe obtulit. Et quidem quod animæ defunctorum poſſint, ac ſoleant diuina virtute aliquibus apparere, eſt certiſſimum ſecundũ Theologos. Ex ſacris enim litteris, & doctrina Sanctorum Patrum eſt euidens, & ſcholaſtici communiter id tradunt in 4. d. 45. vbi idem dicunt eſſe aſſerendum de Angelis, & animabus rationalibus ſeparatis, & autentichiſſimè apparitiones Sanctorum, & B. M. V. oſtendunt. De quibus diffusè inter alios Martinus del Rio lib. 2. Diſquiſitionum Magicarum q. 26. aliqua ego adducam ex humana auctoritate certa dimiſſa auctoritate diuina, quæ quamuis ſit certior, tamen ea nunc non innitimur, quia Aduerſarij minus credunt Deo, & Diuinæ reuelationi, quàm humanæ auctoritati. Omitto autem communem opinionem Gentilium, quia vnanimes exceptis Epicureis id confeſſi ſunt. Vnde eſt illud Virgilij de filio Architæ.

4. Sent. d. 45

Infęlix ſimulacrum, atque ipſius vmbra Creuſæ
Viſa illi ante oculos, & nota maior imago.

Omitto communem opinionem Mahumetanorum, & aliorum infidelium, qui apparitionem animarum pro veriſſima tenent; atque id teſtimonio hiſtoricorum Ethnicorum illuſtrium, quibus nolle credere eſt error inſaniſſimus. Sic enim vt ſupradicebamus poſſemus omnes res, quas oculis noſtris non videmus negare, & non credere; quo errore nihil eſt pernicioſius Reipublicæ, nec ſtultius.

Exemplum ex Bernardo Arluno.

280 Sint primo loco teſtimonia recentiora ab anno 1500. ſcriptis mandata à Scriptoribus notiſſimis, atque exordium ſit à Bernardo Arluno, teſte oculato Sect. 1. Hiſtoriæ Mediolanenſis. *Cum duo* (inquit)

Apparitio Galeatii Sfortiæ.

quit) *Locupletes Mercatores non ignobiles per Taurinos ſaltus in Galliã proficiſcerentur ampliorem humana ſpecie virum obuiam habuere, & ab illo mandatum in hac verba ſuſcepere. Ludouicum Sfortiam fratrem meum alloquimini haſque litteras nomine meo date. Obſtupeſcentibus illis & percunctantibus quiſnam eſſet; ſe ſe Galeatium Sfortiam eſſe reſpondit, & mox ab eorum oculis euanuit. Illi Mediolanum properè reddierunt. Inde Vigleuanum vbi Maur. degebat Ducis litteras offerunt, quarum argumentum erat. O' ò ò Ludouice caue tibi; quoniam Veneti, Gallique in pernitiem tuam coituri ſunt; tuamque à ſtirpe rem euerſuri; Verum ſi mihi tria millia aureorum dederis, dabo operam, vt conciliatis ſpiritibus ſiniſtra fata auertantur, idque conſecuturũ ſpero, ſi mihi non aduerſatus annueris. Vale. Subſcriptio erat. Galeatij fratris tui ſpiritus. Illud ipſum, licèt alij, vt commentum irriderent, non tamen multo poſt Princeps à Ludouico XII. Gallorum Rege principatu deiectus, & captiuus abductus eſt.* Hactenus oculatus teſtis Arlunus, vbi ſupra.

Sabellicus.

Apparitio Ludouici Alidoſii Patris Imolæ Domini.

281 Sabellicus lib. 1. exemplorũ cap. 4. hoc aliud exemplum enarrat. *Ludouici Alidoſij Pater Imolæ Dominus, haud diù inquit poſtquam deceſſerat, homini à ſecretis, quem filius Ludouicus Ferrariam mittebat, in itinere venanti ſimilis, equo inſedens cum accipitre apparuit, huicque vt filium in hunc ipſum locum poſtera die venire iuberet, præcepit; quoniam magni momenti res prædicturus erat ei. Ea re audita Ludouicus; tum quia non credebat, tum quod inſidias verebatur, alium pro ſe miſit. Et illa ipſa vmbra, quæ ante apparuerat obuiam facta vehementer indoluit, quod filius non veniſſet; longè enim plura ei dicturam ſe fuiſſe affirmabat: Sed tunc illud tantum referri iuſſit, quod tranſacto 22. anno, ac prætereà vno menſe, dieq; ſpecificè addito vrbis imperium quod obtinebat eſſet amiſſurus. Vt tempus quod vmbra prædixit aduenit, adhibita magna cura, ea ipſa nocte, quam Patris Manes ſuſpectam fecerant Ducis Philippi Mediolanenſis confederati milites ad muros penetrarunt, adhibitiſque ſcalis, glacie magna conſtrictis foſſis vrbem cum ipſo Principe cæperunt.* Hæc Sabellicus vbi ſupra.

Franciſcus Guicciardinus.

282 Franciſcus Guicciardinus hiſt. lib. 1. narrat fama vulgatum, ſpiritum Ferdinãdi Regis Neapolitani Iacobo Chirurgo filij Alphonſi Regis ter diuerſis noctibus apparuiſſe, & prima vice manſuetis, ac mitibus verbis, poſteris verò mirabundè, & increpãter imperaſſe, ſuis Alphonſo verbis denuntiaret non eſſe cur vana ſpe ſeipſum iactaret vires Francorum ſuſtinendi. Statutum enim, ac fatali lege definitum ſtirpem Aragoniam infinitis caſibus iactari, & tandem regno priuari. Hæc Guicciardinus. Et quia ibidem Guicciardinus ſubiungit hæc verba. *Se però è lecito tali coſe non del tutto diſprezzare.* Obſeruandum eſt hæc non de fide apparitionis, ſed de fide prædictionis, quàm meritò non ſemper falſam cernimus.

Sed

283 Sed liceat hic inſerere duas apparitiones duorũ Philoſophorum noſtris ferè temporibus illuſtrium. Quas ob tantorum virorum venerationem memoriæ mandare operepretium eſt. Altera eſt apparitio Marſilij Ficini poſt mortem ad Michaelem Mercatum ſeniorem Philoſophum ob commune ſtudium Platonicum Marſilio amantiſſima conſuetudine coniunctiſſimum. Altera eſt Ioan. Pici Comitis Mirandulæ. De prima Cæſar Baronius, vir eruditiſſimus, & hiſtoricus fideliſſimus (licèt enim Annalia Eccleſiaſtica ſcripſerit, nihilominus etiam Gentilium, & rerum humanarum geſta non niſi ſincerè pro ut potuit enarrauit) Tomo 5. anno 412. num. 77. ad verbum ſic habet. *Ego verò à quo accepi auctorem proferam, nempè integerrimæ fidei virum Michaelem Mercatum Miniatenſem S. R. E. Prothonotarium, probitate morũ, atque doctrina ſpectatum; ipſe enim narrauit mihi de auo ſuo, eodem quo ipſe nomine nuncupato, Michaele Mercato ſeniore, cui cum Marſilio Ficino nobiliſſimi ingenij viro ſummo interc̃edebat amicitiæ conſuetudo parta, & aucta, facultatibus philoſophicis, in quibus Platonem ambo affectabantur auctorem. Accidit autem aliquando, vt ex more quidnam poſt obitum ſuperſit homini ex Platonis ſententia; ſed non ſine tamen trepidatione deducerent, quæ labantia fidei Chriſtianæ ſacramentis fulcienda eſſent. eo enim argumenta extat eiuſdem Marſilij ad ipſum Michaelem Mercatum erudita quidem Epiſtola de Animi, & Dei immortalitate. Cum verò inter diſſerendum eorum longius progreſſa fuiſſet diſputatio, eam ad calcem perductam clauſerunt corrolario, vt iuncta ſimul dextera pacti fuerint vter eorum ex hac vita prior decederet (ſi liceret) alterum de alterius vitæ ſtatu redderet certiorem. Quibus inter ſe conuentis ambo iurati ab ſinuicem diſceſcere. Inter lapſo autem haud breuis temporis ſpatio, euenit, vt cum ſummo mane idem Michael ſenior in Philoſophicis ſpeculationibus vigilaret ex inopinato ſtrepitum velociter currentis equi eiuſdem ad hoſtium domus curſum ſiſtentis audiret, vocemque ſimul Marſilij clamantis, ò Michael, ò Michael vera, vera ſunt illa. Ad vocem Michaelis amici admiratus aſſurgens feneſtramque aperiens quem audierat vidit poſt terga. Ad curſum iterum acto equo candido, candidatumque proſequutus eſt cum voce Marſilium, Marſilium inuocans, Proſecutus, & oculis, ſed ab eis euanuit. Sic ipſe noui caſus ſtupore affectus. Quid de Marſilio Ficino eſſet ſolicitus perquirendum curauit (degebat ille Florentiæ vbi diem extremum clauſit) inuenitque illum eundem illa ipſa hora defunctus qua eo modo auditus, & viſus eſt ſibi.* Hæc Baronius de hoc præſtantiſſimo Philoſopho, ex relatione viri honeſtiſſimi, cui fidem non adhibere eſt inſignis proteruia.

Apparitio Marſilij Ficini.

Baronius.

Apparitio Ioannis Pici Comitis Mirandulæ.

284 De Ioan. Pico Comite Mirandulæ. Ioan. Franciſcus Picus in eius vita propè finem hæc ſcribit à me breuibus collecta. Non longo poſt obitum Ioannis Pici tempore ſpectrum Ioan. apparuit Hierony-

mo

mo Sauonarolæ,eique dixit torqueri ſe pœnis expiatorijs,eo quod non ſatis diligenter, & ſecundum talentum ſibi à Deo creditum eruditionis,& ingenij multiplicaſſet, & quia non quanti par erat feciſſet internas Dei ſuggeſtiones, inſpirationesque, quæ adhortabantur honeſtos labores quos inchoauerat non abrumpere, & quæ ſibi in animo propoſuerat ea inſtanter operari, atque perficere non attendiſſet; quæ Hieronymus mox in concione propoſuit,& omnium precibus Ioann. Picum commendauit.

Cæterum ne calumnientur Aduerſarij duo exempla adducta oſtẽdamus ex auctoritatibus antiquiſſimis Gentilium, quibus magis credunt non inſuetum eſſe animas hominum poſt obitum apparere ſolere hominibus in hac vita degentibus, vel aliquid boni afferendo, vel aliquando terrendo, & affligendo.

Suetonius auctor notiſſimus in Nerone cap. 34. De Nerone, qui matrem occiderat habet hæc verba. *Sepè confeſſus agitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac tędis ardentibus; quin & facto per Magos ſacro euocare Manes, & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ: Eleuſinijs ſacris; quorum initiatione impij, & ſcelerati voce præconis ſubmouerentur, intereſſe non auſus eſt.* *Apparitio Matris Neronis ipſi Neroni ex Suetonio.*

285 Non poterat Suetonius clarioribus verbis propoſitum noſtrũ explicare: apertè enim dicit Neronem materna ſpecie agitatum fuiſſe. Non eſt ergo, vt hoc in Dæmones, vel imaginationem aliquam refundamus, ſic enim hiſtoricorum ſenſa facilè eſſet detorquere. Adamus his aliud exemplum ex Valerio Maximo lib. 1. de ſomnijs, qui de Simonide Poeta habet hæc verba. *Longe indulgentius Dij in Poetam Simonide: cuius ſalutarem inter quietem admonitionem conſilij firmitate roborauerunt. Is enim cum ad litus nauem appuliſſet: inhumatumque corpus iacens ſepulturæ mandaſſet admonitus ab eo ne proximo die nauigaret in terra remanſit. Qui inde ſoluerant fluctibus, & procellis in conſpectu eius obruti ſunt. Ipſe lætatus eſt, quod vitam ſuam ſomnio, quàm naui credere maluiſſet. Memor autem beneficij elegantiſſimo carmine æternitati conſecrauit, melius illi, & diuturnius in animis hominum ſepulchrum conſtituens, quam deſertis, & ignotis arenis ſtruxerat.* Suetonius. *De Simonide Poeta.*

286 Non diſſimile eſt, quod ipſemet Valerius eodem lib. cap. vlt. de eodem Simonide narrat quamuis id an ab animabus mortuorum, vel ab aliquibus alijs ſubſtantijs immaterialibus factum ſit non appareat, eſt autem huiuſmodi verbis ipſius Valerij exoratum. *Neque Diis immortalibus acceptus Simonides, cuius ſalus ab imminenti exitio defenſa, ruinæ quoque ſubtracta eſt. Cœnanti enim apud Scopam in Cranone (quod eſt in Theſſalia opidum) nunciatum eſt duos iuuenes ad ianuam veniſſe, magnopere rogantes, vt ad eos continuo prodiret, ad quos egreſſus ne-* *Aliud de Simonide.*

Digitized by Google

minem reperit ibi. Cæterum eo momento temporis triclinium in quo ſcopas epulabatur collapſum, & ipſum, & omnes conniuas oppreſſit. Quid hac fœlicitate locupletius quàm nec mare, nec terra extinguere valuit.

287 Aliud volo producere exemplum, quod licèt ex Scriptoribus Eccleſiaſticis ſit deſumptum, quibus Aduerſarij non credunt; tamen quia à Gentilibus hiſtoricis quoque, & ab ipſa experientia fidem accepit, non habent Aduerſarij, quid opponant. In Actis Sancti Syluestri Papæ cum Conſtantino Imperatore qui primo ex Imperatoribus fidem Chriſtianam accepit, & eam in Mundum vniuerſum prorogari ſtuduit, & ab ipſo Sancto Sylueſtro baptizatus fuit. Habetur hæc hiſtoria ab Adriano I. Papa in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorē, & Irenem eius Matrem in 2. Synodo Nicena exiſtentes pro negotio graui de ſacris imaginibus agendo his verbis relata. *Ex eo enim quo Chriſti Dei noſtri Eccleſia tempore quietis, & pacis apertæ ſunt fores, hactenusque depictæ Eccleſiæ imaginibus ſunt ornatæ Beato, atque Santiſſimo Papa Syluestro teſtante; in ipſius enim exordiis Chriſtianorum cum ad fidem conuerteretur piiſſimus Imperator Conſtantinus ſic legitur. Transacta die nocturno Regi facto ſilentio ſomnii tempus aduenit; & ecce adſunt Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, dicentes. Quoniam flagitiis tuis poſuiſti terminum, & effuſionem innocentum ſanguinis horruiſti;* (noluit enim Conſtantinus balneo ſanguinis humani a lepra curari, vt moris erat, & ſuaſus fuerat, tantam immanitatem omninò aſpernens) *miſſi ſumus à Chriſto Ieſu Domino dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Audi ergo noſtra monita, & fac omnia quæ indicabimus tibi. Principio Sylueſtriū Epiſcopum, qui perſecutionis tuæ gratia Roma exulat in Soractem monte eiùm in ſpeluncis cum clero latitat* (Nam Conſtantinus, licèt prius fauiſſet Chriſtianis; tamen ſuaſione vxoris Fauſtæ iterum ad idolorum cultum redierat, & Chriſtianos perſequi cœperat) *cura ad te vocari. Is tibi lauacrum pietatis, in quo lauaberis; præparabit, dabiturque tibi non modò lepræ, verùm omnium morborum ſanitas. Cumque præclaris iſtis bonis fueris recreatus, confeſtim iubeto per omnia loca Romanorum Eccleſias reſtaurari, te vero purum abiecto Idolorum cultu declarabis, cultumque debitum ſoli Deo vero adorando exhibeas, iuxta illius voluntatem omnia tua conſilia diſponens. Imperator itaque è ſomno excitatus omnes ſuos aulicos, quicunque in Palatio erant, conuocauit, quodq; per inſomnium illi oſtenſum fuerat expoſuit; nec mora aliqua, ſed confeſtim miniſtros ſuos ad montem Soractem, in quo Beatus Pater Sylueſter cum ſuo Clero vacans lectionibus ſacrorum librorum latitabat, miſit. Iam cum vndique videret milites circumcingentes montem inquirendi cauſa exiſtimans quod ad Martyrium raperetur Clerum ita affatus eſt. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Egreſſo autem de ſpelunca narrarunt milites qua de cau-*

De apparitione SS. Petri, & Pauli facta Conſtantino.

ſa

ſa quæreretur. Cum quibus ad Imperatorem tranſciens ſecum Comites tres presbyteros cum duobus Diaconis profectus, cum Imperatorem vidiſſet. Pax tibi, inquit, ò Imperator ſurſum de Cælo, & victoria. Imperator itaque hilari oculo, & tranquillo animo illius verba exaudiens, quæcunque ſibi per inſomnia fuerunt reuelata Beato Syluestro expoſuit. Poſtquam autem finem narrationis feciſſet, quæſiuit Imperator qualeſnam arbitraretur eſſe Deos Petrum & Paulum quos viderat? Reſpondit Pater, nequaquam eſſe Deos, ſed Seruos, & Diſcipulos Domini noſtri Ieſu Chriſti quos in hoc elegiſſet, vt omnes gentes conuerterent, & crederent in eum. Hæc cum audiſſet Imperator percunctatus eſt. Num alicubi eſſent hiſtoriæ illorum. Mox Beatus Syluester per Diaconos adſerri, quas habebat Apoſtolorum Imagines iuſſit; quas cum Imperator adſpexiſſet clara voce proclamauit. Hi ſunt quos per viſum conſpexeram; neque amplius incredulus ſum, paretur lauacrum in meam ſalutem. Conſtructo autem lauacro. Cum ſacro rore linitus eſſet, confeſtim eſt ſanitati priſtinæ reſtitutus. Deinde non immemor beneficii accepti Eccleſias Dei ædificare cœpit, &c. Habemus ergo apparitionem claram animarum SS. Petri, & Pauli factam fuiſſe Conſtantino Imperatori. Hanc vero apparitionem eſſe veram, & non fictam ex effectibus ſequutis manifeſtatur; ſenſu enim patet quot Eccleſias Conſtantinus Romæ erexerit, & alibi, & quàm latè fidem Catholicam propagauerit, atque hæc tempore Syluestri Papæ, neque hoc eſt fide diuina ſolum, ſed humana creditum, ſicut quod Cõſtantinus fuerit, & cæteri Imperatores fuerint.

288 Et quamuis inter Scriptores Eccleſiaſticos aliqui fuerint qui Conſtantinum non Romæ, ſed in flumine Iordano baptizatum eſſe ſenſerint, id non ex veritate ſed ex factione quadam hæretica Arianorum ſcripſiſſe conſtat; Quod Catholici Scriptores optimè Nicephorus, Cæſar Baronius, & alij explicarunt, ſed ex his argumentis ex Gentilibus Scriptoribus etiã confirmatur. Primò non eſt incredibile Conſtãtinum Imperatorẽ lepra laboraſſe, & paraſſe balneum ex ſanguine paruulorum ad medicinam ſui ipſius ob hunc morbum quod ab Ægyptijs appellabatur morbus Elephantiacus. Nam Plinius lib. 26. cap. 1. de huiuſmodi morbi curatione habet hæc verba. *Ægypti peculiare hoc malum; & cum in Reges incidiſſet populis funebre quippè in balneis ſolia temperabantur humano ſanguine ad medicinam eam.* Cum ergo eſſet in vſu apud Reges Ægypti curare lepram ſanguine humano, non eſt incredibile Conſtantinum paraſſe huiuſmodi balneum ad mundandum ſe à lepra.

Cõſtantinum reuera baptizatum fuiſſe Romæ.

Plinius de medicina lepræ.

289 Accedit teſtimonium eorundem Gentilium aſſerentium Cõſtantinum Magnum Imperatorem Romæ inductum fuiſſe ad ſuſcipiendum baptiſmum à quodam Epiſcopo, quem ipſi Magum Ægy-

Teſtimonio Ethnicorum auctorum dicta cõfirmãtur.

ptium vocant. Fuit autem Oſius Cordubenſis Epiſcopus (Gentiles enim Sacrificos Chriſtianorum appellabant Magos) ex quo ſequitur maximè probabile eſſe Conſtantinum Romæ, non extra Romam, & quàm longiſſimè in Iordano baptizatũ fuiſſe in fine vitæ ſuæ, vt quidam voluerunt. Et licèt ex dictis Gentilium non habeatur cauſa præcisè propter quam Conſtantinus baptizari voluit, fuiſſe apparitionem Apoſtolorum, ſed dicunt cauſam fuiſſe, vt expiaret ſcelera perpetrata in cœde Criſpi filij, & Fauſtæ vxoris ſuæ, & aliorum multorum Romæ; tamen hoc non infirmat propoſitum noſtrum: quia omnia rectè conſonant vt videbimus; ſed Gentiles cum non bene verſati eſſent in rebus Chriſtianorum, eas obſcurè, conciſè, dubiè, & non vſquequaque fideliter retulerũt, vt eſt videre in Suetonio, Tacito, Luciano, & alijs, quoties de rebus Chriſtianorum loquuntur. Zozimus ergo Scriptor Gentilis lib. 2. aſſerit Conſtantinum Magnum de illata morte filio ſuo Criſpo, & vxori ſuæ Fauſtæ pœnituiſſe, & quæſiuiſſe à Sacerdotibus Gentilibus expiationem; Cum autem illi reſpondiſſent tam immanium ſcelerum nullum eſſe in lege Gentilium expiandi modum, (vt diximus ſupra de Nerone, & Suetonio) Epiſcopum Chriſtianum qui erat familiaris ipſius Conſtantini (etenim antequam baptizaretur Conſtantinus multum erat addictus Religioni Chriſtianæ, vt dicemus infra, & patet ex legibus latis in fauorem Chriſtianorum) ei ſuaſiſſe apud Chriſtianos eſſe medium ad quodlibet ſcelus quantumcunque graue expiandum, atque Conſtantino hoc placuiſſe, & ad ritum Chriſtianorum acceſſiſſe. Ex hoc ergo teſtimonio confirmatur Conſtantinum ſuſcepiſſe baptiſmum Romæ, licèt non ſtatim ſuſceperit, ſed diſtulerit quouſque lepra percuſſus viſa apparitione Apoſtolorum ſuadente liberationem ipſius à lepra. Audiamus nunc verba Zozimi Scriptoris Gentilis lib. 2. quæ ſunt. *Horum ipſe ſibi conſcius* (ſcilicet mortis Criſpi filij, & vxoris, & aliorum) *& propterea contemptæ Sacramentorum Religionis ad Flamines accèdens admiſſorum luſtrationes poſcebat, illis reſpondentibus non eſſe traditum luſtrationis modum, qui tam fœda piacula poſſent elluere. Quidam Hiſpanus genere, cui nomen eſſet Ægyptius Romam delatus Palatiniſque mulierculis familiaris factus, & ad Conſtantini colloquium admiſſus ſententiam doctrinæ Chriſtianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum confirmauit, & idipſum adeò polliceri, nimirum acceptantes eam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem cum non grauatè Conſtantinus accepiſſet ac patrita miſſa faceret perceptis iis, quę hic Ægyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, vt dilunationem ſuſpectam haberet. Nam quod ei multæ res proſperæ per hanc prædictæ fuiſſent euentumque reipſa ſortitæ, verebatur, ne itidem aliis aduerſus ipſum hanc conſulentibus, id quod futurũ*

Conſtantinũ pœnituit de morte Criſpi filij, & vxoris ſuæ.

Digitized by Google

eſſet prædiceretur; atque hoc conſilio impulſus ad huiuſmodi abolenda ſe conuertit. Hæc Zozimus ex quibus apparet, quod Conſtantinus Magnus Imperator ad conſilium Oſij Epiſcopi Cordubenſis (quem Zozimus appellat Magũ Ægiptium, quia de Ægipto, vbi fuerat ob quædam negotia Chriſtianæ Religionis peragenda (fuit enim vir doctiſſimus, & ſapientiſſimus, & Religionis Catholicæ accerrimus propugnator) proximè venerat Romam) cœpit ſuperſtitiones Gentilium, vt diuinationem Augurum deteſtari, & fidem Chriſtianam propagare; atque de valore Baptiſmi Chriſtianorum fuit inſtructus; nihilominus differebat. Cum verò Lepra percuſſus, ab Apoſtolis intellexit etiam à lepra Baptiſma liberandum eſſe, eum actu ſuſcepit. Eſt ergo certiſſimum Conſtantinum Magnum per viſionem, & apparitionem Apoſtolorum Petri, & Pauli inductũ fuiſſe ad ſuſcipiendum Baptiſmum. Quare veriſſimum eſt animas mortuorum viuis apparere quandoque, modum autem infra dicemus.

290 Ad extremum hic volo prætermittere apparitionem quandam propriæ vxoris poſt mortem Illuſtriſſimo viro Marito ſuo factam, quam ipſe mihi narrauit curioſiſſimè intelligere cupiens, An verum ſit quod animæ poſt mortem apparere poſſent; Rumor enim erat eum de animæ immortalitate valde dubitare, licèt ego in eo quidem dubitationem agnouerim, ſed non cum conſenſu. Apparitio autem hæc fuit. Quadam die cum ipſe ſolus in ſolito loco domus ſuæ prandiſſet, & ſerui omnes ab aula diſceſſiſſent, ſoluſque maneret vt moris eſt poſt prandium propriç ſedi hærens, vidit vxorem ſuam iam defunctam ex altera edula venire ad ipſum vt ſolebat quando viuebat; atque prope ipſum ad eandem menſam aſſediſſe eo modo prorſus quo ſolebat cum viueret, atque eodem habitu, vultu, & geſtu, atque ſic aſſidentem dentes ſibi ſcalpere, ac ſi ipſa quoque prandiſſet de recenti. Vterque mirabundus paulum ſtabat, nullus quidquam loquutus eſſe poſt aliquod temporis ſpatium ipſa eodem modo à marito diſceſſit, quo dum viueret faciebat, atque in eandem aulam, è qua exierat, ſe recepit, neque amplius viſa eſt. Hanc apparitionem mihi vir hic Illuſtriſſimus, & grauiſſimus narrauit, qui non hebes, non mente captus, nec atra bili affectus, vel aliquo alio morbo, ſed doctiſſimus, & in rebus agendis ſapientiſſimus, apud Principes omnes ſupremos legationibus plurimis functus fuerat. Nec ioco, ſed ſerio, & cum ſui ipſius magna animi anxietate quomodo hoc fieri poſſet narrauit; & cum eum interrogaſſem, an fortaſſe poſt prandium dormiret, vel vehementi aliqua cogitatione de vxore ſua agitatus prius eſſet, enixè obteſtabatur certiſſime tunc ſe vigilare, nec tũc, nec ante de vxore quidquam mente euoluiſſe, & cum ei dixiſſem Ariſt. & Peripateticos hæc

Apparitio vxoris propriæ cuidam Illuſtriſſimo viro authoris familiariſſimo.

K 3 ſpetra

ſpetra eludere, & omnia referre ad humorem melancholicum. Reſpondit. Mirum quod pro illo ſpatio temporis atra bilis mihi moleſta fuerit, non autem in reliqua parte diei, menſis, & anni; Tandem ſuaſi pro certò tenere potuiſſe illam fuiſſe animam vxoris ſuæ quæ permittente Deo ſic apparuit ad aliquem bonum effectum in ipſo cauſandum: hoc enim non eſſe impoſſibile, tum rationibus, quas infra adducam, tum teſtimonio ſacrarum litterarum dicente Chriſto Domino Matt. 22. quod homines poſt hanc vitam erunt ſicut Angeli Dei, qui non nubunt, neque nubentur; & ideò ſicut Angeli apparere ſolent permiſſione Diuina, ſic animas ipſas; ideò ipſe pro ea preces offerret Deo, quæ fortaſſe his indigebat, vel ipſe ad cogitationē mortis ſe præpararet; & paulò poſt hic Illuſtriſſimus è vita diſceſſit.

Cur poſſibile eſt animas poſt mortem apparere.

291 Verùm quia ſunt nonnulli Philoſophi, qui licèt aſſerant animam rationalem eſſe immortalem, tamen quia nimis ſenſibus addicti ſunt, non poſſunt percipere, quomodo anima ſeparata à corpore poſſit ad viuos redire, atque viſibilem ſe illorum oculis præbere; ideò breuiter res eſt explicanda, vt auferatur etiā hoc modo anſa nonnullis hāc veritatem negandi. Obſeruandum eſt ergo verum eſſe quidem ſæpè huiuſmodi apparitiones fieri per Angelos, vel per Dæmones, at aliquando etiam fieri per animas non eſt negandum. Obſeruandum eſt etiam huiuſmodi apparitiones animarum per ſeipſas non eſſe impoſſibiles. Ratio autem eſt, quia cum anima rationalis immortalis ſeparata à corpore ſit per ſe ſubſiſtens ſicut Angelus, eſt enim ſpiritus intellectualis à materia ſeiunctus; Ideo ſicut Angelis, & Dæmonibus non repugnat ſeſe in apparitionibus oſtendere hominibus, ſic neque animabus ipſis. Quod confirmatur, quia ſi animæ rationali repugnarent iſtæ apparitiones, hoc eueniret, vel quia anima in nullo loco propriè ſit, vt aliqui voluerunt; ſed hoc eſt falſum, quia licèt anima non ſit in loco circumſcriptiuè ſicut corpora, eſt tamen in loco diffinitiuè, vt nos in 2. ſent. cum Scoto, & multis alijs docuimus diffusè: eſt enim anima eodem modo in loco quo Angelus vide ibi: & Scotus de anima rationali in particulari probat in 4.d.49.q.14.B. quod etiam ſacræ litteræ docent, dum aſſerunt animas beatorum eſſe in Cœlo non in terra, & animas damnatorum eſſe in Inferno non in terra, neque in Cœlo. Vel repugnaret eo quia non poſſit ſe ex vno in alium locum transferre: Sed neque hoc obſtat, quia vt Theologi ſcholaſtici docent præſertim Scotus in 4.d.49.q.14.B. cum anima habeat vim mouendi corpus, cū illud informat motu progreſſiuo, atque ipſa ſit principium illius motus, non eſt negandum eandem vim ad ſe mouendam habere cum eſt ſeparata à corpore: neque enim tunc eſt imperfectior, quam ſit in corpore cum eadem ſubſtantia eſſentialiter remaneat, & ſit per ſe exi-

Modus quo anima poteſt apparere viſibilis.

Animę non repugnat ſe mouere poſt mortem.

Digitized by Google

ſe exiſtens. Præterea ſi illi repugnaret mouere ſe, & mouere aliud corpus hoc illi repugnaret vel propter perfectionem, vel propter imperfectionem. Non primùm, quia perfectio animæ rationalis eſt intellectualitas. At intellectualitas non impedit motum localem in Angelis quo ad ſe, & quo ad mouere corpora; ergo neque in anima rationali. Neque propter imperfectionem, quia corpori competit moueri de loco ad locum. Quod ſi quis dicat. Cur ergo anima ad proprium corpus informandum non venit? Reſpondetur ipſum non poſſe informari ab anima niſi præuijs diſpoſitionibus, quæ quia in cadauere non inſunt, ſicut per mortem coacta fuit ſeparari, ſic per proprias vires non poteſt reddire, quia ſeiuncta à corpore non habet de actibus vitalibus niſi intelligere, & vim motiuam ſicut Angeli.

Cur anima ad corpus proprium informandum nõ reddeat.

292 Aliqui dicunt repugnare animæ ſeparatę apparere viſibiliter hominibus, quia cum ſit expers corporis cerni oculis corporeis, vel aliquo alio ſenſu percipi minimè poteſt. Cardanus lib. de ſubtilitate rerum dixit Dæmones, & damnatorum animas naturaliter ab homine viſu, auditu, odore dignoſci poſſe. Sed rectè illuditur à recentioribus quibuſdam aſſerentibus quod oporteret ſic cernentem naturaliter animas, & Dæmones eſſe oculatiorem linceo, vel Sileni Aſello, & ſagaciori naſo quàm Plautianus illa merobibula fuerint. Verùm non eſt mirum hominem hunc rationem iſtam attuliſſe, cum de animæ immortalitate ſe maximè dubitare oſtendat, & Dæmones, & animas corporeas, & materiales exiſtimauerit; & inſuper addiderit apparitiones omnes imaginarias eſſe. Quod licèt aliquando verum ſit, tamen de omnibus hoc negandum eſt, vt infra nunc oſtendam.

Cardani reſponſio refellitur.

Videtur Cardanus.

293 Modus ergo, quo apparent, facilè, & breuiter explicatur. Pro cuius intelligentia eſt obſeruandum quod duplex eſt apparitio. Imaginaria, & corporalis. (ommitto præſentiam intellectualem intuitiuam, qua Angeli, & animæ ſeipſas intelligunt, hæc enim pro iſto ſtatu non haberi poteſt niſi miraculosè.) Imaginaria, de qua etiam plura ſupradiximus quæ etiam ſpiritualis dicitur, eſt, quando animæ ſeparatæ formas aliquas alienas menti noſtræ ſeu imaginationi indunt, quibus in earum cognitionem inducamur. Apparitio corporalis eſt quando per formas aliquas corporales externis ſenſibus ſe repræſentant, & ab illis appræhenduntur. Ad propoſitum anima rationalis poteſt apparere hominibus dormientibus, & vigilantibus vtraque apparitione, & de Imaginaria probatur; quia poteſt anima ſeparata ſicut dicebamus de Dæmonibus ſupra efformare ſpecies, & imagines quaſdã in phantaſia hominis, quæ repræſentent corpus, cui erant coniunctæ in vita. Nam anima ſeparata licèt non ſit ita perfecta ſicut Angeli ſecundum eſſentiam, tamen poteſt acquirere cognitionem à rebus, vt docet Sco-

Modus quo anima ſeparata ſit viſibilis.

Apparitio duplex.

tus in 4.diſt.45.q.1. & habet poteſtatem mouendi nedum proprium corpus non organicè,ſed aliud corpus;poteſt ergo mouere ſpiritus,& phantaſmata exiſtentia in imaginatione, & formare imaginem totius coniuncti ſui ipſius, & corporis, & illas imagines colorare ad libitum ad ſignificandum dolorem, vel lætitiam quam habent: Quandoque etiam id faciunt cum adiutorio Angelorum prout Deus permittit, & hæc apparitio maximè fieri ſolet in ſomnis. Huiuſmodi fuit apparitio qua diximus SS. Petrum, & Paulum Conſtantino apparuiſſe. Vnde Conſtantinus illos recognouit, ex imaginibus ipſorum delatis à Syluestro. In ſacris litteris aliæ ſimiles habentur, vt in libris Machabæorũ. Apparitio Oniæ Sacerdotis facta Iudæis,& ſic de alijs. Vigilantibus etiam fieri poſſunt huiuſmodi apparitiones formando ſpecies, & eas organis ſenſuum exteriorum immittendo, ac eas immutando ſicut per ſpecies ex obiectis veris defluxas ijdem ſenſus, & organa immutantur. Atque hic facilimus modus eſt, nec diſſonus Philoſophiæ, vt ſupra in Dæmonibus oſtendimus. Apparitio corporalis fit ſolùm vigilantibus, & hæc fit cum anima aſſumit aliquod corpus, ſiue illud ſit formatum ex elementis, ſiue ſit cadauer alienum, atque in illo oculis corporeis ſe exhibet. Poſſe autem Dæmones, & Angelos aſſumere corpora aliena,vel ſibi ex elementis formare,oſtendimus in 2.ſentent. diſt.11.ideo non oportet, vt hic eadem repetamus.

Apparitio corporalis.

294 Hoc plurimis experientijs probatur, ex pluribus auctoribus, quorum non paucos adducit Martinus del Rio lib.2. Diſquiſitionum Magicarum q.26. & 27. Huius generis fuit apparitio quã refert Gulielmus Pariſienſis P. vltimo de vniuerſo; aſſerens aliquando Dæmonem aſſumpto cadauere beſtiæ deluſiſſe militem quemdam, qui cum putaret ſe formoſa potitum virgine inuenit ſe in complexu cadaueris beluini tabe ſoluti feditiſſimè iacentem. Cum ergo anima ſicuti Dæmones, & Angeli poſſit per ſe, vel virtute Dæmonum, vel Angelorũ formare, vel aſſumere corpora, & in illis exercere motum vitalem, atque in illum accidentia, figuras, & qualitates, quæ ſibi videntur inducere,& iſta corpora ſint ſenſibilia,non eſt mirum quod in huiuſmodi corporibus poſſint apparere. Verùm etſi animæ apparere poſſint, & aliquando appareant,vt diximus,vt plurimum tamen apparitiones præſertim tetræ,& homines perturbantes ſunt apparitiones factę per Dæmones in corporibus aſſumptis. Hinc cum Dæmones ſint diuerſi, diuerſis apparitionibus ſe ſe delectantur, & oſtendunt; aliquando in forma Vrſi,aliquando Hirci,aliquando Catti, aliquando nigri canis, & ſimilium, aliquando in forma humana, modo maſculi, modo fœminæ, & diuerſo modo compacta, vel ad terrendum, vel fallendum homines prout Deus permittit. Hinc Fauni,Satiri,Napeæ, Driades, Hama-

Apparitio relata à Gulielmo Pariſienſe.

Apparitiones diuerſæ Dæmonum.

Hamadrîades, Nymphæ, & ſimilia, de quibus à Poetis, & Hiſtoricis ſepè fit ſermo, quia enim in diuerſis formis apparuerunt diuerſis nominibus nominati ſunt. Sed de his agere ad Theologos ſpectat, & nos de poteſtate Dæmonum circa corpora egimus lib. 2. ſent. diſp. 43. qui vult ibi videat. Hæc ſatis eſſe ad perſuadendum animæ rationalis immortalitatem putamus.

De Satiris, Nymphis, et ſimilibus.

295 Subnectam adhuc quaſdam quæſtiones, quæ cōtra Atheiſtas, & pro animæ immortalitate, & ſtatu poſt mortem plurimum conferunt. Huiuſmodi autem erit diſputatio ſequens, in qua agetur. An ex lumine naturali abſque diuina illuſtratione poſſit haberi aliqua ſincera veritas. Apparebit enim viribus naturalibus procedendo cognitionem philoſophicam adeò exiguam, & dubiam eſſe, vt cuicunque viro docto dementiæ extremæ videri poſſit iudicare illam ſufficere homini, & non potius doctrina reuelata, ſed argumentis, & experimentis firmiſſimis confirmata egere. Accedunt etiam aliæ diſputationes, vt eſt diſputatio de Mundi æternitate, in qua ex oſtenſione creationis temporalis Mundi, atque eius compoſſibilitate noſtra ſententia maximè confirmatur. Huiuſmodi etiam eſt diſputatio, An omnia fidei noſtræ myſteria nota fuerint antiquis Philoſophis: Nam in ea multa ſunt, quæ faciunt ad hoc propoſitum.

Aliæ diſputationes facientes cōtra Atheiſtas ſoluuntur.

Tandem ſubnectam quæſtionem Scolaſticam pœnitus Philoſophicam qua oſtendam dari vnum primum ens infinitum cum Scoto, in qua rationes demonſtratiuæ contra Atheiſtas adducuntur.

Accedamus nunc ad oſtendendum quàm exiguum ſit lumen naturæ ad veritatem rerũ inueſtigandam, vt diſcamus multo rationabilius eſſe, reuelationi diuinæ inniti, quæ multo firmioribus argumentis demonſtrationibus, & experientijs ſenſibilibus innititur, quàm aſſertionibus nudibus Philoſophorũ. Sic enim fiet, vt qui nihil credere volunt niſi quod vident rationabilius credere cogantur aſſertionibus reuelatis quam Philoſophicis quibuſcunque.

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum aliqua veritas ſincera, & pura haberi poſſit ex puris naturalibus in hac vita abſque ſpeciali illuſtratione Dei, ex qua argumentum efficax contra Atheiſtas elicitur.

Quam vtilis ſit diſcuſſio præmiſſæ diſputationis ad cognoſcendum vanitatem negantium vnum verum Deum creatorem, & gubernatorem omnium Angelos, & Dæmones, & immortalitatem animæ rationalis. Caput Primum.

SVnt quidam adeò ſenſibus, & rationibus naturalibus addicti, vt nulli aſſertioni aſſentiendum exiſtiment, niſi quàm ipſi oculis proprijs, vt ita dicam videant, & palpent, vel videre, & palpare certò ſe autument; & ſi qua eis proponantur credenda, quamuis rationabilia, & firmis nixa fundamentis, ſi aliquo modo fide humana innitantur, omninò reluctent, deſpiciant, & ſtomacentur. Hoc modo exempla, Hiſtorias, experimenta, quæ in ſuperioribus adduximus ad demonſtrandum Dæmones dari, animas poſt huius corporis interitum viuere, & vel pœnis agitari, vel fœlicem vitam degere; æterni Dei prouidentiam ſupremam, in naturam humanam peculiarem amorem, ſalutis, & fœlicitatis eius curam immenſam ſpernunt, irrident, & veluti bruta animalia præſentibus concupiſcentijs tantùm inhiant, & in eis conquieſcunt. At ex diſputatione propoſita arbitror, quàm leui fulcro nitantur (ſi attentè legerint) quàm perplexa, inconſtans, contentioſa, & ſemper hęrens, & cui minimè ſit fidendum exiſtat humana ſapientia percepturos fore eos, qui eius originem conſiderare voluerint; qui quàm varium Philoſophandi genus inter gentes; quàm diſcordes Philoſophantium ſectæ, etiam à principio ad noſtra vſque tempora extiterint; quàm diſcrepent Philoſophi in ſua Philoſophia partienda; quàm ſuper veritatem Philoſophiæ naturalis, ſupernaturalis, Mathematicæ, Moralis, contraria pronunciēt; quàm variè, quamque pugnaciter de rerum cauſis, maximęque de primo omnium rerum ſupremo principio ſenſerint de conſtitutione Mundi eiuſque fine, deque eius vnitate, magnitudine, figura, materia, & forma, de ipſius Mundi partibus ſupremis Cœlo, Stellis, deque eis, quæ in ſublimi generantur, de immis etiam ſubterraneis eorumque moti-

Digitized by Google

motibus: quàm demum contraria in vniuerſum de homine, hoc eſt minori mundo, quid ſit, vnde veniat, quo vadat, & quod omnium ſumma eſt, quid de humana anima, de eius functionibus, affectionibus, proprietatibus, de ſummo bono, ac vera eius fęlicitate rixæ, & contentiones fuerint. Non defuerunt viri docti, qui hæc ad oculum demonſtrarunt, & ingentes gratias Chriſto Domino retulerunt, quod aduentu ſuo ignorantiam depulerit, & veram viam vitæ oſtenderit. At ego opus tam laborioſum aggredi mihi minimè neceſſe eſſe arbitror ad conuincendum Aduerſarios, ſed illud vnum, quod propoſita diſputatione patebit, voti mei me compotem futurum ſpero. Nimirum perpetua inter præcipuos ſapientes huius mundi Accademicos ſcilicet ex vna parte; & Stoicos, & Philoſophos alios oẽs ex alia parte controuerſia, an veritas detur, & ſi detur, vtrum haberi poſſit an minimè. Quis enim hoc axiomate inter ſapientes in controuerſiam poſito, an veritas in rebus detur, & ſi detur an haberi nec ne poſſit ſperare, quęat optatam veritatem conſequi; & ſi quando aliquid ſibi verum apparebit, illud re vera ſic ſe habere, vt ſibi apparet certo credere? At diſputatio propoſita tota in hoc verſatur. An ſine illuſtratione diuini luminis homo ex puris naturalibus, veritatem aliquam ſinceram, & puram abſque admixtione alicuius falſitatis inuenire poſſit; in qua Accademici toto marte laborabant oſtendere nullam dari veritatem in rebus, & ſi detur eam minimè percipi poſſe; proindè opinari quidem eſſe poſſibile, at aſſenſum perfectum omninò cohibendum fore. Audiamus verba Ciceronis in perſona Varonis lib. 1. Accademicarum quæſtionum ſententiam Accademicorum clarè explicantem. *Tum ego,* inquit, *cum Zenone inquam, vt accepimus, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit non pertinacia, aut ſtudio vincendi, vt mihi quidem videtur, ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant Socratem, &, veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes penè veteres: qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, & vt Democritus in profundo veritatem eſſe demerſam; opinionibus, & inſtitutis omnia teneri, nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe dixerunt. Itaque Arceſilas negabat eſſe quidquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet. Sic omnia latere cenſebant in occulto, neque eſſe quidquam quod cerni, aut intelligi poſſet: quibus de cauſis nihil oportere, neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque aſſertione approbare: cohibereque ſemper, & ab omni lapſu continere temeritatem, quæ tum eſſet inſignis, cum aut falſa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam eſſe turpius, quàm cognitioni, & perceptioni aſſertionem, approbationemque præcurrere.*

Cicero de opinione Accademicorum.

Quam-

Opinio Accademicorum, quod non detur ſcientia licèt ſi falſa, difficilè tamē impugnatur

2 Quamuis autem hæc Accademicorū opinio minimè probanda ſit, nihilominus quàm difficilibus rationibus innitatur, qui hanc noſtram diſputationem legerit intelliget. Vnde conficitur, quod etſi verum ſit aliquam veritatem ex lumine puro naturali haberi poſſe, id tamen in quam pauciſſimis contingere. Adeſt etiam illud vulgatum, & quod ſcientifici quotidie experiuntur. Ariſtotelem artem quidem conficiendi demonſtrationem ad pariendam ſcientiam docuiſſe; At ipſum quàm pauciſſimas feciſſe demonſtrationes ad ſua aſſerta comprobanda omnes norunt, qui in eius operibus verſantur; immo ſepiſſimè probabilibus contentum fuiſſe, nonnunquam communem conſenſum; Aliquando non communem ſed aliquorum plurium amplexum fuiſſe, & ex eo tanquam ex conceſſis argumentari ſolere; vt plurimū etiam ad experientiam ſenſibilem, quamuis fallacem, vt dicebat Hippocrates, recurrere.

3 Hic ſubijcere placet verba Ioan. Pici Mirandulani, quæ de Ariſtot. habet lib. 4. examinis vanitatis doctrinæ gentium, vt amatores inordinati, & plus ęquo Ariſtotelis intelligant quo in pretio Chriſtiano Philoſopho doctrina Ariſt. ſit habenda. Picus ergo poſt laudes recenſitas, quas Ariſtot. profeſſores ei attribuere ſolent, & præſertim quod veritatis amantiſſimus extiterit, propter cuius amorem Platoni contradicendo ingratitudinis vitij notatus minimè fuerit; habet hæc verba. *Ego verò etſi laudibus non mereor ornari, nec etiam eo prorſus ambitu laboro; quod tamen & culpa caret, & calumnia carere meritò debet idipſum damnari à noſtris hominibus, & cauſa precipuè indicta nullo pacto vellim. Propterea illud ego ab Ariſtotelis nimis amatoribus, & laudatoribus, qui nunc in Eccleſia noſtra viuunt libenter impetrarem, vt me, qui ab Ariſtot. multa didiciſſe, & viginti circiter annos eius volumina comperiendæ gratia veritatis verſaſſe non diffiteor, ſi eius doctrinam, quaſi libra appenſam, & diutius in examine verſatam, non id habere ponderis, quod plerique exiſtimarint aſſeruero, ſi fruſtrari fine Philoſophiæ, ſi incertam, ſi pleriſque in locis falſam monſtrauero pariter excuſent, potiusque id amori aſcribant, veritatis, & pietatis cultui. Negabunt ne mihi Chriſtiani homines, & fratres vnius religionis verè participes id petenti, quod Ariſtoteli alienigenæ, & prophanis gentium ſuperſtitionibus mancipato, gratis, nulloque intercedente conceſſerunt? Non potuit quidam Idolatra ferre Græcam vrbem inter Quirites, non potuit tolerare deliramenta Ægyptiæ terræ tam longè ſitę, feram ego Chriſtianus homo inter Chriſtianos ipſis ſub oculis, & pro palam Chriſti Euangelio, vel pręferri, vel ęquari Ariſtotelea volumina adeò exculta, ęſtimata adeò, vt non difficulter aliquem reperias ex ſuperbis litterarum cultoribus, qui Ariſtotelicum ſe quàm Chriſtianum dici non ambiat, eam enim docti, & inſignes viri, hanc rudis & plebei nomen elatu-*

elaturam autumant, adeò rudes, & verę prorſus rationis egeni ſunt; indę allucinati, quod certa omnia apud Ariſtot. firma omnia & inconcuſſa putent, ſic, vt nihil certius, nihil veritate fultum magis poſſit inueniri. Multa (nec diffiteor) apud Ariſtot. eruditio, multa elegantia ſcribendi, multa etiam fortaſſe veritas, ſed certè non parua vanitas: bilancem adhibe, & quid prę ponderet animaduerte; cribro vtere, vt à grano gluma diſcutiatur, & ad Zephyrum paleę iactentur inanes. & paulò infra. *Si laudaui aliàs, aut defendi Ariſtotilem veritate duce, non tamen aut religioſam, aut penitus certam, aut omninò veram doctrinam eius aſſerui: ſed innui ſępenumero, & quandoque etiam ſubſignaui certam non eſſe, ſed probabilem, non veram omninò, ſed aliqua ex parte falſam, non religione fultam ſed ſuperſtitione labefactatam, vtpotè hominis, & quanquam inter gentes magni, & fortè maximi, hominis tamen, & verę lucis, verę religionis ignari. Quę omnia nunc latius explicaturus ſum, vt qui plures ipſi hęrēt Ariſtoteli quā Euangelio, & qui in eius voluminibus euoluendis totum vitæ tempus melioribus officijs tribuendum tanquam fini vltimo veritatis inueniendę deuouerunt, poſſint facilius ſi voluerint reſcipiſcere; quanquam excipio in Ariſtotile quępiam veritate (vti arbitror) fulta, nec alijs etiam ignorata Philoſophis, eaque à Deo eſſe decerno, naturalis & largitore, & illuſtratore luminis: atque aliqua non ſolum vera, ſed longè pręclariſſima non ambigo, fortè tamen non eius inuenta dicerem, ſed à Platone, & Pythagoreis, qui Moſaica in Ægypto didicere deriuata.* Et dimiſſo Ariſt. audiui ego Medicos ſapientiſſimos, & Medicinæ publicos profeſſores apertiſſimè aſſerentes, ſe minimè ſcientiæ Medicinæ credere; & tamen nulla eſt facultas, quæ ex magis ſenſatis, & certis procedere videatur. *Medicina quàm incerta.*

4 Fortè dicet aliquis Mathematicæ diſciplinæ ſunt omninò certiſſimæ veritatis. Ad id non patitur Picus Mirandulanus lib. 1. examinis vanitatis doctrinæ gentium cap. 7. quot extent de illis contentiones, & in certa nō obſcurè patefacit, & in alijs libris ſuis ibi citatis. *Scientię Mathematicæ q̄ incertę.*

5 Cum ergo cognitio humana tam perplexa, & incerta ſit de his rebus, quas ſenſibus ipſis, & ratione naturali comite contrectamus, Cur quæſo ita noſtris opinionibus inhęrere contendemus, vt nihil verum, nihil certum credere velimus, niſi quod nos ipſi per humanam hanc ſapientiam cognoſci intelligimus? Accedit quod vt infra explicata hac diſputatione eam ad noſtrum propoſitum applicando dogmata noſtrorum Theologorum fidei Chriſtianæ etiam ſectando lumē naturæ (licèt ſciri ac demonſtrari lumine naturali non poſſint) credenda eſſe quàm rationabile oſtendam, ita vt nulla infidelibus excuſatio remaneat ſi illis non adhęrent.

6 Certè Religio omnium animis inſerta ſuadet aliquid vltra id quod viribus noſtris cognoſcimus eſſe credēdum. Vnde Cicero apud

Lactan-

Lactantium lib.7. de Diuino præmio cap 9. aſſerit. *ex eo æternitatem animæ poſſe cognoſci; quia nullum ſit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei; Religioque ſit penè ſola, quæ hominem diſcernat à brutis, quę cum in hominem ſolum cadat, profectò teſtatur id affectari nos, id deſiderare, id colere quod nobis familiare, quod proximum futurum.* Ego autem infra oſtendam euidentiſſimè inter omnes religiones ſolam Chriſtianam eſſe veram, certam, ſolidam, reliquas omnes fictiones, & vana commenta. Quare quæ Theologi docent diuina illuſtratione nobis reuelari, rationabiliter eſſe amplexāda, quibuſcunque ſectis Gentilium, Saracenorum & ſi quæ aliæ ſunt omninò deſpectis. Sed iam ad diſputationem cum Accademicis accedamus.

Religio ſola penè diſcernit hominem à brutis ex Cicerone.

Opinio Accademicorum, & Scepticorum, qui negauerunt ſcientiam dari, & nihil verum, nec veritatem vllam haberi poſſe ab intellectu humano dixerunt. Caput Secundum.

7 CErtum eſt inter Philoſophos antiquos magnam contentionem fuiſſe, an veritas aliqua dari poſſit in intellectu humano pro hoc ſtatu, quem ſolum ipſi cognouerunt; ita quod intellectus aliquam propoſitionem intelligens, & illi adhærens exiſtimans eſſe veram, revera non decipiatur, ſed ſincerè, & verè, res illa eo modo ſeſe habeat, quo illam intellectus intelligit: ſuppono enim veritatem eſſe conformitatem rei ad intellectum. (hanc enim eſſe diffinitionem veritatis omnes affirmant, & elicitur ex Ariſtotel. in lib. Perhiermeniarum. *Ex eo quod res eſt, vel non eſt, aut veram, aut falſam dici orationem.* & lib.4. Meth.text.27. dum dixit, *verum dicimus, cum dicitur eſſe, quod eſt, aut non eſſe, quod non eſt.*) Non tamen omnes in hac negatione veritatis conuenerunt. Quidam enim omninò, & abſolutè dixerunt in rebus nihil veri, atque certi eſſe. Alij non negauerunt omninò ſcientiam, & veritatem, & certitudinem; ſed ſolum in aliquibus eſſe veritatem voluerūt, in aliquibus vero nequaquam; ſed in hoc quoque diſcrepauerunt: quia aliqui dixerunt veritatem, & certitudinem ſolum eſſe in intellectualibus, & abſtractis à materialibus. Aliqui in ſolis ſenſibilibus. Alij dixerunt quædam intellectualia, & quædam ſenſibilia habere veritatem; quædam vero nequaquam. Alij vero diſtinxerunt in rebus quidem dari veritatem, ſed intellectum noſtrum illam minimè poſſe adipiſci. Quidam alij dixerunt illam nos poſſe adipiſci, ſed non puram, & ſinceram; ſed ſolum admixtam cum erroribus. Hęc colliguntur ex Ariſtot. Plutarcho, Euſebio, Cic. quæſt. Accademicarum lib.2. & alijs auctoribus, quos refert Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus lib.1. Examinis vanitatis doctrinæ gentium cap.9. in principio; & alijs, de quibus in ſequentibus.

Quid eſt veritas.

Fun-

Digitized by Google

Fundamenta vero, ob quę in hanc opinionem deuenerunt, diuerſa ſunt: Ioannes Franciſcus adducit hæc præſertim eodem opere lib. 2. cap. 2. Primum eſt nullum dari certum iudicatorium, ſeu iudicium, & lumen, quo percipiamus res veras eſſe, non falſas, non illuſorias affectiones, & paſſiones, & denique quo cognoſcamus verum à falſo. Vbi autem nullum eſt iudicatorium certum, nulla poteſt eſſe certa, & ſecura veritas. Antecedens probatur, quia ſi daretur, maxime propter illam rationem daretur, quia videmus nos certo appetere aliqua, vt cibum, potum, voluptatem, &c. videmus certo nos aliqua declinare, vt pœnas, affectiones, moleſtias, & huiuſmodi; & qui negat ſe percipere iſta, ex numero hominum eſt abijciendus. At hæc ratio non cogit (dicunt Sceptici, & Accademici, qui negant iudicatorium) quia inquiũt hæc nobis videri vera, & apparere vera; at an re vera hoc modo ſe habeant, ſicut iudicamus omnino incertum eſſe; atque hanc certitudinem nunquam quantocunque ſtudio adhibito haberi poſſe.

1. Ratio pro Accademicis, quæ eſt de iudicatorio veritatis.

8 Confirmatur, quia Sceptici Philoſophi cum Dogmaticis ideſt cum Peripateticis, et Stoicis, qui iudicatorium admittũt, cõtendunt; an tale iudicatorium detur. tunc ſic. Vel iſta diſcordia poteſt dijudicari, ita quod dijudicetur, quæ opinio ſit vera, & quæ falſa, vel non. Si non, ergo iudicatorium verum non datur. Si poteſt. Quęrunt quodnam ſit illud iudicatorium. Nullum autem eſſe poteſt, quia illud ſi datur, debet eſſe conceſſum ab vtraque parte diſcordante: nullum autem tale datur, quia pars negans nullum iudicatorium verum admittit. Præterea, ſi datur tale iudicatorium certum neceſſarium eſt, vt alio iudicatorio certo comprobetur; & rurſus illud per aliud iudicatorium, & ſic dabitur proceſſus in infinitum, & nullum habebimus iudicatorium. Vel per aliquam demonſtrationem comprobabitur. At demonſtratio, an ſit demonſtratio, iudicatorio dignoſcitur; ergo cum demonſtratio indigeat iudicatorio, non poteſt per demonſtrationem comprobari, ſed erit circulus inutilis.

Confirmatio.

9 Secundo principaliter probant non dari verum hoc modo. Si quis dixerit dari verum aliquod, neceſſarium erit illud per demonſtrationem oſtendere. At hoc fieri non poteſt. ergo Maior ſupponitur vera, & conceſſa: hoc enim eſt inſtrumentum vnicum pariens ſcientiam ex Ariſt. in libris Poſteriorum. Minor probatur, quia vel illa demonſtratio erit falſa, vel vera. ſi falſa, nihil monſtrabit. ſi dicas eſſe veram, oportebit ipſam alia demonſtratione probare eſſe veram, quia Aduerſarius negabit eſſe veram. & ſic dabitur proceſſus in infinitum.

2. Ratio principalis.

10 Confirmatur. Quia ſi datur verum, hoc vel eſt in rebus ſolum, quæ videntur; vel in ijs, quæ non videntur; vel partim in illis, partim

Confirmatio.

in his.

in his. At nullum horum poteſt dici. ergo nullum verum, nec vlla veritas datur. De primo probatur, quia ſi quis dixerit, omnia quæ videntur, & apparẽt nobis vera, eſſe vera, Sceptici illud negabunt; nec ipſe hoc probare poterit: tantum enim valet dictum aſſerentis, quantũ dictũ negantis. idem dicendũ de ſecundo. Non tertiũ, quia ſi dixerit aliqua ex ijs, quæ videntur eſſe vera, & alia non. Contra, vel hoc dicit mediante iudicatorio, vel ſine eo. Si ſine, nulla eſt ratio, cur ei credere debeamus: quia ſine iudicatorio non poteſt ſecerni verum à falſo. Si cum iudicatorio, ergo iudicatorium erit verum, & manifeſtum, & apparens. At contra, non poteſt eſſe verum, & manifeſtum, & apparens, niſi iudicatorio videretur eſſe tale; ergo illud iudicatorium per aliud iudicatorium probabitur, & ſic in infinitum.

3. Ratio, quæ eſt Henrici, & Accademicis. 11 Henricus in ſumma ar. 1. quæſt. 1. adducit rationes ex diuerſis locis Ariſt. pro eadem opinione, quæ cum ſuperius adductis ferè conueniunt. Tertio ergo ex eo ſic arguitur. Secundum Ariſtotilem, & eos qui dicunt dari ſcientiam neceſſe eſt, quod quidquid ſcitur ex aliquo priori noto ſciatur: ſcientia enim fit ex præexiſtenti cognitione principiorum; at illud prius non poteſt ſciri, niſi per aliud notius, & illud per aliud, & ſic dabitur proceſſus in infinitum; vel dabitur circulus, qui eſt inutilis; ergo nihil poteſt ſciri.

4. Ratio. 12 Quarto, omnis humana cognitio intellectiua habet ortum à ſenſu. 1. Metaphyſ. & 2. Poſteriorum cap. vltimo. ſed à ſenſibus corporis ſincera veritas non eſt expectanda, quia ipſi ſunt fallaces. quod enim vni apparet dulce, alij videtur amarum, & ſic de alijs; vbi autem eſt aliqua falſitas, non eſt ſincera veritas, quia ſincera veritas nihil falſitatis admittit.

5. Ratio. 13 Quinto, ex parte obiecti ſcientia nõ eſt niſi de certo vero, & infallibili, & permanente, in rebus autem ſenſibilibus, quæ ſunt obiectum noſtri intellectus non eſt aliquid fixum, aut certum, & permanens, ſed omnia ſunt mutabilia, & de facto continuo mutantur; Inſenſibilia autem non poſſunt cognoſci niſi per ſenſibilia. ergo ratione obiecti nulla certa cognitio de rebus haberi poteſt.

6. Ratio. 14 Sexto, qui nõ percipit eſſentiam, & quidditatem rei, ſed ſolum idolum, & ſpeciem rei, non ſcit verè, & ſincerè rem ipſam; qui enim non nouit Herculem, ſed idolum eius, non habet certam veritatem de Hercule. At homo non percipit eſſentiam rerum, ſed ſolum ſpecies illarum deſumptas ex ſenſibus. ergo non datur ſcientia vera, & certa de rebus.

7. Ratio. 15 Septimo, eſt argumentũ Memnonis 1. Poſteriorum, & 9. Metaphy. Nemo adiſcit, niſi qui prius nouit aliquid; ſed ſic eſt, quod qui nouit aliquid, iam non adiſcit, quia ſcientia eſt cognitio de nouo cauſata;

ſcta; at ille qui nouit iam rem non adiſcit de nouo. ergo non poteſt da ri ſcientia de nouo. Hæc Henricus.

Videntur autem omnia iſta argumenta Accademicorū inniti duobus principijs, quæ Mirandulanus exagerat varijs in locis in libro examinis veritatis doctrinæ gentium, ſed præſertim lib.2.cap.2.& 33.& 35. Ariſt. verò ea tangit 4. Met. præſertim à tex. 19. vſque ad 27. Primum eſt, quod nulla eſt veritas ex parte rei, ſeu nulla res eſt vera, quod probabant, quia dicebant omnia entia eſſe mutabilia, ideo neque poſſe apprehendi, vt certa, & vera, ac vt immutabilia. Quod principium tractat, & confutat Ariſt. 4. Met. à tex. 19. vſque ad 25. incluſiuè. *Argumenta omnia Accademicorū inn tuntur duobus prīcipijs. Ariſt. reycit principia Scepticorum, & Accademicorum.*

Alterum eſt nullum eſſe certum iudicatorium ideſt nullam vim cognoſcitiuam, neque ſenſum, neque intellectum, neque aliquam vim in nobis eſſe, qua veritatem certam rerum cognoſcere poſſimus. Quod principium tractat, & reijcit Philoſophus 4. Metaphy. tex. 26. & 27. Fundamentum autem Scepticorum eſt diſcordia inter Philoſophos de rebus ipſis, & de iudicatorio. Propter hanc enim dicebant nihil ſciri. Propterea quod non poterant capere, quod ſi daretur veritas certa, & euidens, omnes non conuenirent in ea. Hæc autem omnia, quàm vana ſint, oſtendemus infra.

Opinio Henrici circa præſentem difficultatem. Caput Tertium.

Henricus loco citato allatam opinionem Accademicorum, & Scepticorum multis rationibus reijcit, & deinde ſuam opinionem ponit articulo 2. ſed ea eſt talis vt videatur coincidere cum eorundem Accademicorum opinione, vt probabit Scotus. Quantum ergo ad opinionem Accademicorum, aſſerit eam eſſe omnino falſam ſcilicet quod nulla veritas, & ſcientia ſincera ideſt ſine admixtione falſitatis detur. Quod probat præſertim. Quia homo deſiderat naturaliter ſcire veritatem; quod autem homo naturaliter deſiderat naturaliter conſequi, eſt poſſibile: Quia deſiderium naturale non eſt ad impoſſibile. Præterea vnumquodque poteſt attingere ſuam perfectionem naturalem: at ſcire veritatem eſt perfectio naturalis hominis; ergo naturaliter poteſt illam attingere. Præterea. Secundum D. Auguſtinum de vera Religione, qui dubitat, an contingat aliquid ſcire, ſe dubitare, non dubitat, ſed certus eſt, non eſt autem certus niſi de vero, quod ſcit; ergo illum, qui dubitat ſe ſcire, neceſſe eſt concedere ſe aliquid ſcire, nimirum certo ſcire ſe dubitare, an ſciat. Deinde latè diſcurrit Henricus oſtendendo, quod aliqua & ſenſu, & intellectu certa ſcimus, & diſſoluit rationes adductas pro Accademicis. 1. Ratio Hērici. 2. Ratio. 3. Ratio.

17 Verùm Henricus deinde non ſibi videtur conſtare, & habet quan- *Opinio Henrici.*

L

quandam opinionem, quæ videtur coincidere cum opinione Accademicorum, quam cõfutauerat. Nam eodem art. quæſt. 2. & 3. tractat propoſitam quæſtionem, & quærit, an hæc certa, & ſincera veritas abſque admixtione alicuius erroris haberi poſſit ex puris viribus naturalibus abſque illuſtratione aliqua ſupernaturali; & reſpondens, inquit, loquendo de per ſe, & ſimpliciter credibilibus nulli dubium eſſe abſque diuina illuſtratione nullam poſſe haberi ſinceram veritatem. De qua aſſertione nulla eſt difficultas inter Theologos. At loquendo de cognoſcibilibus naturaliter, & per vires creatas, inquit quorumdam opinionem fuiſſe etiam de his ex puris viribus naturalibus nullam poſſe haberi ſinceram, & certam veritatem, ſed omnem veritatem, quæ ſic ſcitur, ſciri per illuſtrationem ſupernaturalem lucis increatæ. & pro ſe putabant ſtare D. Auguſtinum in omnibus libris, in quibus aſſerit, quod quicunque verum videt, illud videt in prima regula, ſiue in regulis æternis, ſiue in luce increata; vt lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. Vnde putabant, quod ſicut corpus aeris illuminatur luce corporea, ita anima illuminatur lumine ſapientiæ ſimplicis Dei.

Opinio quorumdam negantium dari ſincerã veritatem recitata ab Henrico.

Opinio allata reijcitur ab Henrico.

18 Hanc opinionem ibi confutat Henricus, præſertim hoc medio, quod contra Accademicos quoque adduxerat. Quia iſti nimis vilificant animam rationalem, & multum derogant dignitati eius; ergo antecedens probatur cuilibet rei naturali perfectæ in forma ſua debetur aliqua actio, ſiue operatio naturalis, & ex puris naturalibus, per quam poſſit attingere bonum ſibi naturale, vt patet in omnibus alijs rebus naturalibus. Vnde Damaſcenus 1. ſententiarum, & alibi dicebat. Quorum naturæ ſunt differentes, horũ & operationes ſunt differentes. ergo hæc operatio non debet negari naturæ rationali. Subſumit. Sed ſic eſt, quod propria operatio naturæ rationalis eſt ſcire, vt habetur primo de anima. At ſi anima ex proprijs viribus naturalibus non poſſet aliquid verè, & ſincerè intelligere, & ſcire, ſequeretur animam rationalem non habere propriam operationem, & ſic eſſet inferior omnibus creaturis, quod eſt inconueniens.

Opinio Henrici propria.

19 Ea autem opinione confutata ponit ſuam opinionem ſic. Diſtinguit, quod aliud eſt ſcire de creatura id quod verum eſt in ea, & aliud eſt ſcire veritatem. Adeo quod alia eſt cognitio, qua cognoſcitur res, & alia, qua cognoſcitur veritas eius. Inquit enim quod inter intentiones generales eſt per ſe ordo naturalis, & alijs dimiſſis, vt ad propoſitum facit, intentio entis, & intentio veri ſic ſe habẽt, quod intẽtio entis eſt prima; intentio veri eſt ſecunda. Ex hoc autem ſequitur ꝙ ens poſſit cognoſci ſub ratione entitatis abſque eo, quod cognoſcatur ſub ratione veritatis. Vnde inquit, quod omnis vis cognoſcitiua ap-

ua apprehendens per ſuam notitiam rem ſicuti habet eſſe in ſe extra cognoſcentem, apprehendit quod eſt verum in ea, ſed nõ propter hoc apprehendit eius veritatem. & ſic concedit ſenſum, & bruta apprehendere entia, & id, quod eſt verum in entibus, non tamen apprehendere veritatem: Quia ſenſus, & bruta apprehendunt obiectum verum ſcilicet veram herbam, verum hominẽ, &c. non tamen apprehendunt veritatem vllam, propterea quod non poſſunt iudicare quid ſint in rei veritate. Ex quo deducit, quod cognitione ſimplicis apprehenſionis cognoſcitur id quod res eſt, ſeu entitas rei; cognitione verò compoſitionis, & diuiſionis cognoſcitur veritas eiuſdem rei. Et ſic concludit, quod intellectus cognoſcendo rem ſicuti eſt per ſimplicem apprehenſionem, poteſt eſſe verus, ſicut etiam ſenſus, licèt non intelligat veritatem ipſam rei vero iudicio, percipiendo de ea quid ſit, vt quod ſit verus homo, vel verus color, &c.

20 Hæc aſſertio Henrici, quod poſſit cognoſci de re entitas vera rei; & tamen non poſſit cognoſci veritas eiuſdem probatur ab Henrico dupliciter. Primò ex parte intelligibilis. Secundò ex parte intellectus. Ex parte intelligibilis primò. Quia intentio entis, & intentio veri ſunt diſtinctæ, & prima præcedit ſecundam ordine, iuxta quartam propoſitionem de cauſis, quæ aſſerit prima rerum creatarum eſt eſſe; & in Commento primæ propoſitionis Auerroes ait. *Eſſe eſt vehementioris adhærentiæ*. Probatur etiam ratione, quia entitas eſt abſoluta; Veritas autem dicit relationem ad exemplar; ideo intentio entitatis eſt prior. Probatur etiam ex parte intellectus. Quia ens poteſt concipi ſimplici intelligentia, & tunc concipitur ens, vt eſt in ſe quid verum, non autem cum relatione ad exemplar. cum autem concipitur ſub ratione compoſitionis, vel diuiſionis, tunc veritas eius concipitur, & intelligitur. At prior eſt ſimplicium apprehenſio, quàm compoſitio, & diuiſio in intellectu; ideo intellectus poteſt apprehendere rem ſub ratione entitatis, & non ſub ratione veritatis. Suſtinet ergo Henricus contra Accademicos, ſeu Scepticos, qui negabant dari ſcientiam, & cognitionem certam de rebus, quod accipiendo ſcientiam, & cognitionem certam pro cognitione veri, ideſt entitatis, ſiue eius rei, quæ vera eſt, dari ſcientiam, & cognitionem certam. Quod probat per illam rationem; quia tunc viliſicaretur natura rationalis; vt diximus ſupra; & quia Deus non deficit in neceſſarijs, & maximè in natura nobiliori; ideo non eſt dicendum, quod Deus non dederit vim ipſi homini, vt propriam operationem, quæ eſt ſcire, actu habere poſſit. Accipiẽdo verò cognitionẽ veritatis, vt eſt veritas proprie, ſeu vt pertinet ad operationem ſcđum intellectus, quæ eſt compoſitio, & diuiſio, & vt eſt cõformitas rei ad exemplar. Rñdet Henricus ad propoſi-

Aſſertio Hẽrici ꝓbatur.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Digitized by Google

tam quæſtionem, quod ſine illuſtratione lucis increatæ, & ex puris viribus naturalibus non poteſt haberi aliqua ſincera, & pura veritas. Quam opinionem ſic explicat. Inquit, quod duplex eſt exemplar creatum, & increatum ſecundum Platonem in Timeo. Exemplar creatũ eſt ſpecies vniuerſalis cauſata à re. Exemplar increatum eſt idea in mente diuina, ſeu ratio & ars æterna Dei, ſecundum quam Deus res ad extra creauit. Tunc ſic, ſicuti duplex eſt exemplar rei, ſic duplex eſt conformitas rei ad exemplar. Vna ad exemplar creatum; & hæc eſt veritas, quæ ab Ariſtotile ponitur: dixit enim veritatem eſſe adæquationem rei ad intellectum, ſeu ad ſpeciem, & conceptum rei formatum, & elaboratum ab intellectu: & hæc eadem eſt veritas, de qua D. Auguſtinus q. de Trin. cap. 6. vbi vult, quod notitiam ſpecialem, & generalem ex ſenſibilibus collectam habemus ſecundum quam iudicamus quod ipſum ſit tale, vel tale. Altera eſt conformitas rei ad exemplar increatum. Modò ad propoſitum inquit Henricus in prima veritate nulla eſt ſinceritas, nec certitudo, & ideo non eſt propriè veritas, quia non habet certitudinem infallibilem: quoniam huiuſmodi exemplar quantumcunque depuratum, & abſtractum nunquam eſt conforme ipſi rei; & ideo per inſpectionem huiuſmodi exemplaris, ſeu per relationem rei ad exemplar illud non poteſt haberi perfecta conformitas eius ad rem; & ſic non poteſt haberi ſincera, & pura notitia de his rebus. At per inſpectationem exemplaris diuini habetur perfecta conformitas rei ad ipſum, & ſic habetur perfecta notitia rei, & ſincera, & pura veritas de rebus ipſis.

21 Quod autem per inſpectionem exemplaris creati quantumcunque depurati; & abſtracti non poſſit haberi perfecta conformitas ad res ipſas creatas probat Henricus tribus rationibus. Prima eſt, obiectum illud, à quo extrahitur exemplar creatum, eſt mutabile; ergo nõ poteſt eſſe cauſa alicuius immutabilis. Sed ſic eſt, quod ſcientia, & notitia certa alicuius veritatis de aliquo obiecto habetur de eo ſub ratione immutabilis; ergo per tale exemplar creatum non habetur veritas certa, & ſincera de obiecto creato. Hæc ratio, inquit Henricus, eſt D. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 9. vbi vult, quod à ſenſibilibus non eſt expectanda ſincera veritas; quia ſenſibilia ſine intermiſſione mutatur.

Prima ratio, quod ſincera veritas haberi non poſſit per comparationem ad exẽplar creatum.

2. Ratio.

22 Secunda ratio deſumitur ex D. Auguſtino de vera Religione *lex omnium artium, &c.* & eſt talis. Anima de ſe eſt mutabilis, & paſſiua erroris; ergo per nihil mutabilius ea poteſt rectificari, ne erret. Sed exemplar creatum, ſeu ſpecies intelligibilis exiſtens in anima eſt mutabilior ipſa anima; ergo illud exemplar non eſt perfecta regula dirigens animam ne erret. ergo per ipſum non poteſt haberi ſincerè, & purè veritas de rebus, quarum eſt exemplar.

Tertia

Digitized by Google

23 Tertia ratio. Nullus habet notitiam certam, & infallibilem veritatis, niſi habeat vnde poſſit diſcernere verum à falſo, vel à veriſimili; ſed per exemplar creatum prædictum nemo poteſt diſcernere verum à veriſimili. ergo maior probatur. Quia ſi quis non poſſit diſcernere verum à falſo, vel veriſimili, poteſt dubitare ſe falli. Minor probatur, quia illud exemplar creatum, cum ſit ſpecies ſenſibilis abſtracta à phantaſmate, ſimilitudinem habet ita cum vero, ſicut cum falſo; ita quod quantum eſt ex parte ſua non poteſt dignoſci quando repręſentet verum, vel falſum. Nam per idem exemplar repręſentantur res in ſomnijs in furore, & in vigilia; patet autem quod in ſomnijs repręſentat falſum; quia tunc ſe repręſentat tanquam obiectum, non tanquam ſpecies. Videmus enim in ſomnijs tractare, & inſpicere obiecta ipſa ſpecierum, & exemplarium, non ipſas ſpecies. Idem accidit in ijs, qui in furore verſi ſunt. Quando ſumus ſani, & vigilantes repręſentant ſe vt ſpecies: cum aduertimus ad ipſas ſpecies, & exemplaria, cognoſcimus, quod non ſunt ipſę res, & obiecta, ſed earum exemplaria, & ſimilitudines. Quantum ergo eſt ex parte ipſius exemplaris, non poſſumus habere ſufficientem rationem diſtinguendi veritatem à falſitate. Et ſic ex his tribus rationibus Henricus probare nitebatur, quod nulla ſincera veritas haberi poteſt aſpiciēdo ad exēplar creatū. 3. Ratio.

24 Ex hoc vlterius deducit eſſe neceſſarium ad hoc, vt quis habeat aliquam veritatem ſinceram, neceſſariam eſſe, vt aſpiciat exemplar increatum, & lucem æternam. Quomodo autem inſpiciendo ad exemplar increatum quis habere poſſit veritatem ſinceram, declarat Henricus eodem artic. 1. quæſt. 3. ſic. Exemplar æternum in cauſalitate iſtius veritatis ſinceræ non ſe habet vt obiectum, ſed vt ratio cognoſcendi ipſi intellectui creato; Vnde ſic facit intellectum videre, & intelligere, vt ipſum in ſe non videatur; quia non habet rationem obiecti, ſed ſolum rationem cognoſcendi; Quod autem non habet rationem obiecti, non poteſt cognoſci (quod autem non vt cognitum cauſet hanc veritatem, patet: quia pro hac vita non cognoſcitur niſi ſub generali attributo.) Quomodo autem Deus, & exemplar iſtud increatum poſſit eſſe ratio cognoſcendi, & non cogniti, declarat à ſimili in viſione oculi corporalis. & primum ſic. In viſione oculi corporalis tria requiruntur. Primò requiritur lux, mediante qua corpus coloratum immittit ſuam ſpeciem in organum oculi, in quo virtus viſiua ſine luce quaſi obtuſa iacet. Secundum eſt ſpecies coloris immutans oculum. Tertium eſt figuratio, ſeu characteri ratio ipſius oculi per ſpeciem, per quam determinatur ad diſcernendum hoc ab alio. Ita in propoſito eſſentia diuina habet hæc tria munera in anima noſtra. Nam ipſa quidem non inhæret animæ noſtræ, vt

Quomodo intuēdo exemplar æternū habeatur ſincera veritas ſecundū Henricum.

accidens,ſed nobiliori modo ſcilicet per illapſum internum. Per hunc autem illapſum primò habet rationem lucis illuminantis oculum mentis. Secundò eſt forma, ſeu ſpecies immutans oculum mentis ad intuendum res. Tertiò eſt figura, & character configurans eum ad diſcernendum,& diſtinguendum hoc ab illo: eſſentia enim diuina eſt ars quædam omnipotentis Dei plena omnium rationum viuentium. Secundum autem ſcilicet quomodo ſit ratio cognoſcendi alia, vt dictum eſt,& tamen ipſum non ſit cognitum in ſe. declarat adhuc exemplo oculi ſic: lux poteſt ſe diffundere à corpore lucido in organũ oculi duobus modis; Vno modo aſpectu directo; Alio modo aſpectu quaſi obliquato, primò tendendo in aliquod corpus coloratum, & deinde ſimul cum ſpecie colorati corporis tendendo ad organum oculi. In primo aſpectu corpus lucidum, vt Sol, eſt ratio videndi, & etiam eſt viſum, & obiectum cognitum. In ſecundo aſpectu eſt ratio videndi alia; ſed ipſum non eſt viſum. Quod experientia ipſa patet; ſolum enim tunc videmus Solem, quando directè per radium tendentem in oculum noſtrum, illum aſpicimus; At cum directè tendimus in alia obiecta colorata quæ per lumen Solis,illuminantur; & fiunt nobis viſibilia,non videmus Solem,neque Sol eſt obiectum cognitum; ſed ſolum eſt ratio cognoſcendi per ſuos radios obliquatè tendentes ad nos. Ad propoſitum. Deus reſpectu Angelorum, & Beatorum ſe habet velut corpus lucidum directè illuſtrans eorum intellectum,& ideò vident Deum; reſpectu viatorum verò ſe habet veluti Sol illuminans, & illuſtrans eorum intellectum obliquè. Et ſic eſt ratio videndi; non autem eſt viſus,nec cognitus. Concludit ergo quod *proxima, & perfecta ratio cognoſcendi ſinceram veritatem de quacunque re, eſt diuina eſſentia, inquantum eſt ars, ſiue exemplar rerum imprimens menti verbum ſimilimum veritati rei extra in ſe; per hoc quod ipſa continens eſt in ſe ideas, & regulas expreſſas omnium rerum ſimilitudines, quas imprimit conceptibus mentis, per quod etiam ſigillat, & characterizat ipſam mentem imagine ſua,& expreſſiua, ſicut anulus ceram,quæ non migrando, ſed tanquam imprimendo, transfertur, vt dictum eſt.*

Duo exēplaria requirũtur increatũ, & creatum.

25 Tandem concludit, quod illud exemplar æternum non ſufficit ad habendum ſinceram veritatem, ſed requiritur quoque exemplar creatum,ita quod ex ambobus fit vna perfecta ratio ad intelligendum res perfectè, & ad habendam ſinceram veritatem de ipſis. ſe habet enim exemplar creatum veluti materiale,& incompletum; exemplar autem increatum ſe habet veluti formale, & complementum illius. exemplar enim creatũ eſt materia ipſa exemplaris, & incõpletam ſimilitudinem rei continet, ex exemplari autem æterno recipit complementum,& informationem perfectam, vt ſit verbum,ſeu expreſſa ſimi-

ſimilitudo rei, ſicut idea, & ſimilitudo rei in mente æterna eſt perfecta ſimilitudo, ad quam res ipſa producta fuit à Deo. cum ergo intellectus creatus intuens exemplar creatum completum, & perfectum ab exemplari increato, & producit verbum, ſeu conceptum, ſeu notitiam rei per huiuſmodi exemplar duplex illud verbum, eſt verbum ſinceræ veritatis; & illa notitia eſt certa, & ſincera ſine admixtione vlla erroris. Hæc eſt opinio Henrici fusè ab ipſo explicata, & à Scoto breuiter adducta, quam fuſius explicaui, quàm Scotus fecerit, & breuius, quàm Henricus, vt ſic facilius poſſit percipi, quia verſatur circa materiam dignam ſcitu, & in eius confutatione multa pulchra deteguntur, eam autem falſam eſſe, & cum Accademicorum ſententia coincidere nititur probare Scotus; quod capite ſequenti videbimus.

Opinionem Henrici allatam coincidere cum opinione Accademicorum, & non eſſe D. Auguſtini, ſed falſam, oſtenditur à Scoto; & obiectiones Mirandulani reÿciuntur. Caput Quartum.

Scotus in primo ſent. diſt. 3. quæſt. 4. inſurgit contra hanc opinionem Henrici, & facit ſex per ordinem, quæ infra videbimus. Primò oſtēdit opinionem Henrici coincidere cum opinione Accademicorum, quam ipſe confutauerat. Secundò probat illam opinionem Accademicorum eſſe falſam. Tertiò ſoluit rationes pro Henrico, quę faciebant pro illa opinione Accademicorum. Quartò impugnat opinionem Henrici in particulari. Quintò ſoluit quæſtionem. Sextò explicat, quæ fuerit mens D. Auguſtini in hac quæſtione. *Scotus ſex facit cōtra Henricum.*

27 Quantum ad primum oſtendit rationes illas Henrici concludere pro Accademicis ſic. Rationes adductæ ab Henrico, ſi concluderent, concluderent eſſe impoſſibile dari certam cognitionem naturalem in nobis: At hæc erat opinio Accademicorum, vt ſupra vidimus; ergo opinio Henrici coincidit cum opinionibus Accademicorum, quos tamen Henricus confutare intendebat. Maior propoſitio probatur, & primò de prima ratione, quæ deſumebatur ex parte mutabilitatis obiecti ſic. Si obiectum continuè mutatur, ſequitur de illo non poſſe haberi aliquam certitudinem ſub ratione immutabilis, & hoc nedum in lumine naturali, ſed neque in ſupernaturali, & claro. ergo opinio Accademicorum eſt vera, quod nulla veritas datur. Conſequentia probatur, quia non habetur certitudo de aliquo obiecto, quando illud obiectum alio modo intelligitur, ac ſit. At ſcientia certa, & ſincera eſt cognitio rei ſub ratione immutabili, & inuariabili; ergo ſi ratio hæc concludit, ſequitur non dari ſinceram veritatem de aliquo obiecto. *Opinionem Henrici coincidere cū opinione Accademicorum.*

Digitized by Google

Reſpõſio Mirandulani. Reſpondet Ioannes Franciſcus Mirandulanus lib. 5. examinis vanitatis doctrinæ gẽtium cap. 4. primò, quod licèt exemplar creatum, & obiectum creatum ſit in ſe mutabile, tamen in exemplari æterno immutabili percipi poterit, vt immutabile; quia quod in lumine obtuſo percipitur vt mutabile, poteſt in lumine clariori, & altiori percipi, vt immutabile. *Reiicitur.* Hæc reſponſio eſt nulla: permanet enim argumentum, quod non cognoſcat obiectum ſicuti eſt, quia obiectum in ſe eſt mutabile, & tamen intellectus percipiet illud vt immutabile; & ſic non conformabitur apprehenſio obiecti ipſi obiecto, & ſic nulla erit veritas.

Secunda reſponſio. 28 Secundò reſpondet, quod in illo lumine altiori, & in exemplari immutabili percipiet exemplar, & obiectum creatum eo modo, quo eſt, vnde apprehendit obiectum vt mutabile, & ſic apprehendet mutabile, & creatum eo modo, quo eſt. *Reiicitur.* Contra. Quando dicitur, quod ſcientia, & ſincera veritas eſt de re ſub ratione certa, neceſſaria, & immutabili, illa immutabilitas, & neceſſitas ſe debet tenere ex parte obiecti, quod cognoſcitur, non ex parte repręſentatis obiectum. Nam ſi obiectum ſit in ſe mutabile, & incertum, nunquam in quantocunque perfecto exemplari poterit repręſentari, vt immutabile, & certum. Si ergo illud exemplar increatum repręſentat obiectum creatum ſub ſua mutabilitate continua, cum ſemper ſit mutabile, nihil habebit in ſe certum, & ſub nulla ratione vna erit cogniſcibile, quia nullam vnam rationem habebit, ſed ſemper erit in continuo motu.

Secunda ratio Scoti. 29 Secundò arguit Scotus, falſum eſſe obiectum, ſeu exemplar creatum, & ſenſibile ſemper mutari. Hæc enim fuit opinio Heracliti, & Accademicorum, quam refutat Philoſophus 4. Met. tex. 22. Nam certum eſt hominem, & reliqua ſenſibilia dum manent, & antequam corrumpantur eſſe eadem & permanentia, non ſucceſſiua.

Reſpõſio Mirandulani. Reſpondet Mirandulanus immo veriſſimum eſſe, res ſenſibiles, & compoſita ipſa continuo mutari; quod probat, quia compoſita ſunt ex principijs contrarijs, quæ ſemper pugnant adinuicem.

Reiicitur. Hæc reſponſio eſt indigna tanto viro. Nam illa contrarietas non eſt in ſubſtantia compoſiti ſenſibilis; ſed in accidentibus ſcilicet in qualitatibus. Deinde etſi quo ad partes aliquas corporis fluentes, vt eſt caro mutetur; illa mutatio non eſt ſecundum totum ſimul, ſed ſolum quo ad aliquam partem. Vnde idem homo, vt ſortes à principio vitæ vſque ad mortem eſt idem quo ad ſubſtantiam, licèt per alimenmentum, & decrementum aliqua pars continuo fluat, & accedat. & hæc negare non eſt ingenui Philoſophi, ſed ratione carentis.

Tertia ratio Scoti. 30 Tertiò. Si propter mutabilitatem exemplaris, quod eſt in anima noſtra, nõ poſſet eſſe certitudo in nobis de rebus, ſequeretur, quod

in

in nobis nulla poſſet eſſe certitudo de vlla re; & quod anima noſtra nullo modo poſſit rectificari, ne erret; hoc eſt falſum. ergo. Conſequentia probatur, quia quidquid ponitur in anima ſubiectiuè eſt mutabile, & ſic actus ipſe intelligendi eſt mutabilis; ergo per illum non poterimus aliquid certo ſcire, neque ille erit verus.

Reſpondet Mirandulanus falſum eſſe actum eſſe mutabilem; inquit enim, id, quod mutabile eſt, & mutatur, debere eſſe per ſe ſubſiſtens: at actus intellectionis non per ſe ſubſiſtit, ideo non mutatur. *Reſpõſio Mirandulani.* Hæc reſponſio nulla eſt: illud enim quod habet eſſe, & deſinit eſſe, *Reiicitur.* eſt mutabile. At actus ipſe intelligendi, etiam ipſo Mirandulano fatente, oritur in anima, & deinde diſperit; ergo eſt mutabilis. Deinde ſi actus ipſe intelligendi, & ſentiendi, qui eſt creatus, & mutabilis non eſt mutabilis, ſed dum manet, idem ſemper manet ſine mutatione, quomodo exemplar, & phantaſma manens in anima, dum manet, erit continuo mutabilis?

31 Quartò, ſecundum Henricum ad habendum cognitionẽ certã requiritur concurſus ſpeciei, & exemplaris accepti à rebus ſenſibilibus, & exemplar, ſeu ſpecies illabens, & æterna; At ſpecies cauſata à rebus eſt mutabilis; illabens vero eſt immutabilis. Tunc ſic. Quando aliquid requiritur ad cognitionem, quod repugnat, & deſtruit certitudinem cognitionis, non poteſt certitudo haberi. At per Henricum requiritur concurſus ſpeciei acceptæ à rebus, quæ repugnat certitudini cognitionis; ergo non poteſt ex illa, & exemplari illabenti haberi certitudo cognitionis. Maior probatur à ſimili in ſyllogiſmo: nám ſicut ex altera de neceſſario, & ex altera de contingenti non ſequitur concluſio niſi de contingenti; ita ex certo, & incerto concurrentibus ad aliquam cognitionem non ſequitur concluſio niſi incerta. 4. Ratio.

Reſpondet Mirandulanus negando maiorem: Ad probationem negat ſimilitudinem: inquit enim, quod vna propoſitio aduerſatur alteri, & proinde ex illis non poteſt ſequi concluſio certa: Quia concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem. *Reſpõſio Mirandulani.* At in propoſito exemplar illabens eſt potentius, & lumen clarius; & non aduerſatur exemplari accepto a rebus; ideo ex exemplari accepto a rebus, & exemplari illabenti non eſt inconueniens haberi certitudinem, quæ ex ſolo exemplari accepto à rebus haberi non poterat. Contra. Hæc reſponſio *Reiicitur.* non ſatisfacit, quia ſecundum doctrinam Henrici etiam exemplar creatum eſt contrarium, & repugnans exemplari illabenti, quia illud eſt mutabile, & repugnans certitudini, & cauſæ certitudinis: illud illabens eſt cauſa, & ratio certitudinis. ergo repugnant; & proinde exemplar illabens non poteſt illud illuſtrare, & perficere, ita quod gignat cognitionem certam.

Præ-

Digitized by Google

Præterea nemo dat quod non habet, at exemplar creatũ per Henricum non habet certitudinem, ſed incertitudinem; ergo non poteſt influere certitudinem in cognitionem, ſed incertitudinem. & ſi cognitio habet certitudinem aliquam, illam habebit ex exemplari illabenti tantum, non ex eo, quod ſumitur à rebus, & ſic illud ſuperfluit in gignitione certitudinis cognitionis.

5. Ratio principalis Scoti.

32 Quintò. Si incertum eſt quando exemplar, & ſpecies accepta à rebus repræſentat ſe tanquam ſe, & quando ſe tanquam obiectum; ergo quantuncumque aliud exemplar concurrat, non poterit haberi certitudo, per quam decernatur verum a veriſimili: quia non poterit illud facere cognoſcere quando illa ſpecies repræſentet ſe vt ſpecies, quomodo repræſentat veriſſimile, & quando repręſentat ſe tanquam obiectum, quomodo repræſentat verum. Et ſic cum hæc ſpecies, & exemplar acceptum à rebus concurrat ad omnem cognitionem; ſequitur, quod nulla cognitio erit certa. Huic rationi nullam reſponſionem aſſignat Mirandulanus. Vnde concludit Scotus, quod rationes illæ faciunt pro opinione Accademicorum, & ſic Henricus coincidit cum opinione Accademicorum, quam ipſe confutare intendebat.

6. Ratio ex auctoritatibus Diui Auguſt. & Ariſtot.

33 Sextò. Eandem opinionem impugnat auctoritatibus Diui Auguſtini, Boetij, & Ariſtot. & ſic probat opinionem Henrici non eſſe ad mentem Diui Auguſt. neque Ariſt. probat autem dari aliquam ſinceram, & puram veritatem ex puris naturalibus. Prima auctoritas eſt Diui Auguſtini 2. ſoliloquiorum, habet hæc verba. *ſpectamina diſciplinarum quiſque veriſſima eſſe nulla dubitatione concedit*. & Boetius de Hebdomadibus. *communis animi conceptio eſt quam quiſque probat auditam.* tertiò Ariſt. 2. Met. tex. 1. *prima principia ſunt omnibus nota, ſicut ianua in domo, quia ianua neminem latet, licèt interiora domus lateant.* Ex his ſic arguit Scotus. quod conuenit omnibus alicuius ſpeciei, ſequitur naturam ſpecificam illius ſpeciei; at vnuſquiſque habet certitudinem infallibilem de primis principijs ex auctoritatibus prædictis; ergo habere certitudinem infallibilem, & certam de aliqua re eſt proprietas naturæ ſpecificæ humanæ; ergo ex puris viribus ſuis abſque ſpeciali illuſtratione illam habere poteſt.

Confirmatio.

34 Confirmatur. Cuilibet eſt naturaliter euidens forma ſyllogiſmi perfecti ex Ariſtot. 1. Priorum cap. 1. cuilibet etiam ſunt euidentia prima principia, at concluſio perfecta pendet tantùm ex euidentia principiorum, & ex euidentia formæ ſyllogiſticæ: ergo concluſio aliqua perfecti ſyllogiſmi poteſt euidenter, & ſincerè abſque vlla ambiguitate ſciri.

Confirmatio.

35 Confirmatur. Quia Diuus Auguſtinus concedit certitudi-

nem eorum, quæ per experientiam ſenſuum cognoſcuntur. Vnde 15. de Trinitate cap. 12. dicit: *abſit à nobis, vt ea, quæ didicimus per ſenſus corporis vera eſſe dubitemus: per eos quippe didicimus cœlum, terram, & ea quæ in eis nota ſunt nobis, quantum ille, qui nos, & ipſa condidit innoteſcere nobis voluit.* Si igitur non dubitamus de veritate eorum, & non fallimur, vt patet, ergo certi ſumus de cognitis per viam ſenſus. Nam certitudo habetur quando excluditur dubitatio, & deceptio.

36 Confirmatur adhuc, quia D. Auguſtinus eodem lib. 15. de Trinitate cap. 12. concedit certitudinem de actibus noſtris: inquit enim. *Si quis dicat ſcio me viuere, falli non poteſt etiam quotieſcunque ſupra primum ſcitum.* & infra. *ſi quiſpiam dicat volo eſſe beatus, quomodo non impudenter reſpondetur, forte falleris? & ſi dicat ſcio me hoc velle, & hoc me ſcire ſcio, iam his duobus, & tertium poteſt addere, quod duo ſciat; & quartum quod hæc duo ſe ſcire ſciat, & ſimiliter in infinitum numerum abire.* & eodem loco. *ſi quiſpiam dicat errare nolo, non ne ſcire erret, ſiue non erret, cum errare nolle verum erit? & alia.* inquit. *reperiuntur, quæ contra Accademicos valent, qui nihil ſciri ab homine contendunt.* & libro 14. de Trinitate cap. 15. inquit. *illa quæ ſciuntur vt nunquam etiam excidere poſſint: quoniam præſentia ſunt, & ad naturam ipſius animæ pertinent, cuiuſmodi eſt illud, quod nos viuere ſcimus.* Ex omnibus his locis apertè patet D. Auguſtinum conceſſiſſe dari aliquam ſinceram veritatem ex puris naturalibus abſque aliqua illuſtratione exemplaris æterni. *Confirmatio alia.*

37 Reſpondet Mirandulanus. Primò, rationes iſtas deductas ex auctoritatibus concludere dari aliquam certitudinem; at non concludere dari ſinceram, & certiſſimam veritatem. patet autem dari multos gradus certitudinis, nimirum probabilem, moralem, phyſicam, & maiorem, quæ eſt de Mathematicis diſciplinis, & denique maiorem omnibus veritatibus, nimirum, quæ habetur ex diuini luminis reuelatione. Præterea principiorum aliqua ſunt certiora, alia minus certa. concedit ergo dari certitudinem probabilem, & moralem, non autem certiſſimam, & ſinceram de qua eſt ſermo. *Reſpõſio Mirandulani.*

Cæterùm hæc reſponſio eſt nulla: quia exempla allata probant de veritate ſincera, & certiſſima. Quid enim certius eſſe poteſt cognitione, qua intelligo me velle aliquid, cum illud volo; vt cum volo beatitudinem, me intelligere me velle beatitudinem? & cum video cœlum eſſe, ſolem eſſe, terram eſſe, quæ ſenſibus patent; me intelligere videre cœlum eſſe, ſolem eſſe, terram eſſe? Quod vero aliqua principia ſint alijs magis, vel minus nota, concedo; & ideo non aſſerimus omnium principiorum eſſe ſinceram, & certiſſimam veritatem, ſed aliquorum. Vt eſt euidentia illationis ſyllogiſmi perfecti; & illius maximè *Reiicitur.*

mè

mè duo contradictoria non poſſunt ſimul, & ſemel eidem ſubiecto in-eſſe; & ſimilia, de quibus capite ſequenti contra Accademicos.

Secunda reſponſio. 38 Reſpondet ſecundò, Henricum non coincidere cum Accademicis: quia ipſe Henricus requirit lumen, & radios diuinitus immiſſos, & cum illis certitudinem ſinceram. At Accademici nullam veritatem, neque cum lumine diuinò admittebant. Deinde, inquit, incertum eſt, quæ fuerit Accademicorum opinio; multi enim dicunt illos omnia in dubium vertiſſe; non quia ſic exiſtimarent, ſed ad excitandum ſocordes, & ignauos, ergo opinio Henrici non poteſt cum illa coincidere, cum ignoretur quænam illa ſit.

Reiicitur. Contra. Scotus per Accademicos cum Henrico intelligit illos particulares, qui negabant veritatem dari in rebus, & omnem certitudinem veram negabant. At Henricus ſentit ſine illuſtratione diuini luminis nullam dari veritatem ſinceram; ergo Henricus coincidit cum illis.

Tertia reſpõſio. Reſpondet tertiò, quod Diuus Auguſtinus nullo pacto ſinceram veritatem tribuit ſenſibus; ſed ſi quando illam eis tribuit, loquitur de innata, non de acquiſita ſenſu, aut imaginatione. Deinde ſæpiſſimè Diuus Auguſtinus ſinceram cognitionem reſoluit ad exemplar æternum.

Reiicitur. Contra. Exempla ſuperius adducta à Scoto ex D. Auguſtino, vt de videre cœlum, terram, &c. ſunt de ſcientia acquiſita per ſenſus, non de innata vt patet. licet autem D. Auguſtinus aliquando reſoluat certitudinem cognitionis in exemplar diuinum, tamen non efficit hoc de quacunque cognitione; ſed de quibuſdam veritatibus excellentibus de Deo, de anima intellectiua, & ſimilibus, quæ ſincerè lumine naturali haberi non poſſunt; non ſequitur autem ſecundum eum omnem cognitionem certam eſſe huiuſmodi.

Quarta reſponſio. 39 Quartò. Demum reſpondet, Scotum nullam poſſe habere viã probandi dari ſinceram veritatem: quia nullum eſt principium ita clarum, quod Sceptici, & Accademici non vertant in dubium, vt vidimus ſupra; ideo veriſſima eſt opinio Henrici, quod ſine illuſtratione diuini luminis nulla ſincera veritas haberi poteſt.

Reiicitur. Contra. Saltem hoc eſſe ſincerè verum cogentur fateri Sceptici, & Accademici, ſcilicet ſcire ſe dubitare circa ſingula, vel ſaltẽ circa ea, circa quæ dubitant: neque enim puto negabunt, ſe ſincerè cognoſcere quod dubitant de principijs, & aſſertionibus Philoſophorum dogmaticorum; ergo ſaltem hæc erit ſincera, & pura veritas, quod ſciunt ſe dubitare circa principia, & aſſertiones dogmaticorum. Deinde parum refert, quod aliqui rem certam in dubium vertant; licèt enim verbis illa negent, re tamen fatentur vt de Zenone contingebat, qui ore ne-

ore negabat motum, & dum motum negabat mouebat labia. Reſpondet etiam Mirandulanus ad rationes, quas Scotus facit contra Accademicos, ſed illas reijciemus capite ſequenti, adducendo eaſdem rationes Scoti.

Opinio Accademicorum primo capite allata reijcitur à Scoto.
Caput Quintum.

Confutata opinione Henrici Scotus art. 2. illius quæſtionis 4. confutat opinionem Accademicorum aliter quàm fecerit Henricus. Atque præſertim probat in tribus generibus cognoſcibilium reperiri veritatem infallibilem, & certiſſimam ex viribus naturalibus ſolis; atque ſic remanebit confutata opinio Accademicorum, quæ vniuerſaliter negabat dari vllam veritatem in homine. Probat ergo reperiri veritatem in principijs per ſe notis, & in concluſionibus ex illis deductis. Secundò, reperiri veritatem in cognitis per experiẽtiam. Tertiò, reperiri veritatem in actibus noſtris. *In tribus generibus cognoſcibilium reperiri veritatem infallibilem.*

41 Quantum ad primum ſcilicet ad certitudinem de cognitione principiorum ſupponit, quod veritas certa, & infallibilis ſit conformitas rei ad intellectum ex Ariſt. 4. Met. tex. 27. Quo ſuppoſito ſic arguit. Quando duo termini ſic ſe habent, quod vnus euidenter, & neceſſariò includit alterum, qui apprehendit hos terminos in ſe, & illos componit ad inuicem, neceſſariò cognoſcit illam compoſitionem eſſe veram, certiſſimam, & infallibilem. At termini principiorum per ſe notorum ſic ſe habent, quod alter illorum includit alterum euidenter, & neceſſariò; ergo qui apprehendit terminos principiorum per ſe notorum, & illos componit ad inuicem, habet compoſitionem illam eſſe veritatem certiſſimam, & infallibilem; ergo veritas principiorum per ſe notorum eſt certiſſima, & infallibilis. Minor huius argumenti eſt per ſe euidens. Maior autem probatur. Vbicunque eſt cauſa neceſſaria, & euidens conformitatis rei ad intellectum, ibi eſt certitudo infallibilis talis conformitatis. At vbi termini ſic ſe habent, quod vnus includit alterum neceſſariò, & euidenter adeſt cauſa conformitatis rei ad intellectum. Nam intellectus apprehendit terminos ſic ſe habere, quod vnus includit alterum, & ex parte rei termini ſic ſe habent, quod vnus includit alterum; ergo ibi eſt cauſa euidens, & neceſſaria conformitatis rei ad intellectum. Talis autem conformitas rei ad intellectum eſt veritas certa, & infallibilis. ergo. *In principiis per ſe notis reperiri veritatem. Prima ratio Scoti.*

42 Breuiter ratio conſiſtit in hoc. Termini principiorum per ſe notorum ſic ſe habent, quod alter includit alterum neceſſariò, & euidenter; intellectus autem apprehendens hos terminos, & illos componens *Ratio breuiter confecta.*

ponens

ponens ad inuicem, aperte videt verè, & certò illos ſic componi. ergo certò, & infallibiliter ſcit illam compoſitionē, quam facit intellectus de illis terminis eſſe conformem rei; ergo cognoſcit illam compoſitionem eſſe veritatem certiſſimam, & infallibilem: eſt enim impoſſibile, quod in intellectu hominis ſtet apprehenſio terminorum illorū, & compoſitio eorumdem, & non ſtet conformitas illius compoſitionis ad terminos; ſicut non poteſt ſtare albedo, & albedo, quin ſtet ſimilitudo. Exemplo. Res poteſt declarari de toto, & parte. Quicunque cognoſcit hunc terminum, totum, & hunc alium, partem, euidenter, & neceſſariò cognoſcit quod hęc compoſitio eſt cōformis rei. Totum eſt maius ſua parte. Ex parte enim rei hoc ſubiectum totum includit prædicatum, maius ſua parte euidenter, & neceſſariò, quia ex ſimplici apprehenſione horum terminorum, totius, & partis euidens fit, hāc complexionem, totum eſt maius ſua parte, eſſe conformem rei ipſi, & proinde intellectum non decipi, nec vllo modo errare.

Secunda ratio principalis Scoti.

43 Secundò, ſi intellectus poſſet dubitare, vel errare in cognitione huius principij per ſe noti ex terminis, vt totum eſt maius ſua parte, ſequeretur, quod contradictoria, & contraria poſſent eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quod eſt falſum, & oppoſitum primi principij 4. Met. tex. 8. & 9. impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. falſitas conſequentis eſt euidens. Conſequentia verò probatur: quia ſtante apprehenſione ſimplici horum terminorum totum, & pars, & compoſitione horum terminorum, totum eſt maius ſua parte; ſtat cauſa neceſſaria, & euidens conformitatis compoſitionis ad rem, ſeu terminos; ergo ſi ſimul, etiam falſitas huius compoſitionis, ſeu ſi ſtat non conformitas huius compoſitionis ad rē, & terminos, ſequitur, quod ſimul ſtent falſitas, ſeu non conformitas compoſitionis ad terminos, & ad rem, & cauſa neceſſaria veritatis, & conformitatis compoſitionis ad terminos; quod repugnat illi primo principio, impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe. nam tunc in intellectu ſtabunt duæ notitiæ repugnantes non formaliter, ſed virtualiter, quia ſtaret opinio falſa formaliter; opinio autem vera ſtaret in eodem virtualiter, quia ſtaret cauſa neceſſaria, & euidens veritatis illius compoſitionis.

Reſpōſio Mirandulani.

44 Ad hæc duo argumenta innuit reſponſionem Mirandulanus prædicto libro de Examine Vanitatis doctrinæ gentium lib. 5. cap. 4. quod Scotus aſſumit falſum, vel dubium. Aſſumit enim dari terminos per ſe notos, vt totum, & partem: hoc autem negarent Academici, qui dicunt nihil eſſe per ſe notum, ſed omnia eſſe incerta. Ad hæc ſi ſunt per ſe nota iſti termini, hoc erit virtute ſenſuum à quibus intellectus ſuam cognitionem deſumit; At ſenſus poſſunt decipi in

ſua

ſua apprehenſione,neque verè percipere id quod dicitur totum, & id quod dicitur pars. ergo falſum eſt dari terminos per ſe notos.

Sed hæc reſponſio Mirandulani eſt omninò inſulſa, ſicut & ipſa *Reiicitur.* opinio Accademicorum,quod nulla ſit veritas,nec ſcientia. Ideo poſſumus ſic arguere, vt arguit Ariſt.4. Met.tex.19. Qui negāt dari terminos per ſe notos, vel hoc faciunt ex proteruia vel ex deceptione. ſi ex proteruia non egent confutatione, ſed vi & verberibus, donec fateantur,quod reuera verberantur, & quod verberatio eſt vera non dubia nec apparens. Si verò decipiuntur, vt puta, quia putant omnes res eſſe in continuo motu, & nihil eſſe permanens, vel ex aliqua alia deceptione, ſunt docendi eos falſa opinari, vt infra oſtendemus, demonſtrando falſum eſſe, omnia mutari. Quod ergo ait Mirandulanus non dari terminos per ſe notos, quia Aduerſarij dicunt non dari terminum aliquem per ſe notum,non debet nos turbare: quia non ex eo,quod ipſi negant, vel dubitant ex proteruia, debemus negare, quæ per ſe patent. Quis enim eſt tam demens,vt non intelligat hos terminos totum, pars, ens, non ens, affirmatio, negatio; & huiuſmodi ex ſimplici explicatione nominis eſſe per ſe notos, & non egere aliqua declaratione, vel probatione. Negare ergo hæc per ſe nota proterui, vel dementis eſt. Vnde Ariſt.4.Met.tex.19.ait hos vt ſtultos dimittendos eſſe. Reſpondebit tamen Scotus infra ad hanc obiectionem Mirandulani.

Cæterùm hoc argumentum ſecundum Scoti deſumptum ex hoc principio, quod duo contradictoria non poſſint verificari de eodem ſubiecto,eludebatur ab Accademicis apud Ciceronem lib.2.quæſtionum Accademicarum;ſed eorum deceptionem confutabimus infra cap.7. in reſponſione ad primum.

45 Tertia ratio eſt de veritate Concluſionum. Quod enim con- *Tertia ratio,* concluſio deducta ex primis principijs per ſe notis ſit certiſſima, & infal- *quę eſt de ve* libilis, probat Scotus ex hoc: quia illatio concluſionis in ſyllogiſmo *ritate Cõclu-* perfecto in forma eſt euidens per ſe, vt patet 1. Priorum, & 1. Po- *ſionum.* ſteriorum cap.2.in diffinitione ſcire. Probatur tamen, quia ſyllogiſmus perfectus concludit virtutem illius principij, ſeu maximè quæ vocatur dictum de omni, & dictum de nullo; vt patet 1. Priorum, & eſt euidens exemplis. Vt ſi quis arguat ſic,omne quod mouetur localiter,tranſit de loco ad locum;ſed omnis currens mouetur localiter. ergo omnis currens mouetur de loco ad locum. Illa concluſio neceſſariò infertur, & ſequitur ex illis principijs, virtute dicti de omni, quidquid conuenit toto, conuenit quoque parti; quod dictum & maxima eſt de ſe euidens. Si enim animal eſt ſubſtantia, homo quod eſt pars ſubiectiua Animalis neceſſariò eſt quoque ſubſtantia; & ſic

de

Digitized by Google

de alijs. Sed moueri eſt totum; currere eſt pars illius moueri: eſt enim ſpecies motus localis. ergo prædicatum illud, tranſire de loco ad locũ quod competit toto ſcilicet moueri, competit etiam parti eius ſubiectiuæ ſcilicet currere. Et ſic patet dari certitudinem infallibilem in principijs per ſe notis, & in concluſionibus deductis ex illis in forma ſyllogiſtica perfecta.

Dubitatio Scoti.

46 His habitis Scotus contra prædictas rationes excitat dubium, quod tangit fundamentum Accademicorum, quod toties inculcat Mirandulanus. & eſt. Dato caſu, quod ſenſus decipiatur circa apprehenſionem terminorum ſimplicium, an intellectus quoque decipiatur circa apprehenſionem illorum terminorum. Reſpondet negatiuè. Ratio eſt. Quia ſenſus non eſt cauſa productiua notitiæ ſimplicis terminorum, neque complexionis eorundem, neque cognitionis concluſionis, ſed ſolus intellectus: ſenſus autem eſt tantum occaſio, vt intellectus habeat huiuſmodi cognitionem; quia ſcilicet non poteſt habere notitiam terminorum ſimplicium, niſi illi offerantur à ſenſibus externis, & internis: ſed habita illa præſentatione a ſenſibus, intellectus ipſe eſt, qui poſtea producit notitiam ſimplicem illorum in ſe, & facit cõpoſitionem, & diuiſionem illorum, & illi compoſitioni, & diuiſioni aſſentit virtute propria non virtute ſenſus. Rem declarat exemplo. Dato caſu, quod ſenſus viſus deciperetur apprehendendo aliquod totum ſenſibile, vt puta, quia videretur ſibi eſſe aliquod totum, & tamẽ reuera non eſſet totum, ſed aliqua pars; & pars videretur ſibi eſſe totum; intellectus etiam illas apprehenderet vt totum, & vt pars; non tamen intellectus deciperetur in apprehenſione ſimplici illorum terminorum, neque in compoſitione eorumdem quoniam intellectus iã ſcit rationem illorum terminorum ſcilicet quid ſignificatur per nomen, & terminum illum, Totum, & quid per nomen, & terminum illum, Pars; ideo licèt decipiatur iudicando hanc rem eſſe totum, & illam rem eſſe partem, quia in hoc ſequitur ſenſum, & cõſequenter deciperetur faciendo compoſitionem particularem, dicẽdo, hoc totum eſt maius hac parte: quia reuera illud quod putat eſſe totum, non eſt totum, neque illa, quam putat partem, eſt pars; tamen non deciperetur in apprehenſione ſimplici termini totius, & partis, ſub quibus illas res apprehendit, quia in hoc non ſequitur, neque pendet a ſenſu. Et conſequenter faciendo compoſitionem vniuerſalem ex illis terminis: totum eſt maius ſua parte; non deciperetur, ſed eſſet vera complexio; & intellectus illi aſſentiret; & certo ſciret illam complexionem eſſe veram, non ſolum quia vidit terminos coniunctos in re, ſicut aſſentit iſti, ſortes eſt albus; (hoc enim credit eſſe veram, quia vidit hos terminos in re eſſe vnitos) ſed quia ſemper haberet apud ſe termi-

An intellectus decipiatur, ſi ſenſus decipitur. Solutio.

nos,

Digitized by Google

nos, qui eſſent cauſa veritatis. Dat exemplum Scotus de cęco nato, cui miraculosè eſſent impreſſæ ſpecies albedinis, & nigredinis, & illæ remanerent poſt in vigilia, intellectus enim cęci poſſet abſtrahere ab illis ſpeciebus ſpecies vniuerſales albedinis, & nigredinis, & facere hanc compoſitionem, album non eſt nigrum, & circa illam non deciperetur. licèt termini accipiantur à ſenſu potente errare, & quandoque errante.

47 Ratio autem, propter quam intellectus non deciperetur circa rationem formalem terminorum, & circa compoſitionem ipſorum inter ſe, licèt ſenſus decipiatur, eſt, quia illa notitia intellectus non pendet à ſenſu tanquam à cauſa; ſolus enim intellectus cum obiecto cauſat notitiam intellectiuam. ſed ſenſus ſolum eſt occaſio, vt intellectus habeat talem cognitionem: quia intellectus non poteſt habere notitiam terminorum ſimplicium niſi acceptam à ſenſibus. *Ratio propter quam, ſi ſenſus decipiatur tamē itellectus poteſt non decipi.*

48 Sed contra hanc doctrinam arguit Mirandulanus vbi ſupra. Primò, falſum eſſe ſenſum ſolum eſſe occaſionem intelligendi ipſi intellectui: ait enim eſſe cauſam. Quod probat, quia occaſio propriè ſecundum latinos, & græcos eſt idem quod tempus oportunum, eo modo, quo Medici exponunt illud Hippocratis, occaſio præceps ideſt tempus oportunum applicandi medicinam eſt præceps. Quis autem inquit non videat, quod ſenſus hoc modo non poteſt rectè dici occaſio, vt intellectus intelligat? Deinde ipſe Scotus fatetur intellectum non poſſe habere ſimplicium notitiam, niſi acceptam à ſenſibus; hoc autem ideo eſt; quia ſenſus tradit, & miniſtrat id quo ille vtitur: hoc autem eſt eſſe cauſam notitiæ intellectus. Secundò inquit, illud exemplum Scoti de toto, & parte facit contra Scotum: quia non eſt compertum aliquid eſſe totum, & aliquid eſſe partem: niſi quia ſenſus in re iudicauit hoc eſſe totum, & hoc eſſe partem. *Prima obiectio Mirandulani.* *Secunda obiectio Mirandulani.*

49 Obiectiones iſtæ nullæ ſunt. Non prima, quia occaſio hìc non accipitur a Scoto eo modo, quo ab Hippocrate ſcilicet pro oportunitate temporis aliquid faciendi; ſed accipitur pro cauſa excitante, & mouente ad operandum ipſum intellectum: ſenſus enim cum moueatur ab obiecto ſenſibili mouet etiam intellectum per præſentationem obiecti ſui, vt intellectus, deinde producat intellectionem ex ipſo obiecto; Vnde ſenſus non cauſat intellectionem, ſed eſt intellectus, qui excitatus a ſenſu deinde producit intellectionem ſuo modo de obiecto præſentato. Quo fit vt concedere poſſimus Mirandulano, ſenſum eſſe cauſam excitantem, & promouentem intellectum ad cauſandum intellectionem, non tamen eſſe cauſam productiuam, & effectiuam eiuſdem intellectionis. Vnde licèt ſenſus erret in iudicando obiectum, & in præſentando illud intellectui, non tamen ſequitur, quod *Reſponſio.*

M deinde

deinde intellectus in producendo ſuam intellectionem de illo obiecto debeat decipi: quia, vt dictum eſt, ipſe apprehendit rationes terminorum præſentatorum, vt ſunt, & illas componit, & diuidit, prout illæ rationes habent inter ſe conuenientiam, vel diſconuentiam, & ſic non decipitur, cum terminorum rationes ſunt claræ, & euidentes.

50 Quod autem Mirandulanus ait nullam eſſe euidentiam in terminis eſt omnino ridiculum: quia certum eſt, conceptus eſſe communes apud oẽs, licèt verba ſint diuerſa ex primo Perhiermenias, ideo ſimplex apprehenſio terminorum eſt eadem apud omnes, & conſequenter eſt clara quoad multos terminos.

Ad ſecundũ. 51 Ad ſecundum. Reſpondetur, quod, etſi ratio totius, & partis, etiam ſenſu comprehendatur, tamen non ſequitur, quod ſolo ſenſu nota ſit ratio totius, & partis: immo hoc eſt opus ſolius intellectus, qui imponit nomina rebus, & ſimplicium conceptus format. ſenſus enim ſolum qualitates apprehendunt; ſed de terminis, & rationibus ipſorum nihil agunt. Vnde prima operatio intellectus ſecundum ſcientes eſt ſimplicium apprehenſio.

Dari certitudinem incognitis per experientiam. 52 Quo ad ſecundum principale, nimirum dari certitudinem ſinceram abſque admixtione falſitatis in cognitione per experientiam, non quidem in omnibus, ſed in aliquibus, probat Scotus ponendo hãc aſſertionem. Licèt experientia non habeatur de omnibus ſingularibus, ſed de pluribus, neque quod ſemper, ſed quod pluries: tamen expertus infallibiliter nouit, quod ita eſt, & quod ſemper, & in omnibus. Hanc aſſertionem probat ſic. Quicunque cognoſcit aliquem effectum per cauſam ſuam naturalem à qua procedit, neceſſariò ille habet notitiam certam, & infallibilem de tali effectu; ita quod certus eſt, notitiam illam eſſe conformem rei in ſe. ſed ſic eſt quod expertus per experientiam cognoſcit effectus aliquos per cauſas naturales, a quibus neceſſariò tales effectus cauſantur; ergo expertus habet notitiam certam, & infallibilem de huiuſmodi effectibus, quos per huiuſmodi cauſas cognoſcit. Maior propoſitio eſt per ſe euidens. Quicunque enim cognoſcit aliquem effectum per cauſam naturalem, & neceſſariam talis effectus, & quæ non poteſt non cauſare talem effectum, habet certiſſimam notitiam, & infallibilem de tali effectu. In hac propoſitione nulla eſt dubitatio, quia ſubiectum continet prædicatum. Minor probatur. Hæc propoſitio eſt innata, & quieſcens in anima. Quiquid euenit vt in pluribus ab aliqua cauſa non libera eſt effectus naturalis illius cauſæ. Hæc propoſitio eſt per ſe nota intellectui, quia cauſa non libera, ſed naturalis non poteſt producere vt in pluribus effectum, ad cuius oppoſitum ordinatur, ſeu ad quem ex forma ſua non ordinatur; cauſa autem, quę caſualiter cauſat, non ordinatur ex forma

ſua

ſua ad talem effectum; ideo ſi eſt naturalis, & non libera, non poterit producere illum effectum vt in pluribus, ſed raro. At expertus per experientiam inuenit quod talis effectus euenit, vt in pluribus à tali cauſa, quæ non eſt libera; ergo certo cognoſcit, quod ille effectus prouenit ab illà cauſa naturaliter, & quod ex ſua forma ordinatur ad illũ effectum, & conſequenter ſcit, quod talis cauſa eſt cauſa neceſſaria, & infallibilis talis effectus; ergo ſcita per experientiam habent ſinceram veritatem. Minor patet ex deſcriptione nominis experientiæ. Experientia enim eſt, quando quis cognoſcit, quod aliqua natura in diuerſis accidentibus ſemper producit eumdem effectum. ex. g. videmus, quod ignis producit calorem in lignum, in ferrum, in carnem, in oſſa, in aquam, in aerem, de die, de nocte, & ſimilia, quæ diuerſis accidentibus ſunt affecta, & ignis non eſt cauſa libera, ſed naturalis; ex hoc concluditur, quod calefacere prouenit à natura ignis naturaliter, non autem ſecundum accidens per accidens. Hæc concluſio habet euidentiam ex experientia.

Subiungit deinde Scotus, quod experientia quandoque prius innoteſcit concluſio, quàm principia: quandoque prius innoteſcunt principia, quàm concluſio: vt quando concluſio ſcitur per experientiam prius quàm principia: quandoque contingit, quod habita notitia concluſionis procedatur per viam diuiſionis ad inquirendum principia nota ex terminis, ex quibus pendet talis concluſio, vt docet Ariſt. 2. Poſteriorum cap. 14. & tunc talis concluſio certius ſcitur, quàm prius: quia prius ſolum ſciebatur quo ad quia eſt, ſed ignorabatur propter quid eſt; At habita cognitione principiorum ex terminis, à quibus ipſa concluſio pendet, ſcit etiam, propter quid eſt. Res patet exemplo. Experientia patet quod luna eclipſatur frequenter. tunc inquiritur cauſa: eſt autem per ſe notum, quod luminoſum obſcuratur per corpus opacum interpoſitum inter corpus illuminans, & illuminatum, & conſequenter, quod luna eclipſatur, quia inter illam, & ſolem interponitur aliquod corpus opacum. tunc per viam diuiſionis proceditur ad inueſtigandum quodnam ſit tale corpus, quod ſic interponitur, & reperto tandem quod eſt terra, certiſſime tunc ſciet hanc concluſionẽ, luna eclipſatur, ſeu luna eſt eclipſabilis. Eam enim nedum ſciet experientia, qua vidit ipſam frequenter eclipſari; ſed eam ſciet propter quid, quia ſcit ipſam per cauſam, quæ eſt interpoſitio terræ inter ſolem, & lunam.

53 Quandoque vero experientia prius fit de principijs, quàm de concluſione, & tunc non contingit amplius ire ad inueſtigandum alia principia notioria, ſeu nota ex terminis, ſed ſtatur in illo principio noto experientia, & vt in pluribus. Exemplũ. Expertus eſt quis frequen-

ter, quod herba talis ſpeciei eſt calida; nec inuenitur aliquod medium per quod demonſtretur demonſtratione propter quid talis paſſio de tali ſubiecto ſcilicet illam herbam eſſe calidam, ſed ſtatur in illo, ſicut in primo noto propter experientiam, & tunc per illam experientiam tollitur incertitudo, & fallibilitas, an talis effectus proueniat à tali cauſa naturali ſcilicet caliditas ab herba illa, ſed certiſſime ſcitur, quod ab illa prouenit, & ſuper illam experientiam formatur propoſitio vniuerſalis, herba talis ſpeciei eſt calida: ſubiungit tamen Scotus, quod hic eſt gradus vltimus cognitionis ſcientificè, & quod forte in ea cognitione per experientiam non habetur cognitio neceſſaria actualis vnionis extremorum, ſed tantùm aptitudinalis; ita quod per experientiam expertus ſcit certo ſolum, quod talis paſſio eſt apta nata ineſſe tali ſubiecto, non autem, quod neceſſariò actu inſit: quia ſi paſſio eſſet res abſoluta diſtincta à ſubiecto, poſſet ſine contradictione ſeparari à ſubiecto, & ſic expertus non haberet cognitionem, quia ita eſt, ſed ſolum, quia aptum natum eſt ita eſſe. Concludit ergo quod principia nota per experientiam ſunt certa, licèt non ſint ita certa ſicut principia nota ex terminis; & idem dicendum de concluſionibus notis ſolum experientia, non autem ex principijs notis ex terminis.

Reſponſio Mirandulani. Ioannes Picus Mirandulanus eodem libro 5. cap. 5. hanc rationem Scoti omnino falſam, & nullam habere vim contendit: inquit enim in collectione ex experientia comitti fallaciam cōſequentis: neque enim valet à minori numero argumentari, & à paucis ad maiorem numerum, & ad plurima; ſed eſt fallacia conſequentis: Quia bene numerus maior continet minorem, non è conuerſo. Valeret quidem conſequentia, ſi ex experientia in omnibus inferremus plurima eo modo ſe habere, non autem cum ex multis, aut ex plurimis inferrimus omnia. Et eodem lib. cap. 13. adducit multa exempla ad probandum fallaciam comitti in deductione propoſitionis vniuerſalis ex aliquibus ſingularibus notis experientia. Nam ſi inducas mille animalia, immo ſex millia animalium, quæ inferiorem mandibulam moueant, non potes inferre; ergo animal omne mouet inferiorem mandibulam: quia vnus Crocodillus ſuperiorem mandibulam mouet. Item ſi noueris experientia decem mille ſpecies animalium habere os, non propter hoc licèt inferre omne animal habet os, quia cicada teſte Ariſt. 4. de natura animalium, ore caret.

Confirmatio. 54 Confirmatur. quia regula conſtituendi propoſitionem vniuerſalem eſt per inductionem ſingularium illam colligere; vt dicendo Sortes eſt riſibilis, Petrus eſt riſibilis, & ſic de alijs; ergo omnis homo eſt riſibilis. At niſi omnia ſingularia inductione colligantur, fit fallacia petitionis principij, quia qui negat propoſitionem vniuerſalem, vt

hominem

Digitized by Google

hominem ridere, etiamſi magnum numerum hominum induxeris, qui rideant,& remaneat vnus,dicet illum non ridere,& ſic falſam eſſe illam deductionem vniuerſalis propoſitionis ex illis pluribus particularibus.

55 Confirmatur adhuc, quia exemplum illud herbæ, de qua per experientiam deducitur,quod ſit calida,poteſt quis rectè inferre propoſitionem vniuerſalem, quia non ſufficit facere experientiam in aliquibus, vel pluribus, ſed in omnibus, alioquin committeretur fallacia petitionis principij, quia poteſt contingere, quod aliqua herba eiuſdẽ ſpeciei non ſit calida. Exemplum eſt. Firma,& vniuerſalis propoſitio Medicorum eſt quod reubarbarum purget coleram: nihilominus ſunt aliqui homines, qui epoto reubarbaro nullam ſentiunt ventris emiſſionem. Idem habetur in multis alijs: nimirum, quod vni homini eſt ſalubre vt allium, alteri ſit nociuum. Vnde videtur clarum eſſe ex pluribus experientijs non poſſe deduci propoſitionem vniuerſalem, ſed eſſe neceſſarium enumerare omnia ſingularia, quod eſt impoſſibile viribus naturalibus. *Alia confirmatio.*

Iſtæ reſponſiones, & obiectiones nullius momenti ſunt. Nam,vt dicebat Scotus, hæc propoſitio quieſcit in anima. omne quod euenit vt in pluribus ab aliqua cauſa non liberè, eſt effectus naturalis illius cauſæ. Et ratio eſt,quia cauſa non libera non poteſt vt in pluribus producere aliquem effectum, ad quem forma illa non ordinetur. Vnde ea cauſa,quæ cauſaliter producit aliquem effectum ex ſua forma ad illum effectum non ordinatur; ideo illud producit rarò, quia non naturaliter,ſed per accidens illud producit. Vnde ad propoſitum ſi expertus à pluribus ſingularibus alicuius ſpeciei videbit prouenire eundem effectum, quia ſingularia illa illum effectum producunt per formam per quam conſtituuntur ineſſe, certo deducere poteſt illum effectum naturaliter prouenire ab illa forma, & conſequenter vniuerſaliter ſingularia omnia talis ſpeciei, quia habent eandem formam, naturaliter, & neceſſariò cauſare illum effectũ. Et hoc niſi ſit aliqđ impedimentũ. *Reijciuntur allatæ reſponſiones.*

56 Et per hoc reijcitur inſtantia Mirandulani:licèt enim quandoque in aliquo ſingulari eiuſdẽ ſpeciei non videamus à forma eius produci eundem effectum, vt reubarbarum aliquod non purgare colerã, vel aliquam herbam calidam non calefacere, dicendum eſt hoc prouenire ex aliqua cauſa accidentali impediente ne calefaciat actu. Attamen non ſequitur quin ſit apta nata ex ſe producere illum effectum, vt actu calefacere, niſi ſit impedita. Et propter hoc Scotus optimè dixit,quod expertus per experientiam nõ ſcit, quia eſt propriè ſemper, ſed ſolum quia aptum natum eſt rem ſic eſſe, ſeu talem paſſionem aptam natam ineſſe tali ſubiecto, non autem ſem per actu ineſſe. *Ad inſtantiam Mirandulani.*

Digitized by Google

Ad confir- mationes. 57 Quod autem adducit contra deductionem propoſitionis vniuerſalis ex inductione ex eadem ratione, conuincitur eſſe nullius momenti. Quoniam facta enumeratione ſingularium eiuſdem ſpeciei, vt in pluribus, quod aliqua paſſio competat illis, abſque fallacia conſequentis optimè deducitur propoſitio vniuerſalis, quod cõpetat omnibus illius ſpeciei aptitudinaliter. Quia cum forma illius ſpeciei vt in pluribus producat illum effectum, ſeu emittat illam paſſionem, ſignũ euidens eſt, quod ordinetur naturaliter ad illum effectum, & paſſionẽ producendam; & quando illum effectum, vel paſſionem non producit actu, impediri ab aliquo extrinſeco agente, vel accidente; tamen habere aptitudinem ad illum effectum producendum; & ſic erit vera propoſitio vniuerſalis aptitudinaliter, licèt non actualiter. Quod confirmatur. Quia ſi quęratur, quare illa forma producat vt in pluribus illum effectum, vt quod Reubarbarum purgat coleram, certè non poteſt alia ratio adduci, niſi quia naturaliter inclinatur ad illam producendam; ergo ſi naturaliter ordinatur ad illam, ſemper, & neceſſariò producet, niſi impedita ſit. Et certè hæc ratio conuincit.

58 Quod autem adducit de illatione ex pluribus animalibus habentibus mandibulam inferiorem, &c. Non eſt ad propoſitum: quia animalia omnia non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed valdè diuerſarum. Vnde cum habeant varias formas ſpecificas, & corpora diuerſo modo diſpoſita, non eſt mirum, quod ex pluribus non poſſit inferri propoſitio vniuerſalis: quia experientia propriè fit ex ſingularibus eiuſdem ſpeciei, non ex ſpeciebus diuerſorum generum, niſi in quibuſdam effectibus, & proprietatibus valdè notis. vt ſi quis ſic inducat: homo eſt corporeus, bos eſt corporeus, leo eſt corporeus, & ſic de alijs, ergo omne animal eſt corporeum, patet, quod Mirandulanus non reperiet aliquod animal, quod non ſit corporeum. Addimus, quod non omnis experientia eſt verax, poteſt enim aliquis decipi in experimentis ſingularibus, putans effectum ſemper eundem eſſe, quod à diuerſis cauſis producitur, & decipi, ſed eſſe ſimilem, & tamen aliqualiter, vt ſæpè contingit in medicina; & proinde ſciẽtias, & artes eſſe difficiles, quia experimentum eſt fallax. At non propter hoc non debemus negare vniuerſaliter experientiam non generare notitiam certam, & vniuerſalem de aliquibus propoſitionibus: eſt.n. apertè contradicere rationi.

Dari cognitionem certiſſimam de actibus noſtris. 59 Quantum ad tertium principale Scotus probat dari certitudinem de actibus noſtris, non de omnibus, ſed de multis, ita euidenter ſicut de principijs per ſe notis. Hoc autem probat exemplis adductis ab Ariſt. & ratione eiuſdem Ariſt. 4. Met. tex. 26. Nam ibi Ariſtotiles diſputans aduerſus eos, qui dicebant omnia apparentia eſſe vera, & conſequenter contradictoria eſſe vera, & propter hoc negabant illud

primum

primum principium. Duo contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera; dicebat quod illi, qui deuenerunt in illam opinionem, in eam deuenerunt, quia exiſtimabant, quod nulla via daretur ad diſcernendum quæ opinio ſit vera, & quæ ſit falſa. Puta ſi aliquis dicit hunc eſſe ſanum, alius dicit eſſe infirmum, dicebant nullam viam dari poſſe ad certò ſciendum, an reuera ille eſſet ſanus, vel infirmus. Ariſtoteles autem ait, dubitare, an detur via diſcernendi quæ opinio ſit vera, & quæ ſit falſa, eſt ſimilis dubitationi, qua quis quæreret vtrũ nunc dormiens, vigilet; quæ eſt dubitatio inſulſa. Eſt enim de ſe euidens, quod quando quis dormit non vigilat. Vnde reprehendit eos Philoſophos, qui ſic dubitant, quod ideo errent, quia volunt per demonſtrationem ſciri id, quod eſt impoſſibile per demonſtrationem ſciri, ſed eſt per ſe notum. Ex hoc loco ergo habemus, quod actus iſti noſtri, dormire, vigilare ſunt per ſe noti. Et reuera qui negat nos certò cognoſcere noſmetipſos quando dormimus, & quando vigilamus, vt ſtultus eſt dimittendus. At inquit Mirandulanus aliquando dormimus, & videmur nobis vigilare, vt contingit per ſomnium. Sed hæc eſt obiectio inſulſa. Nam cum deinde vigilamus certò cognoſcimus, quod tunc cum dormiebamus reuera non vigilabamus; & denique omninò eſt certum, quod dormire non eſt vigilare. Certum eſt ergo aliquos actus noſtros eſſe ſimpliciter certiſſimos abſque vlla falſitate, & cognitio illorum eſt ſincera veritas ſicuti cognitio principiorum notorum ex terminis.

60 Quod dictum eſt de vigilare, poteſt dici de multis alijs actibus, qui ſunt in poteſtate noſtra, vt de me intelligere, de me audire, & ſic de alijs, qui ſunt actus perfecti: licèt enim non ſit certitudo, quod videam album extra poſitum vel in tali ſubiecto, vel in tali diſtantia, quia poteſt fieri illuſio vel in medio, vel in organo, & multis alijs vijs; tamen certum eſt, quod video, etiam ſi illuſio fiat in organo, ita quod putem videre album, & non ſit album, ſed alius color. Nam licèt cum ſit illuſio in organo; vt quando actus fit in organo ipſo non ab obiecto præſente, qualis natus eſt fieri ab obiecto præſente; ſi potentia tunc habet actum ſuum, poſita illa motione illuſoria, verè in potentia eſt illud, quod dicitur viſio; quodcunque illud ſit, ſiue actio, ſiue paſſio, ſiue vtrumque ſimiliter ſi fiat illuſio non in organo proprio, ſed in aliquo proximo, quod videtur eſſe organum ſenſus viſus, vt ſi fiat non in concurſu, & interſecatione neruorum opticorum, qui ſunt organum proximum viſus; ſed in corpore ipſius oculi, quod eſt organum remotum; adhuc in potentia viſiua erit viſio; quia ſpecies obiecti poſita in oculo eſſet in ſufficienti diſtantia, vt poſſet videri à potentia viſiua. (quòd probat auctoritate D. Auguſt. 11. de Trinitate cap. 2. aſſerente,

Digitized by Google

quod reliquiæ viſorum remanentes in oculo clauſo videntur: quæ reliquiæ ſunt ſpecies rerum viſarum, & per Ariſt. lib. de Senſu, & Senſibili cap. 2. aſſerentem, quod ignis, qui generatur ex eleuatione violenta oculi, & multiplicatur vſque ad palpebram clauſam, videtur.) iſtæ ergo ſunt ſufficientes viſiones, & certitudinaliter viſiones, licèt non ſint perfectiſſimæ viſiones: quia in his ſunt ſufficientes diſtantiæ ſpecierum ad organum principale viſus. Vnde licèt decipiatur circa obiectum, vt puta, quia iudicat obiectum eſſe rubeum, & tamē eſt album: non decipitur circa actum; ita quod non cognoſcat certò ſe videre aliquod obiectum, ſed ſcit certè ſe videre. & ſic ſequitur eſſe certum de actu videndi; licèt non ſit certus de obiecto tali, & tali viſo.

Dubitatio.

61 Cæterùm quis obijcere poſſet cognitionem huiuſmodi de actibus noſtris non eſſe certam, quia ſunt contingentes. De contingentibus autem non datur ſcientia. Reſpondet Scotus, quod in cognitionibus contingentibus datur ordo, ita quod deueniendum eſt ad vnam primam à qua aliæ pendent; vt dictum eſt in Prologo primi Sentent. quęſt. de ſubiecto; illa autē prima eſt certa, non quia habeat conexionem neceſſariam ex terminis; ſed quia in re videt de facto terminos eſſe connexos; ideo eſt notitia certa, & euidens.

Quomodo habeat certitudo de his, quę ſubſunt ſenſibus.

Sed quomodo habetur certitudo eorum, quæ ſubſunt actibus ſenſus, puta, quod aliquod album extra ſit verè album, & calidum ſit verè calidum, & huiuſmodi?

62 Reſpondet Scotus dans pulchras regulas ad cognoſcendum veritatem, & ad percipiendum quando ſenſus decipitur, & quando non. Inquit ergo quod cum obiectum aliquod ſenſibile offertur ſenſui, vel omnes ſenſus conueniunt illud obiectum eſſe quale apparet, & omnes ſenſus cognoſcentes illud obiectum faciunt idem iudicium, aut non; ſed aliquis facit iudicium, quod ſit vnum obiectum, & alius quod ſit aliud; puta, viſus dicit baculum exiſtentem in aqua eſſe fractum, & tactus dicit contrarium. ſi primo modo; tunc cognitio, quam habent omnes ſenſus de illo obiecto, eſt certa: tum quia omnes ſenſus conueniunt; tum quia propoſitio quieſcens in anima, quod effectus prouenięns ab aliqua cauſa, vt in pluribus naturaliter ab illa prouenit, certificat, quod immutatio illa ſenſus, ſeu ſpecies immutans ſenſum, ab illo obiecto prouenit naturaliter, & neceſſariò; & ſic obiectum extra erit tale, quale natum eſt repræſentari per ſpeciem genitam ab ipſo, vt in pluribus; adeo quod cognitio obiecti erit conformis ipſi obiecto, & conſequenter cognitio erit certa, & ſincera.

Senſus errās quomodo corrigatur.

63 Si vero aliter apparet obiectum vni ſenſui, & aliter alteri; ita quod immutatio, & iudicium ſenſus ſint diuerſi, tunc ſemper poteſt inueſtigari, quis ſenſus erret, & quis non per aliquam propoſitionem quie-

quieſcentem in anima certiorem, quàm ſit omne iudicium ſenſuum; & ſimul per plures actus ſenſuum conuenientes, & ſic poteſt corrigi ſenſus errans ab intellectu. Exemplum. Senſus viſus iudicat baculum exiſtentem partim in aqua, & partim in aere eſſe fractum; ſenſus verò tactus iudicat non eſſe fractum; intellectus cognoſcit quis ſenſus erret, & quis non per hanc propoſitionem quieſcentem in anima; nullum durius frangitur ad tactum alicuius mollis ſibi cedentis; quæ propoſitio eſt nota per ſe ex terminis, vt patet. (& eſt ita certa, quod etiam, ſi termini eſſent accepti à ſenſibus errantibus adhuc complexio iſta eſſet certa intellectui, quia conceptus ſimplex termini non poteſt eſſe falſus, quia veritas, & falſitas eſt in compoſitione, non in terminis ſimplicibus, ideo licèt ſenſus repræſentaret album pro flauo; tamen ratio, & ſignificatum albi, & flaui non poteſt aliter repręſentari; & ſic licèt termini acciperentur à ſenſu errante, tamen compoſitio propoſitionis eſt certa, & neceſſaria) ſumpta illa propoſitione pro maiori, ſubdit minorem notam ab vtroque ſenſu ſub illa ſic: ſed baculus eſt durior aqua, & aqua eſt mollis, & cedit ligno; hoc enim cognoſcitur ab vtroque ſenſu tanquam verum certum; ex his autem ſequitur concluſio certa, quod baculus exiſtens partim in aqua, partim in aere non eſt fractus. Et ſic intellectus certò cognoſcit quis ſit ſenſus, qui decipitur, & qui non; & hoc cognitione certiori, quàm ſit omnis cognitio ſenſus.

64 Exemplum aliud. Viſus ſemper dicit ſolem eſſe quantitatis minoris, quàm ſit. & omne viſum à remotis ſemper eſſe minoris quantitatis, quam ſit; tactus autem dicit eſſe eiuſdem quantitatis tam à remotis, quàm à propinquis. Quis horum ſenſuum decipiatur intellectus cognoſcit per propoſitionem hanc quieſcentem in anima, quod idem quantum applicatum quanto, ſeu propinquo, ſeu remoto, ſemper eſt idem quantum, ſeu eſt ſemper æquale ſibi, nec augetur, ne minuitur. Ex hac propoſitione quieſcente in anima accepta pro maiori ſubiungit minorem notam vtrique ſenſui viſus, & tactus, idem quantum poteſt applicari viſo propinquo, & viſo remoto; ex his autem ambobus ſequitur, quod idem quantum tam propinquum viſo, quàm remoto eſt idem quantum, ſeu ęquale ſibi; & conſequenter cognoſcitur, ſenſum viſus errare dum ſolem abſentem iudicat minorem, quàm cum eſt propinquus, & omne quantum remotum eſſe minus quantũ, quam cum eſt propè. Maior propoſitio eſt certa, quia eſt cognita ex terminis. Minor vero eſt quoque certa, quia illam vterque ſenſus cognoſcit eſſe veram, ſaltem vt in pluribus, & ſic ex cognitione per ſe nota ex terminis, & ex actibus ſenſuum, qui etiam ſunt certitudinaliter noti, quia eueniũt, vt in pluribus, habetur certitudinaliter quãdo ſenſus errat, & qñ eius cognitio eſt vera, & ſincera ſine admixtione falſitatis.

Aliud exemplum.

Ioan-

Digitized by Google

Obiectiones Mirandulani aduerſus certitudinem cognitionis ſenſus.

65 Ioannes Picus Mirandulanus lib.5. Examinis vanitatis doctrinę gentium cap.2.& 5.diſputans aduerſus inſtrumentum demonſtrationis pariens ſcientiam, eam euertere, & nihil certo facere ſcire nititur ex eo medio præcipuo, quod eius principia innitantur ſenſuum cognitione, quæ, quia eſt fallax, & incerta, demonſtratio quoque ruat. Quod autem demonſtratio innitatur cognitione ſenſitiua probat ex multis auctoritatibus Ariſt.aſſerentis nihil eſſe in ſenſu, quin prius fuerit in intellectu; rurſus oẽm cognitionẽ humanã habere ortum à ſenſu, & eum, qui caret vno ſenſu, carere cognitione eorum omnium, quę ad illum ſenſum pertinent: & intelligentem oportere phantaſmata ſpeculari; quodq; vniuerſalem propoſitionẽ neceſſarium ſit colligere ex ſingularibus notis ſenſui, & ſimilia. Quod autem cognitio ſenſuum ſit omnino fallax, & nullius certitudinis, ſed probabilitatis tantùm, & quod proinde effectus demonſtrationis, qui eſt ſcientia, ruat, probat quinque vijs. Primò, quia ipſemet Ariſt. ſæpe fatetur, ſenſum decipi, & ratione corrigi. Secundò, auctoritate multorum Philoſophorum, qui dixerunt iudicium ſenſus eſſe incertum, vt fuerunt Accademici, & Sceptici quorum argumenta adducit eodem opere libro 2. cap.22. & 23.& quorum præcipua ſuperius adduximus. Tertiò, quia homines de proprijs ſenſibus ſæpe ambigunt an ſæpe viderint, tetigerint quæ ſibi vidiſſe, & tetigiſſe videntur. Quartò, quia cum verè ſentiũt, adhuc tamen dubitant quomodo ſentiant, & quinam, & quot ſint ſenſus in dubium vertatur. Tandem Quintò, & hæc eſt ratio efficacior, qua maxime innititur: quia ſenſus ipſi nimirum ſenſorium continuo mutatur, & ex diuerſo temperamento conſtant; ideo iudicium vniforme habere non poſſunt. ſimiliter obiectum ipſum, vt coloris, qui obiectum viſus eſt infinities variatur in ſe ex diuerſa mixtione: & demũ quia medium, quo ſpecies obiecti defertur ad ſenſum, eſt quoque mutabile; ideo non poteſt vna certa regula haberi, iudicium particulare ſenſus eſſe verum, & certum, & eſſe conforme rei ipſi extra.

Ratio præcipua Mirandulani.

Solutio.

66 Cęterùm omnes illæ obiectiones ruunt ex fundamento allato à Scoto, nimirum eſſe propoſitionem quieſcentem in anima; id quod euenit in pluribus à cauſa non libera, naturaliter ab illa forma, & natura euenire, quia non poteſt vt in pluribus efficere effectus ad quos non ordinetur. Ideo cum nos videamus vt in pluribus idem eſſe iudicium de aliquibus ſenſibilibus ab omnibus ſenſibus, dicendum eſt, quod tũc illa cognitio ſenſuum eſt certa, & prouenit à potentia illa ſenſitiua naturaliter, & conſequenter certiſſimum eſt rem ad extra eo modo ſe habere. Exemplum. Plures homines ſentiunt ægrotantem febri eſſe calidum ſupra ordinarium caliditatis naturalis hominis ſani; ergo licèt aliquis vnus tangens illum ægrotum iudicaret non eſſe ita cali-

dum

Digitized by Google

dum, non ob hoc fieret, quin reuera ille ægrotus eſſet calidus vltra modum, & conſequenter, quod reliqui omnes deciperentur, quia cum in pluribus eueniat quod ſentiunt, & iudicent illum eſſe calidum ſupra naturalem gradum, ſignum eſt certum obiectum illud ex parte rei eo modo ſe habere; quia potentia ſenſitiua tactus in illis pluribus habet idem iudicium; ergo illud obiectum naturaliter prouenit, & conſequenter certum eſt. Reſpondetur ergo quod quando ſenſus aliquis facit effectum aliquem, ſeu iudicium diuerſum ab eo, quod ſolet, vt in pluribus; & ab eo quod alij plures eiuſdem ſpeciei faciunt, hoc euenit ex aliqua cauſa accidentali, quæ, quia ſunt incertæ faciunt ſcientiam difficilem. Eueniunt enim, vel quia facta eſt aliqua alteratio in organo, vel in medio, vel in obiecto; ideo hæc accidentalia non prohibent ea, quæ per ſe ſunt; neque quia in illis, quæ raro accidunt eſt diuerſitas ab ijs, quæ naturaliter eueniunt, ea quæ naturalia ſunt, ſunt minus vera. Atque res hæc eſt adeo certa, vt homines ſtulti, vel obſtinati ſit oppoſitum ſentire; & negantes iſta egent potius verberibus, quàm rationibus; quia iſta per ſe nota ſunt, neque demonſtrari poſſunt; vt longe Ariſt. docuit 4. Met. à tex. 19. vſque ad 26. vt ſupra diximus.

Rationes pro opinione Henrici ſoluuntur. Caput Sextum.

IN tertio articulo illius quæſtionis Scotus ſoluit rationes adductas ab Henrico pro ſua opinione; ſupra enim probauerat, quod ſi concluderent, concluderent pro opinione Accademicorum, quam oſtendit eſſe falſam; ideo eas quoque nunc nullo modo concludere oſtendere vult. In 4. artic. deinde opinionem ipſam Henrici in ſe confutat, quæ duo nos in hoc capitulo abſoluemus.

Ad primam ratioṅe Henrici.

Quo ad primum. Reſpondet Scotus ad primam rationem, quæ deſſumebatur ex ratione mutabilitatis exemplaris creati, falſum eſſe exemplar creatum mutari, ac illam opinionem fuiſſe D. Auguſtini; fuit enim non D. Auguſtini, ſed Heracliti, & diſcipuli ſui Cratilli, qui nolebant loqui, ſed digitū mouere, vt habetur ab Ariſt. 4. Met. tex. 22. putabant enim quod res mutaretur priuſquam oratio explicans eam, compleretur; & ſic dicebat omnem orationem eſſe falſam. digito autem volebat ſignificari, quia motus ille eſt velox. Præterea, inquit Scotus, dato, quod antecedens illud eſſet verum, conſequentia eſt nulla, quia tunc ſaltem eſſet vera iſta propoſitio, omnia mouentur, vt ibidem Ariſt. infert contra Heraclitum. Præterea falſum eſt, quod ſi obiectum eſt mutabile, quod etiam ſpecies genita ab ipſo non poſſit repræſentare ipſum ſub aliqua ratione immutabili: Nam ſpecies illa repræſentabit obiecti naturam per ſe; Vnde ſi natura illa, vt natura, & vt

& vt ens tale habet aliquam habitudinem immutabilem ad aliquod aliud, vt puta, homo habet habitudinem neceſſariam, & immutabilem ad animal, ad ſubſtantiam &c. quia homo neceſſario eſt ſubſtantia vna, animal, & huiuſmodi, ſpecies repræſentabit illam habitudinem neceſſariam, & immutabilem; ergo licèt homo in ſe ſit mutabilis; tamen illa habitudo ad animal eſt immutabilis in ipſo, & etiam natura animalis habet habitudinem neceſſariam ad hominem; ergo ſpecies, ſeu exemplaria repræſentantia has duas naturas, non vt mutabiles ſunt, ſed vt naturæ tales ſunt, repræſentabunt verum, & eo modo, quo ſe habet res ex parte rei, & ſic ex his exemplaribus genitis à duabus rebus mutabilibus poteſt haberi notitia vnionis immutabilis eorum ad inuicem.

68 Confirmat hanc reſponſionem: quoniam non eſt inconueniēs, quod aliqua ſpecies, & exemplar in ſe mutabile poſſit repræſentare aliquod immutabile. Nam eſſentia diuina eſt in ſe immutabilis, & tamen repræſentatur intellectui beato per aliquid omnino mutabile, ſiue illud ſit ſpecies ſecundum aliquos, ſiue ſit actus beatificus. Confirmatur etiam a ſimili. Quia aliquid finitum poteſt repræſentare aliquid infinitum: ita ad propoſitum. licèt exemplar, & ſpecies alicuius entis ſit in ſe mutabilis, & illa res quoque ſit mutabilis, quia tamen eſt in ea aliqua natura immutabilis, illa poteſt repræſentari per exemplar, & ſpeciem mutabilem. Dato ergo caſu, quod homo continuè mutetur, tamen adeſt aliqua entitas in ipſo, quæ non mutatur, vt quod eſt rationalis, quod eſt diſcurſiuus, quod eſt viuens, & huiuſmodi, iſta ſunt immutabilia, & conſequuntur eum: & dato quod aliquid ſit mutabile, non ob id ſequitur, quia poſſit repræſentari ſub ratione immutabili, & ſic verè cognoſci. Subiungit tamen Scotus art. 6. eiuſdem quæſtionis, quod iſta ratio prima Henrici, quatenus ſumitur à D. Auguſtino, habet aliquem ſenſum bonum, ſed diuerſum ab eo, quem intendebat Henricus: & eſt hic, Quod à ſenſibilibus, vt à cauſa per ſe, & principali non eſt expectanda veritas ſincera: Quia, vt dicam explicando opinionem Scoti, notitia ſenſus eſt circa aliquid per accidens, licèt aliqui actus ſenſuū ſint certi, & veri; ſed virtute intellectus agentis, qui eſt participatio lucis increatæ, quæ per influentiam generalem agit, illuſtrando phantaſmata, cognoſcitur quidditas rei; & ex hoc habetur ſincera veritas. Diuus Auguſtinus autem non plus vult, quàm quod ex ſenſibus ipſis cernentibus quidditates rerum, ſolum inuolutas accidentibus, vt ſic non poteſt haberi ſincera veritas; at non negat per illuſtrationem intellectus agentis, quæ fit per abſtrationem, haberi ſinceram veritatem, vt dicemus explicando opinionem Scoti.

Ad 2. rationem Hẽrici.

69 Ad ſecundam rationem Henrici deſumptam ex mutabilitate

animæ

Digitized by Google

animæ. Reſpondet Scotus, quod in anima poteſt intelligi duplex mutabilitas. Vna à negatione ad affirmationem, vt ab intellectione ad non intellectionem, & è conuerſo, & deniqne ad diuerſos actus ſecundum diuerſitatem obiectorum, ad quos eſt illimitata. Alia à contrario in contrarium, vt à rectitudine ad deceptionē, vel è conuerſo ideſt quod ſit mutabilis reſpectu primorum principiorum, quorum veritas nota eſt ex terminis, & concluſionum euidenter deductarum ex terminis ad contrarium ſcilicet à vero ad falſum. In anima poteſt poni prima mutatio abſolutè reſpectu cuiuſcunque obiecti, quia per nihil exiſtens in anima, ipſa determinatur, ita quod non poſſit circa quodcunque obiectum habere affirmationem, vel negationem, & de quocunque non poſſit habere cognitionem, vel ignorantiam. Conceditur ergo quod anima ſit mutabilis ab ignorantia ad ſcientiam, & à ſcientia ad ignorantiam, & de quacunque re poſſit modò affirmare, vel negare, & ad quoſcunque actus ad quos eſt illimitata. At ſecunda mutabilitas, quæ eſt ab errore ad rectitudinem, ſiue à falſitate ad veritatem, & è conuerſo non poteſt poni in anima reſpectu omnium obiectorum, ſed ſolum reſpectu eorum, quæ ex terminis, non ſunt euidentia. At reſpectu eorum, quæ ex terminis ſunt euidentia, eſt impoſſibile, quod à veritate mutetur ad falſitatem: quia termini apprehenſi ſunt cauſa neceſſaria conformitatis complexionis ad ipſos terminos. Licèt ergo anima ſit mutabilis à rectitudine ad errorem ſimpliciter, & abſolutè: tamen quoad illa obiecta, quæ ex terminis nota ſunt, non poteſt à rectitudine verti in errorem, & falſitatem: ſed per iſta principia nota ex terminis poteſt ſe rectificare, & verum à falſo diſcernere. Et, vt ait Scotus art. 6. eiuſdem quæſtionis, regulæ intellectus agentis intellectum rectificant, & ipſa ſpecies intelligibilis terminorum, licèt in eſſendo ſit mutabilis, in repræſentando tamen in lumine intellectus agentis immutabiliter repræſentat, & ſic per duas ſpecies intelligibiles terminorum primi principij ſcilicet ſubiecti, & prædicati cognoſcitur connexionem, illorum ad inuicem eſſe veram, & certam euidenter.

Ad tertiam rationē Henrici.

70 Ad tertiam, quæ deſumpta eſt ex ſpecie, quæ poteſt repræſentare ſe tanquam ſe, vel tanquam obiectum. Reſpondet Scotus, hanc rationem magis facere contra Henricum, qui negabat ſpeciem intelligibilem, & ponebat ſolum phantaſma concurrere ad cauſandum intellectionem: quia illa ſpecies, & exemplar, quod poteſt repræſentare ſe tanquam obiectum, & facere deceptionem in nobis eſt phantaſma, non ſpecies intelligibilis. Probatur, quia ſolum in ſomnijs, & phreneticis ſpecies, & exemplar repræſentat ſe vt obiectum, non autem in vigilia, & in ſanis, neque enim quando homo vigilat apparet

ſibi

ſibi diſputare, vel loqui cum alio, vt contingit in ſomnijs: modò ſpecies, quæ ſic repræſentat ſe in ſomnijs tanquam obiectum eſt phantaſma, non ſpecies intelligibilis impreſſa: quia in ſomnijs non contingit vti illa, ſed ſolum in vigilia, & in actibus intellectus; in ſomnijs autem intellectus non operatur ſed eſt ligatus; phantaſia autem eſt, quæ laborat, & operatur. Ideò hæc ratio non concludit contra ponentes ſpeciem intelligibilem, ſicut ponit Scotus.

Obiectio. Sed replicat Scotus pro Henrico. Si obijciat quis ſic: phantaſma poteſt repræſentare ſe vt obiectum, vt conceditur, & eſt verum. ergo intellectus propter illum errorem virtutis phantaſticæ poteſt errare; vel ſaltem ligari ne poſſit operari, vt patet in ſomnijs, & phreneticis.

Solutio. Reſpondet Scotus breuiter, quod ſi per errorem in phantaſia ligetur intellectus, vt in ſomnijs, vel in vigilijs, vt in phreneticis, tunc intellectus non errat: quia cum ſit ligatus non operatur.

Quomodo cognoſcat quãdo phantaſia erret. 71 Sed contra hanc reſponſionem eſt obiectio: quia ſi intellectus ligatur cum phantaſia errat; ergo nunquam intellectus poterit cognoſcere quando phantaſia erret, & quando non erret. Quomodo ergo cognoſcet intellectus q̃n phantaſia errat? & cõſequẽter ipſe nõ erret?

Reſpondet Scotus, quod intellectus cognoſcit tunc phantaſiam nõ errare, quando vigilat, & non eſt indiſpoſitus, quia cognoſcit ſe vigilare, & non ſe habere ſicut in ſomnijs, ſiue non eſſe ligatum eius intellectum, ſicut eſt ligatus in ſomnijs. Hæc notitia eſt per ſe nota intellectui, non enim cognoſcitur per aliam notitiam, ſed per ſe: quia hæc propoſitio quieſcit in anima, potentia nõ errat circa obiectum proportionatum, niſi ſit indiſpoſita: notum eſt autem intellectui virtutem phantaſticã non errare in vigilia eo modo, quo errat in ſomnijs: video enim me certò videre, & audire, & ambulare, & ſimilia, quia non ſum indiſpoſitus; ideo eſt mihi per ſe notum, quod phantaſia non errat.

Obiectio. 72 Contra hoc argumentatur, quia ſæpè mihi videtur videre, audire, & ſimilia, & tamen neque video, neque audio; ergo falſum eſt quod ſit per ſe notum me in vigilia ſcire, quod phantaſia non errat.

Solutio ĩ qua ſtat reſolutio totius difficultatis. Reſpondet Scotus, & in hoc conſiſtit ſolutio totius difficultatis. Quod eſt per ſe notum quando phantaſia errat, & quando non errat; quia eſt per ſe notum, quando potentia eſt indiſpoſita, & quando non eſt indiſpoſita. Negare autem aliquam cognitionem, ſeu propoſitionẽ eſſe per ſe notam, eſt negare principium euidens per ſe, quod negare eſt proteruia, & obſtinatio; qui autem eſt proteruus, & obſtinatus nõ poteſt perſuaderi: quia non vult, ideo cum illo non eſt diſputandum. Licèt autem propoſitio iſta ſit per ſe nota. Intellectus cognoſcit, quãdo phantaſia eſt indiſpoſita, neque poſſit probari, ſicut neganti primũ principium, duo contradictoria non poſſunt ſimul verificari, non po-

teſt

Digitized by Google

teſt probari: quia eſt euidentiſſimum; nec aliquod aliud principium eſt certius per quod poſſit probari; tamen poteſt declarari per aliqua media magis manifeſta; ſicut Ariſtotiles probauit illud principium per media magis manifeſta ijs, qui illud primum principium negabāt, licèt non eſſent in ſe magis nota, & manifeſta. Nam 4. Met. tex. 9. & inde declarat illud principium eſſe verum, quia alioquin contraria ſimul inerunt eidem ſubiecto; erit enim ſimul calidum, & frigidum, ſanus, & æger, quæ ſunt inconuenientia magis manifeſta hominibus, quàm illud principium, duo contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera, licèt in ſe non ſint magis vera, & nota, quia eſt magis notum, quod Sortes ſimul, & ſemel non poteſt eſſe homo, & non eſſe homo, quàm quod non poſſit ſimul eſſe calidus, & frigidus. Ita ad propoſitum, licèt hæc propoſitio per ſe nota, intellectus cognoſcit quando phantaſia eſt indiſpoſita, non poſsit per ſe demonſtrari, quia non habet aliam propoſitionem priorem ſe euidentiorem, tamen poteſt declarari per aliqua, quæ nobis apparent magis manifeſta. e. g. Quis ſomniat de aliquo, quaſi de proximo obtinendo, vt quod cras ſit ducturus vxorem, vel venditurus poſſeſſionem; euigilans autem non proſequitur illud, ſicut proſequeretur, ſi ita eſſet proximus vigilando ad illud conſequēdum, vel faciendum; hoc ergo eſt ſignum euidens, quod cognoſcit tūc phantaſiam erraſſe. Item ſomniat aliquis ſe eſſe Deum, ſe eſſe Regē, & ſimilia, & tamen in vigilia videt hæc eſſe falſa, & conſequenter cognoſcit phantaſiam tunc erraſſe; & ſic de alijs. Dicendum eſt ergo ad dubium, neceſſarium eſſe concedere dari aliquam propoſitionem per ſe notam: quia hoc negare proterui eſt, neque omnium eſt demonſtratio, ſed aliqua ſunt per ſe nota. Certum eſt etiam phantaſiam noſtram, cum eſt indiſpoſita, poſſe errare circa quodcunque obiectum, ſicut patet in ſomnijs; igitur ad hoc, vt cognoſcatur quando aliquid eſt per ſe notum, neceſſe eſt quod cognoſci poſſit, quandō potentia eſt diſpoſita, & quando non: quia ſi hæc differentia ignoraretur, nunquā ſciremus quando errat intellectus, & quando non errat; quod tamen eſt falſum, vt diximus de eo qui ſomniat ſe eſſe de proximo aliquid facturum vel adepturum, quod tamen in vigilia non proſequitur. Ex actibus ergo noſtris cognoſci poteſt quando potentia errat, & quando non errat, qui actus ſunt ex ſe euidentes.

73 Ad formam ergo dubij reſpondet, quod eſt euidens per ſe, quando ego putans me videre, verè video; & quando putans me videre, vel audire, reuera non video, nec audio, quia ex actibus alijs eſt euidens quando potentia errat, & quando non errat. Vnde licèt ſemel erret putando ſe audire, & non audiat; non tamen ſequitur, quod deinde, quando verè audit, non verè audiat, & non cognoſcat ſe verè audire. *Ad formā dubii.*

Digitized by Google

audire. Vnde ex actibus veris cognoſcuntur actus non veri, & in quibus potentia decipitur, & corrigi debeat. Rectum enim eſt iudex obliqui, ideo actus veri per ſe noti, indicant qui ſint actus non veri, & in quibus potentia decipitur.

Ratio ergo illa tertia Henrici ſi concluderet, concluderet ſolum contra Henricum, qui ponit tantùm ſpecies ſenſibiles ſcilicet phantaſmata, non autem contra eum, qui ponit ſpecies intelligibiles, quia iſtæ repræſentant ſolum quidditates rerum; neque operantur in ſomnijs, & in phreneticis, vt ſupra vidimus: quia in his intellectus eſt ligatus: ſpecies autem intelligibiles ſolum operantur in intellectum, cum ab illo fiunt, & in eo recipiuntur. Deinde reſpondetur, quod ſpecies ſenſibiles, ſi non ſunt impeditæ, veraciter repræſentant rem. Obiectio autem de ſomnijs, & phreneticis non valet, quia clarum eſt, quod tūc ſenſus ſunt impediti: Non ſunt autem ſemper impediti, vt notum eſt ex actibus alijs per ſe notis, qui veri ſunt; ideo hæc ratio non concludit per ſenſibilia non poſſe haberi ſinceram cognitionem.

Solutio Rationum pro Accademicis primo capite allatarum. *Caput Septimum.*

74 EX dictis patet ſolutio ad rationes Accademicorum, quas primo capite adduximus: oſtenſum eſt enim omnia eorum fundamenta

Ad primā. eſſe falſa. Ad primam ergo negatur antecedens ſcilicet nullum dari iudicatorium certum, quo poſſimus diſcernere verū à falſo: oſtenſum enim eſt hunc eſſe tum intellectum, tum ſenſum. Et quamuis in aliquibus quandoque poſſit errare ſenſus, & intellectus ſequens ipſam, poſſit ipſe quoque errare; tamen oſtendimus nec ſenſum ſemper errare, neque intellectum decipi ſemper: quia dantur apud ſenſum, & intellectum aliquæ veritates per ſe notæ, vt principia nota ex terminis; principia nota per experientiam; & actus iſtarum potentiarum per ſe noti; vt videre in vigilia; & quando potentia non eſt indiſpoſita: quando autem ſit indiſpoſita poteſt cognoſci ex actibus per ſe notis, vt diximus in ſolutione tertiæ rationis pro Henrico capite præcedenti. Negare autem actus illos per ſe notos eſſe certos, non eſt hominis ingenui, ſed proterui, qui non vult perſuaderi: licèt enim voce, & verbis negetur eſſe certos, certè corde non poteſt negari, nec dubitari. Quod enim dum video cœlum, lucem, homines, &c. non ſim certus, quod video, vel dubitem, eſt mera ſtultitia. Similiter quod non ſim certus, quod video illam rem, quæ dicitur cœlum, & cum video Solem, non videam illam rem, quæ dicitur Sol (ſiue ſit Sol, ſiue non, vt hoc eis demus) eſt mera ſtultitia. Similiter, quod dubitem de primo princi-

principio, duo contradictoria nõ poſſunt eſſe ſimul vera; & quod duæ opiniones poſſint ſimul eſſe veræ, & falſæ, certè eſt proterui hominis: quia licèt hoc verbis negari poſſit, nunquam tamen corde, & adhæſione intellectus; quia talis aſſertio ſeipſam deſtruit. Similiter quod poſſim dubitare, vel ignorare principia prima ex terminis per ſe nota eſt impoſſibile.

De primo prĩcipio, duo contradicto ria, &c.

75 Verùm Accademici vt Catullus aduerſus Lucullum apud Ciceronem lib. 2. Accademicarum quæſtionum hoc principium, omne quod eſt eſſe verum vel falſum, ſic eludebant. Quærunt enim an hęc oratio ſit vera vel falſa. *Si te mentiri dicis, idque verum dicis, mentiri verum dicis. Eſt ne vera vel falſa?* Et cum Lucullus neſciret ſoluere reſpondebat huiuſmodi locutionem & ſimiles eſſe inexplicabiles; & quia hæc reſponſio non ſatisfacit inſolenter alias ſimiles adducebant, & concludebant principium illud eſſe falſum, & nihil concludere.

Cauillus Accademicorũ aduerſus primũ Met. ex Cicerone.

Sed hæc cauilatio nullius eſt momenti, & principium illud eſt inconcuſſum, vt viſum eſt. Cauillus autem ſoluitur ſic. Locutio illa poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt. Si habeas hanc orationem. Ego mentior, & hæc oratio ſit vera; vera eſt hæc oratio, qua dicis te mentiri. Et hic ſenſus eſt verus; & ſic oratio eſt vera, non falſa. Alius ſenſus poteſt eſſe hic. Si tu proferas hanc orationem. Ego mentior, & vera eſt iſta oratio, qua dicis te mentiri, mendacium dicis eſſe verum, ſiue dicis mentiri eſſe verum. Hic ſenſus eſt falſus, & propoſitio in hoc ſenſu eſt falſa non vera. Cauſa autem ambiguitatis & obſcuritatis in illa propoſitione oriebatur ex illa Anphibologia duplicis ſenſus, quē poteſt habere illa locutio, quam Anphibologiā non agnoſcens Lucullus, neſciuit ſoluere cauillum iſtum. Principium enim illum Metaphyſicale declaratur per diffinitionem contradictionis, quæ eſt. Contradictio eſt affirmatio, & negatio eiuſdem, de eodem, & ſecundum idem; patet autem quod altera pars contradictionis ſemper eſt vera, & altera falſa, nunquam ambæ veræ, neque ambæ falſæ. Falſum eſt ergo antecedens Aduerſariorũ, quod non detur iudicatorium certum, quo verum à falſo diſcernere poſſimus. Ad probationem concedimus propter illas rationes, & alias, quas adduximus dari huiuſmodi iudicatorium.

Solutio.

76 Ad rationem contra hoc: quia Accademici, qui negant hoc iudicatorium, dicerent illa non eſſe vera, ſed videri. Atque opinionē aſtruere non ſcientiam, neque veritatem ſinceram. Reſpondetur hoc negare non eſſe hominis perſuaſibilis, & qui cupiat veritatem ſcire, ſed proterui, qui non velit perſuaderi: atque hæc ore negari, vel dubitari eſſe vera, non autem corde; quia ſunt per ſe nota, vt dictum eſt.

Ad confirmationem.

77 Ad confirmationem reſpondetur poſſe dijudicari profectò

N quæ

quæ opinio ſit vera, an ſcilicet Accademicorum, vel Dogmaticorum, & dicimus rectè dijudicari veram eſſe opinionem Dogmaticorum aſſerentium dari hoc iudicatorium certum. Ad rationem contra hoc: quia hoc iudicatorium debet eſſe conceſſum ab vtraque parte diſcordante, Reſpondetur, quod ſufficit, quod ſit per ſe notum, & ab hominibus non proteruis, & perſuaſibilibus concedatur. Ad aliam rationẽ: quia ſi hoc iudicatorium certum datur, neceſſe eſt vt alio iudicatorio, vel demonſtratione probetur, & ſic dabitur proceſſus in infinitum, negatur neceſſarium eſſe, quod per aliud probetur: quia cum ſit per ſe notum per actus euidentes, & per ſe notos, datur ſtatus in illo, & in illis actibus, & propoſitionibus per ſe notis ex terminis. Vnde neque eget demonſtratione; quia quæ ſunt per ſe nota, non egent demonſtratione: neque omnia per demonſtrationem cognoſcuntur, ſed aliqua ſunt per ſe nota, vt principia demonſtrationis, & reliqua, quæ diximus.

Ad ſecũdã. 78 Ad ſecundam rationem reſpondetur ipſos omninò decipi in maiori, quæ à nobis negatur; quoniam licèt per demonſtrationem poſſit haberi aliquorum ſcientia certa, tamen etiam extra demonſtrationem habetur cognitio certa, & magis certa, quàm ea, quæ eſt per concluſionem, vt eſt cognitio principiorum, quæ dicitur intellectus; Vnde non eſt recurrendum ad aliam demonſtrationem, ſed ad principia, quæ per ſe nota ſunt.

Ad confirmationem. 79 Ad confirmationem reſpondetur per idem: omnia enim eorum argumenta procedunt ex eodem fundamento. Dicimus ergo, verum, quod eſt paſſio entis, dari, & illud eſſe in rebus ijs, quæ videntur, & quæ non videntur, ſed ſunt abſtracta à ſenſibus, licèt quandoq; nos circa illos decipiamur, vel propter diſtantiam obiecti, vel indiſpoſitionem potentiæ, vel medij, vel alicuius alterius cauſæ concurrentis. Cum enim ſint entia vera, & realia, paſſio, quæ eſt verum, in illis eſt. Cum autem infertur, quod tunc iſtud iudicatorio debet diſcerni, concedimus. Cum arguitur, quod dabitur proceſſus in infinitum in iudicatorijs, negatur: Quia dictum eſt dari ſtatum ad ſenſum, & intellectum, & ad actus, & principia per ſe nota.

Ad tertiam. 80 Ad tertiam, quæ eſt ex Henrico pro Accademicis, reſpondetur duplicem eſſe notitiam certam. Aliam, quæ dicitur ſcientia, & iſta ſit ex alia priori notitia ſcilicet ex præexiſtenti cognitione principiorum. Alia eſt, quæ dicitur intellectus, & eſt per ſe nota, & certa, quæ non ſit ex alia; & ſic falſum eſt dari circulum; quia datur ſtatus in principijs. Circularis autem demonſtratio reijcitur ab Ariſt. in 1. Poſteriorum cap. 3. ideo nos illam non admittimus, neque ex noſtra poſitione ſequitur; Admittit tamen Ariſt. regreſſum, qui valde differt à de-

à demonſtratione circulari, vt oſtendimus in Philoſophia naturali in Theoremate de hac re. Præter cognitionem intellectiuam principiorum datur cognitio ſenſitiua per ſe euidens, & manifeſta, quæ non ſit ex alia priori, ſed in ipſa datur ſtatus, vt oſtendimus.

81 Ad quartam conceditur humanam cognitionem ortum habere a ſenſu. Negatur autem à ſenſibus non haberi ſinceram veritatem. Ad probationem contra hoc reſpondetur. Id quod vni apparet dulce, etiam alteri apparere dulce, niſi ſenſus ſit indiſpoſitus: Quando autem ſenſus eſt indiſpoſitus, cognoſcitur ex actibus per ſe notis eiuſdē ſenſus, cum eſt ſanus, & non eſt indiſpoſitus: per ſe enim patet, vt experientia videmus, quando ſenſus eſt indiſpoſitus, & quādo eſt ſanus, vt diximus cap. præcedenti ad tertiam rationem Henrici. *Ad quartā.*

82 Ad quintam, quæ ſumitur ex ratione obiecti, reſpondetur falſum eſſe omnia ſenſibilia ſemper eſſe in cōtinuo motu. Naturæ enim, & eſſentiæ ſpecierum, & entium ſunt immutabiles, licèt indiuidua quo ad accidentia ſint in continuo motu. Deinde dicimus, quod de ipſis rebus mutabilibus, dato quod ſint mutabiles in ſe, poteſt eſſe certitudo ſecundum id quod ſunt immutabiles: nam ſemper habent habitudinem aliquam immutabilem ad aliud, vt diximus, ſoluendo primam rationem Henrici cap. præcedenti. & ſic ratio hæc fundamentalis Accademicorum eſt nulla. *Ad quintā.*

83 Ad ſextam reſpondetur in maiori ſupponi vnum falſum, ſcilicet quod quis poſſit cognoſcere ideam, & ſpeciem rei, & non cognoſcere rem, & quidditatem ipſam; hoc enim eſt falſum: quia omnis noſtra cognitio eſt vel abſtractiua, vel intuitiua. Abſtractiua ſit per ſpeciem rei abſentis; ſed intuitiua ſit per ſpeciem rei præſentis, & immutantis ſenſum, & vtraque repræſentat obiectum ſicuti eſt, niſi ſit aliqua indiſpoſitio, vel in medio, vel in organo proximo, vel remoto: quia naturaliter cauſatur ab obiecto: vt ſpecies coloris albi cauſatur ab obiecto ipſo ſcilicet ab albedine, & ſic de alijs; ideo verè repræſentat obiectum: & ſic cognoſcens per ſpecies, cognoſcit verè quidditates rerum ſicuti ſunt. *Ad ſextam.*

84 Ad ſeptimam, quod eſt argumentum Memnonis 1. Poſteriorū cap. 1. & 9. Met. Reſpondetur Ariſt. illud ſoluere citato loco. Dicendum eſt ergo, eum, qui nouit aliquid, potuiſſe noſcere illud duplici modo; vno modo in vniuerſali, & in confuſo; alio modo in particulari, & diſtincto modo: Qui diſcit, nouit illud, quod diſcit, ſed non eo modo, quo diſcit, ſed alio modo: Nouerat illud in vniuerſali, & confuſo modo; dum autem adiſcit illud cognoſcit alio modo ſcilicet in particulari, & diſtinctè. Qui enim nouit principia prima per ſe nota, nouit concluſiones contentas in illis virtualiter confuſo modo, & in vniuerſali, *Ad ſeptimā.*

Digitized by Google

uerſali, dum verò ſub illis principijs vniuerſalibus ponit minores propoſitiones notas,deducit concluſiones notas,quas prius in particulari ſic ignorabat.

Quod diſcordia Philoſophorū de iudicatorio veritatis, & in alijs non debeat nobis nocere.

85 Argumentum verò ſumptum ex diſcordia Philoſophorum, qui neque in iudicatorio, neque in alijs principijs per ſe notis conueniunt,nullius eſt momenti;& Ariſt.4.Met.tex.19.illud optimè ſoluit. Nam,inquit, Philoſophi illi,qui negabant iudicatorium verum dari, & negabant principia,& actus per ſe notos, & ſimilia,erant in duplici diſcrimine. Quidam enim hæc negabant ex ignorantia nimirum, quia dubitationes,& rationes ſophiſticas contra hæc per ſe notas, adductas,& emergentes,neſciebant ſoluere; & hos, inquit Ariſtoteles rationibus, & doctrina curare eſt poſſibile. Alij verò in eas opiniones inciderunt ex pertinacia: quia ſic opinari volunt ſcilicet nihil eſſe certum,nec per ſe euidens,ſolum ex proteruia, & cum his inquit Ariſtoteles vi, & verberibus, agendum eſt. Qui enim negat ſe videre, cum videt,oculis eſt priuandus,& tunc cognoſcet an prius reuera videret; & quod videre,& non videre reuera non ſunt idem, non autem apparere tantùm. Et certè quis non videt eſſe proteruiam, vel ſtultitiam afferere, quod homo ſit in continuo motu quantum ad ſubſtantiam, & eſſentiam? ſi enim continuo mutaretur; certè ſi in principio vitæ eſt intellectiuus,rationalis,diſcurſiuus,illinc ad diem,vel menſem non eſſet amplius intellectiuus,nec rationalis,ſed irrationalis.Idem dicendum de ſenſitiua virtute; idem dicendum de alijs rebus: ſi enim lignum,metallum,& alia ſemper mutarentur, nō permanerent eadem ſpecies rerum in mundo,quæ manent, ſed ſemper eſſent aliæ,& aliæ. At videmus ſpecies rerum ſemper eſſe eaſdem, ergo ſtultum eſt, & proteruia dicere, quod ſemper mutentur quoad ſubſtantiam; & ſic de alijs; quare hæc Accademicorum, & Scepticorum opinio eſt dimittenda valdè rationabiliter.

Opinio Henrici in ſe reijcitur à Scoto.

86 In 4.artic.illius quæſtionis Scotus confutat opinionem Henrici in ſe. Prima ratio eſt hæc. Quæritur quid Henricus intelligat per veritatem puram,& ſinceram. Vel enim intelligit veritatem infallibilem, quæ ſcilicet eſt abſque deceptione, & dubitatione; & quoad hanc in præcedentibus ſoluendo, & confutando rationes Henrici, & Accademicorum in contrarium hæc opinio eſt reiecta; & eſt oſtenſum illam ex puris viribus naturalibus poſſe haberi de multis. Vel intelligit Henricus per veritatem ſinceram, veritatem quæ eſt paſſio entis; veritas autem, quæ eſt paſſio entis, eſt realis entitas ipſius rei, non fictitia; quomodo verum aurum diſtinguitur ab auricalco. Et de hac inquit Scotus,certum eſt etiam ipſam haberi poſſe naturaliter. Probat, quia naturaliter cognoſcitur ens; ergo & paſſio eius: neque enim

enim ens cognoſci poteſt verè, niſi eius paſſio cognoſcatur. Quod ſi poteſt cognoſci verum in concreto, poteſt etiam cognoſci in abſtracto in ſe, & non abſtracto à ſubiecto, quia habet ſuam eſſentiam, & quidditatem diſtinctam à ſubiecto, & proinde illa poteſt per ſe cognoſci in abſtracto. Hoc autem negare non poteſt Henricus; qui refutauit opinionem Accademicorum, qui abſolutè negabant dari ſcientiam entium. Vel tertiò, Henricus intelligit conformitatem ad exemplar creatum; Et tunc certum eſt dari hanc conformitatem, vt patet ex dictis ſupra. Si verò intelligit conformitatem ad exemplar diuinum, falſa eſt opinio Henrici, quæ aſſerit, quod exemplar æternum eſt ratio cognoſcendi ſincerè, & purè entia in quantum eſt non cognitum. Dicebat enim quod per conformitatem ad exemplar æternum, non ad creatum innoteſcit ſincera veritas. At hoc eſſe falſum oſtendit Scotus; quia non poteſt cognoſci conformitas rerum creatarum ad exemplar diuinum, niſi prius cognoſcatur exemplar diuinum in ſe: quia conformitas eſt relatio inter rem creatam, & exemplar increatum; non poteſt autem cognoſci relatio, niſi prius cognoſcantur extrema inter quæ oritur. ergo exemplar increatum non poteſt eſſe ratio cognoſcendi entia creata, niſi vt cognitum; quia non poteſt cognoſci eſſe conformitatem inter entia creata, & illud exemplar, niſi prius cognoſcatur exemplar in ſe eſſe tale, & tale, cui aſſimilentur, & conformentur res creatæ.

87 Secundò. Quidquid intelligit intellectus, modo confuſo, poteſt intelligere etiam modo diſtincto, & per diffinitionem, inquirēdo diffinitionem illius per viam diuiſionis, vt diximus ſupra ex Ariſt. 2. Poſteriorum cap. 14. hæc autem cognitio diffinitiua etiam ſecundum Henricum, qui contra Accademicos ſuſtinet dari ſcientiam veram, debet concedi; & communiter dicitur eſſe cognitio ſimplex perfectiſſima, quàm habeat intellectus. Ex hac autem perfectiſſima cognitione terminorum poteſt intellectus perfectiſſimè cognoſcere complexiones & principia, quæ ex terminis habent euidentiam, & ex illis deducere concluſionem, quæ eſt vltimum complementum cognitionis intellectualis; ergo videtur, quod veritas alio modo habeatur, quā recurrendo ad exemplar increatum, & ad ſpecialem influentiam, & illapſum in mentem, & ſic vanum eſt confugere ad exemplar increatum, & ad illuſtrationem diuinam ad hoc vt habeatur veritas de rebus creatis in intellectu creato. 2. Ratio.

88 Tertiò. Aut lux æterna, quam ponit Henricus illuſtrare mentem creatam ad habendam ſinceram veritatem, cauſat aliquid prius naturaliter actu ipſo cognitionis, aut non. ſi ſic. Aut ergo in obiecto, aut in intellectu. Non in obiecto: quia obiectum in quantum habet 3. Ratio.

eſſe in intellectu,non habet eſſe reale,ſed intentionale; ſecundum autem illud eſſe intentionale non eſt capax alicuius accidentis realis. Si in intellectu; igitur lux increata non immutat intellectum ad cognoſcendum ſinceram veritatem niſi mediante effectu à ſe cauſato in intellectu creato. At hoc poſito tunc hæc opinio Henrici non diſtat ab opinione communi Philoſophorum, & Theologorum. Nam communis opinio quoque aſſerit, quod mens creata cognoſcit veritatem ſinceram in effectu lucis increatæ: ponit enim intellectum poſſibilem cognoſcere eam in intellectu agente, qui eſt effectus quoque lucis increatæ; & eſt perfectior effectus, quàm eſſet illud lumen accidentale, quod ponitur cauſatum ſecundum Henricum. Si autem nihil cauſat ante actum, aut ergo ſola lux increata cauſat actum, aut lux increata ſimul cum intellectu & obiecto. Si ſola lux,ergo intellectus agens nullam habet operationem in cognitione ſinceræ veritatis; quod eſt inconueniens. Quia iſta operatio ſcilicet productio intellectionis eſt actio nobiliſſima intellectus noſtri; ideo eam excludere ab intellectu noſtro eſt valdè vilificare animam noſtram. Vnde cum intellectus agens ſit nobiliſſimus in anima noſtra, proculdubio dicendum eſt cōcurrere aliquo modo ad producendum hanc operationem. Præterea ex Ariſt.3.de Anima tex.17. & 18. intellectus agens correſpondet intellectui poſſibili in ratione actiui,ſicut poſſibilis correſpondet agenti in ratione paſſiui: quia intellectus agentis eſt omnia facere, & intellectus poſſibilis eſt omnia fieri. ergo quidquid recipit intellectus poſſibilis ad illud aliquo modo ſe habet actiuè intellectus agens;at illa operatio ſcilicet intellectio recipitur in intellectu poſſibili; ergo illa operatio actiuè aliquo modo ab intellectu agente producitur. Quod etiā hoc inconueniens nimirum,quod intellectus agens nullam habeat cauſalitatem in actu intellectionis ſequatur ad opinionem Henrici; probat Scotus ex alio principio ab Henrico conceſſo. Nam Henricus in Summa art.1. tenet quod agens vtens inſtrumento non poteſt habere actionem excedentem actionem inſtrumenti. Tunc ſic; ergo ſi lux increata vtatur intellectu agente tanquam inſtrumento ad producendum actum intellectionis; ſequitur, quod non poſſit cauſare actum intellectionis: quia intellectus agens, quod eſt inſtrumentum eius non poteſt illam producere; ergo ſequitur, quod lux increata ſola producat actum intelligendi; & quod intellectus agens,qui eſt perfectiſſimus in anima noſtra non habeat huiuſmodi actum: quod vt dictum eſt,eſt inconueniens maximum. Relinquitur ergo quod non ſola lux increata, ſed ipſa ſimul cum intellectu agente, & obiecto cauſet veritatem ſinceram. Et tunc opinio Henrici coincidit cum opinione communi Philoſophorum,& Theologorum; quia ipſi quoque aſſerunt lucem increa-

increatam, intellectum agentẽ, & obiectum cõcurrere ad cauſandum actum intellectionis; ponunt lucem increatam concurrere tanquam cauſam remotam; intellectum autem agentem, & obiectum tanquam cauſas proximas.

Explicatur opinio Scoti, & D. Auguſtini, quomodo ſincerè veritates videantur in regulis æternis, & luce increata. Caput Octauum.

Quã ſit difficilis Scotus in hac materia.

RESpondet ergo Scotus ad hanc quæſtionem ex propria mente, ſed eſt adeo difficilis, vt vix verus intellectus huius quæſtionis videatur poſſe haberi: difficile enim eſt mirum in modum quomodo explicet noſtrum intellectum videre ſinceras veritates in luce increata ideſt in intellectu diuino; cum nos intellectum diuinum, nec res, ſeu obiecta ſecundaria in eo contenta videre poſſimus: breuiter tamen explicare enitemur ipſius mentem, & totam hanc materiam. Obſeruãdum eſt ergo quod cauſa, propter quàm Scholaſtici Doctores Henricus, & Scotus tractant hanc quæſtionem, ſunt auctoritates, & propoſitiones quædam D. Auguſtini in ſuis diuerſis operibus, ſed maximè in libris de Trinitate, in quibus ait intellectum creatum videre certas veritates, & ſinceras in regulis æternis, in luce increata, & ſimilia. Nam lib. 15. de Trinitate cap. 27. inquit, *& tamen multa vera vidiſti, non his oculis, quibus videntur corpora colorata; ſed eis pro quibus orabat, qui dicebat, oculi mei videant æquitatem? Nempè ergo multa vidiſti, eaque diſcreuiſti ab illa luce, qua tibi lucente ea vidiſti. Attolle oculos in ipſam lucem, & eos in ipſam fige ſi potes: ſic enim videbis quid diſtet natiuitas verbi Dei à proceſſione doni.* & lib. 14. cap. 15. inquit. *Nam hinc eſt, quod etiam impij cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt, rectaque laudant in hominum moribus, quibus ea tandem regulis iudicant, niſi in quibus vident, quemadmodum quiſque viuere debeat, etiamſi nec ipſi eodem modo viuant? vbi eas vident?* & infra. *Vbinam ſunt iſtæ regulæ ſcriptæ, vbi quid ſit iuſtum, & iniuſtum agnoſcit, vbi cernit habendum, quod ipſe non habet? Vbi ergo ſcriptæ ſunt niſi in libro illius lucis, quæ veritas dicitur. Vnde eis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam, non migrando, ſed tanquã imprimendo transfertur, ſicut imago ex anulo, & in terram tranſit, & anulum non reliquit?* & lib. 12. de Trinitate cap. 14. ait, quod paucorum eſt peruenire mentis acie ad rationes intelligibiles. Hæc eius verba ſunt. *Non autem ſolum rerum ſenſibilium in locis poſitarum, ſine ſpatijs localibus manent intelligibiles, incorporaleſque rationes, verum etiam motionum in temporalibus tranſeuntium ſine temporali tranſitu; ſtant etiam ipſa vtique intelligibiles non ſenſibiles, ad quas mentis acie peruenire paucorũ eſt.* & lib. 83.

Cauſa ꝓpter quã Scolaſtici tractant hanc quæſtionem.

q.q.46.ait, nõ niſi puræ animæ ad eas pertingũt. inquit enim. *ſunt nanque ideę principales formæ quædã vel rõnes rerũ ſtabiles, atque incõmutabiles,* & infra. *Anima verò negatur eas intueri poſſe, niſi rationalis ea ſui parte, qua excellit, ideſt ipſa mente, atque ratione, quaſi quadam facie, vel oculo ſuo interiori, atque intelligibili. & ea quidem ipſa anima rationalis, non qualibet, ſed quæ ſancta, & pura fuerit.* Hæc & ſimilia habet D. Auguſtinus in ſuis operibus, ex quibus clarè colligitur Diuum Auguſtinum velle, quod mens noſtra quaſdam ſinceras veritates percipere poſſit, & percipiat in luce increata, & in regulis æternis. Propter hoc Scotus inquit neceſſarium eſſe concedere veritates infallibiles videri in regulis æternis. Tota difficultas eſt in declarando quomodo intelligantur hæc dicta Diui Auguſtini, & quid velit per iſtas locutiones ſignificare.

Punctus difficultatis.

90 Inquit ergo Scotus non eſſe imaginandum, quod D. Auguſtinus voluerit dicere, quod cum intellectus noſter intelligit aliquam ſinceră veritatem, hoc fiat, quia eſſentia diuina illabatur ſpeciali illapſu in animam noſtram ad modum exemplaris, & illuminet, ac perficiat exemplar creatum, ſeu ſpeciem, vel phantaſma noſtrum creatum, & faciat ſic eum veritatem ſincetam repræſentare, vt dicebat Henricus. Quia inquit Scotus, ſi hæc ſpecialis illuſtratio phantaſmatis creati, ac iſte illapſus ſpecialis eſſet neceſſarius ad habendam ſinceram veritatem, ſequeretur, quod hæc illuſtratio magis fieri deberet in cognitione veritatum contingentium, quàm neceſſariarum, quia iſtæ minorem connexionem cum extremis habent, & difficilius creduntur: tamen D. Auguſtinus videtur velle, quod ſinceræ veritates, quę videntur in regulis æternis ſint ſolum veritates neceſſariæ. Nam lib. 4. de Trinitate cap. 15. loquens de Philoſophis infidelibus, quos, ait, ſinceras aliquas veritates nouiſſe, vult illas fuiſſe de rebus neceſſarijs, non autem de contingentibus, ait enim. *Hinc enim purgationem ſibi iſti virtute propria pollicentur, quia nonnulli eorum potuerunt aciem mentis vltra omnem creaturam tranſmittere, & lucem incommutabilis veritatis quantulacunque parte contingere; quod Chriſtianos multos ex ſola fide interim viuentes nondum potuiſſe derident.* Hic concedit Philoſophos aliquas veritates neceſſarias cognouiſſe in luce æterna. At ſubiungit deinde paulò infra, quod licèt cognouerint neceſſaria aliqua, non potuerunt cognoſcere in illis regulis æternis contingentia. Habet enim ſic. *Numquid enim quia veriſſimè diſputant, & documentis certiſſimis perſuadent, æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipſis rationibus perſpicere, vel ex ipſis colligere quot ſint animalium genera; quæ ſemina ſingulorum in exordijs; qui modus in incrementis, &c. Nonne omnia iſta, non per illam incommutabilem ſapientiam, ſed per locorum, ac*

Philoſophi quaſdam ſinceras veritates nouerũt.

tempo-

temporum hyſtoriam quaſiuerunt, & ab alijs experta, atque conſcripta crediderunt? & lib.9.cap.6.inquit. *neque enim oculis corporeis multas mentes videndo per ſimilitudinem colligimus generalem, vel ſpecialem humanę mentis notitiam, ſed intuemur inuiolabilem veritatē, ex qua perfectè quantum poſſumus diffiniamus, non qualis ſit vniuſcuiuſque hominis mens, ſed qualis eſſe ſempiternis rationibus debeat*. Quaſi dicat: contingentia non videntur ibi, ſed neceſſaria.

91 Vult ergo Scotus, quod mens D. Auguſtini fuerit, nos quidem videre ſinceras veritates in regulis æternis, tanquam in obiecto illas ſinceras veritates repræſentante noſtro intellectui. Pro cuius intelligentia obſeruandum eſt primò, quod regulæ æternæ, & lux increata nihil aliud ſunt niſi ideæ, ſeu obiecta ſecundaria, & res intelligibiles in intellectu diuino; omnia enim illa obiecta ſecundaria producta in eſſe cognito per diuinum intellectum ſunt actu intelligibilia, & apertè, & euidenter continent ſuas complexiones neceſſarias, quæ ſunt veritates de ſe relucentes in eis; ita quod intellectus intelligens illa obiecta, & virtute eorum intelligens neceſſarias veritates de eis, videt in illis tanquam in obiecto, & regulis æternis veritates ipſas relucentes in eis: illæ enim complexiones dicuntur veritates, quia ſunt conformes apprehenſioni intellectus diuini; illas enim cognoſcit eo modo quo ſunt. Dicuntur etiam lux, quia ſunt manifeſtatiuæ: (omnis enim propoſitio eſt manifeſtatiua illius rei, cuius eſt) dicuntur æternæ, & immutabiles, ſeu neceſſe eſſe, quia ſunt in intellectu diuino, qui eſt immutabilis; non ſunt tamen æternæ ſimpliciter, ſed ſolum ſecundū quid; quia æternitas eſt conditio exiſtentiæ realis: illæ autem regulæ, & veritates non habent eſſe realis exiſtentiæ formaliter conſideratæ, ſeu vt ſunt rationes, & ideæ rerum: ſed ſolum eſſe rationis: quia formaliter ſunt entia rationis producta ab intellectu; & quantum ad realitatem exiſtentiæ nullam aliam habent, niſi eſſe reale diuinæ eſſentiæ. vt primo ſent. diſt. 35. diximus. — *Modus dicendi Scoti.*

92 Obſeruandum eſt ſecundò, quod dicuntur etiam ſcriptæ in libro lucis æternæ, quia continentur in intellectu diuino veluti in libro; licèt enim intellectus diuinus non videatur; tamen veritates in eo ſcriptæ videntur. Poſſunt ergo dici videri iſtæ veritates in intellectu diuino, quatenus ille has veritates continet. — *Secundum notabile.*

Obſeruandum eſt tertiò, quod veritates illæ, ſeu regulæ, & obiecta ſecundaria non poſſunt mouere intellectum noſtrum, quia habent eſſe ſecundum quid tantum; operatio autem verè realis non competit alicui enti habenti eſſe tantum ſecundum quid virtute ſua. ſed ſi aliquo modo competit ei, hoc oportet eſſe virtute alicuius, cui competit eſſe ſimpliciter. Igitur iſtis obiectis ſecundarijs non competit mouere — *Tertium notabile.*

intel-

intellectum noſtrũ præciſè, niſi in virtute eſſe intellectus diuini, quod eſt eſſe ſimpliciter, & per quod iſta haberet eſſe ſecundum quid. cum ergo intellectus diuinus ſit cauſa proxima, cuius virtute obiecta illa ſecundaria mouent intellectum noſtrum creatum, poteſt dici, quod illæ veritates videntur in luce increata ideſt in intellectu diuino tanquam in cauſa, virtute cuius ea intelligimus.

Quomodo intellectus noſter eleuetur ad cognoſcendum veritates ſinceras in regulis æternis.

93 Sed eſt difficultas, quomodo intellectus noſter eleuatur, & illuſtratur ad hoc, vt veritates iſtas ſinceras in regulis ęternis percipiat? neque enim videmus intellectum diuinum, neque obiecta illa ſecundaria in mente diuina; quomodo ergo has ſinceras veritates intuemur in luce increata? Reſpondet Scotus littera S, & T, quod hæc illuſtratio, & eleuatio fit non per ſpecialem illapſum, vt dicebat Henricus, ſed per influentiam generalem Dei, ſeu intellectus diuini coaſſiſtentis his terminis, & obiectis à ſe productis, vt cum apprehenduntur ab intellectu creato pariant in illo veritatem illam neceſſariam, & euidentem, quæ eſt veritas ſincera. Vnde ſubiungit Scotus cum D. Auguſtino lib. 63. q. q. 46. quod non niſi puræ animæ ad illas pertingunt. Hæc autem puritas eſt quod eleuetur intellectus ad conſiderandum veritates vt relucent in ſe, non autem tantùm vt relucent in phantaſmate. Vnde eſt obſeruandum, quod ſpecies, & phantaſmata ſenſibilia non repræſentant res ipſas diſtinctè, ſed confusè ſcilicet cum accidentibus, vt quantitate, qualitate, &c. & ſicut phantaſma confusè repræſentat, ſic multi confusè apprehendunt illud ens per accidens; veritates autem puras non percipiunt: quia illæ ſunt præciſè tales ex propria ratione terminorum; in quantũ illi termini abſtrahuntur ab omnibus per accidens coniunctis cum eis. Non enim hæc propoſitio, omne totum eſt maius ſua parte, primò vera eſt, vt totum eſt in lapide, vel ligno, ſed vt totum abſtrahitur ab omnibus, quibus coniungitur per accidens; & ideo intellectus, qui nunquam intelligit totalitatem niſi in conceptu per accidens, puta, in totalitate lapidis, vel ligni, nunquam intelligit ſinceram veritatem huius principij: quia nunquam intelligit pręciſam rationem huius termini, per quam eſt veritas; ideo illi ſolum pertingunt ad veritates puras, qui eleuantur & abſtrahuntur à ſenſibilibus, & feruntur in obiecta, vt ſunt termini puri, & ſimplices, ſicuti in mente diuina, & regulis æternis habent eſſe? Iſti enim ſunt puri, & veritates ſinceras, de quibus D. Auguſtinus loquitur, intelligunt in regulis æternis; & ſecernuntur ab alijs, qui ſic non eleuantur, non per illuſtrationem ſpecialem, vt volebat Henricus; ſed per generalem influentiam, & per meliora naturalia: quia habent intellectum magis abſtrahentem, & perſpicatiorem; vel propter maiorem inquiſitionem per quam ęque ingenioſus peruenit ad cognoſcendum

illas

Digitized by Google

illas quidditates, quas alius non inquirens non cognoſcit. Et hoc eſt quod ait D. Auguſtinus 9. de Trinit. cap. 6. de vidente in monte, & vidente inferius in aere caliginoſo; Qui enim eſt in monte videt inferius aerem nubiloſum, & ſuperius aerem ſincerum. Ille, qui intelligit ſe tantum per conceptus per accidens, eſt ſimilis ei, qui eſt in valle, qui cum ſit circundatus aere nubiloſo, non videt aerem niſi nubiloſum: ſed qui ſeparat quidditates intelligendo præciſè eas in conceptu per ſe eſt ſimilis ei, qui eſt in monte, qui videt clarè, & aerem ſincerum. Et iſte dicitur videre veritatem illam ſinceram in virtute intellectus increati, quæ eſt lux ęterna: quia dum ſic ſe eleuat, Deus influentia generali coaſſiſtit illis terminis, ex quo illos produxit, vt cauſent veritatem ſinceram, quam neceſſariò in ſe continent.

94 Hinc patet quid dicere velit Scotus, cum in principio ſolutionis quæſtionis ait, quod oportet cõcedere veritates infallibiles cognoſci in regulis ęternis, & q͞d poteſt *ly, in, accipi obiectiuè quatuor modis.* Vel ſicut in obiecto proximo. Vel ſicut in continente obiectum proximum. Vel ſicut in eo virtute cuius obiectum proximum mouet. Vel ſicut in obiecto remoto. Nam eſt, ac ſi dicat, cum dicimus veritates ſinceras videri in regulis æternis ſeu in luce increata: hoc poteſt intelligi quatuor modis. Vel quod has veritates ſinceras intelligamus in ipſis obiectis ſecundarijs intellectus diuini, tanquam in obiecto proximo. Vel quod intelligamus illas in intellectu diuino continente illa obiecta ſecundaria. Et his duobus modis falſum eſt nos intelligere veritates ſinceras in luce æterna; quia nullo horum modorum illa obiecta ſecundaria mouere poſſunt intellectum noſtrum. Tertio modo poteſt intelligi, quod intelligamus ſinceras veritates in luce increata, apprehendendo terminos illos, & obiecta ſecundaria in ſe abſtrahendo à ſenſibilibus, & apprehendendo ea in ſe denudata ab accidentibus, quibus inuoluuntur, & apprehẽdendo veritates illorum virtute intellectus diuini, influentia generali illis terminis aſſiſtẽtis ad cauſandum cognitionem complexionis, & veritatis illorum inter ſe, & hoc modo verum eſt intellectum noſtrum apprehendere ſinceras veritates in luce increata. Lux enim increata ſcilicet intellectus diuinus influentia generali aſſiſtit his terminis ſignificantibus obiecta illa ſecundaria à ſe producta ad cauſandum in intellectu noſtro veritates neceſſarias, quas continent in ſe neceſſariò.

Declaratur textus Scoti.

95 Quartò, modus eſt vt in obiecto remoto. Et hoc modo quoque concedit Scotus poſſe dici, nos cognoſcere ſinceras veritates in luce increata. Vbi pro intelligentia obſeruandum eſt, quod lux increata, ſiue intellectus diuinus eſt primum principium entium ſpeculabilium, & vltimus finis rerum practicarum; ideo principia cognoſcendi

Digitized by Google

ſcendi veritates, tàm in ſpeculabilibus, quàm in practicis, quæ ſummũtur à luce increata ideſt ab ipſo Deo, quæ reuelata ſunt in ſacra ſcriptura ſunt magis pura, & magis certa. Principia verò cognoſcendi veritates in ſpeculatiuis, & practicis deſumpta ex cognitione principiorum in proprio genere ſunt minus certa, & minus pura; ideo cognitio pendens ex principijs cognitis in proprio genere eſt minus perfecta, & minus ſincera cognitione deducta ex principijs ſumptis ex luce increata. Hac ergo ratione lux increata dicitur obiectum remotum, in quo ſincera veritas cognoſcitur à nobis. Nam intuendo lucem æternam, quæ eſt Deus ipſe, & eſt obiectum noſtræ cognitionis Theologicè venimus in cognitionem omnium rerum eo modo quo ordinatæ, & factæ ſunt à Deo, quæ eſt cognitio Theologica, (Theologia enim eſt de omnibus per attributionem ad Deum, vt ad ſubiectũ, vt in prologo quæſt. de ſubiecto, & de practica diximus) & ſic cognitio, quæ habetur de omnibus entibus, quæ deducitur ex principijs reuelatis à Deo, eſt eminentior, & certior, quàm cognitio alia quæcunque deducta ex principijs notis in proprio genere, & lumine naturali. Vnde cognoſcere triangulum habere tres angulos, vt eſt quædam participatio Dei, & habens talem ordinem in vniuerſo, quod quaſi exprimit perfectionem Dei, eſt nobiliori modo cognoſcere triangulum habere tres, quàm per rationem trianguli. Item cognoſcere quod temperatè eſt viuendum propter beatitudinem vltimam conſequendam, quæ eſt àttingendo eſſentiam Dei in ſe, eſt perfectius cognoſcere iſtud cognoſcibile practicum, quàm cognoſcere illud per principium aliquod in genere moris, puta per hoc; honeſte eſt viuendum. Hoc ergo quarto modo cõcedit Scotus nos cognoſcere veritates ſinceras in luce increata ſcilicet quatenus à luce increata habemus prima principia cognoſcendi omnes res ſpeculatiuas, & practicas ſecundum eam rationem veram, ſecundum quam creatæ ſunt à Deo. Ab ipſo enim Deo ſolum ſincerè habemus quid res ipſæ creatæ ſint, & quis ſit finis verus earum.

Intellectus Diui Auguſtini.

96 Et de hoc modo intellexit D. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 27. quando alloquens ſeipſum, dixit. *Nempe ergo multa vera vidiſti, eaque diſcreuiſti ab illa luce, qua tibi lucente videnti. Attolle oculos ad ipſam lucẽ, & eos in eam fige, ſi potes; ſic enim videbis quid diſtet natiuitas verbi Dei à proceſſione doni Dei.* Et paulò poſt. *Hac, & alia ſimiliter certa oculis tuis interioribus lux iſta monſtrauit: quæ igitur eſt cauſa, cur acie fixa ipſam videre non poſſis? niſi vtique infirmitas*, &c. Ex his patet qualiter duobus vltimis modis aſſignatis à Scoto de videndo ſinceras veritates in regulis æternis, vt in obiecto, verificatur intellectum noſtrum videre ſinceras veritates in luce increata. Et hæc ſatis de

difficili

difficili intellectu huius quæſtionis, & auctoritatum D. Auguſtini in hac materia, quæ omnes altero horum modorum intelliguntur, vt eſt videre illas perpendendo. Quàm à ſcopo aberrent noſtri Expoſitores Scoti, Lychetus, Tattaretus, & alij, qui hanc noſtram expoſitionẽ huius attentè legerit, videre poterit; & ſic conijciet quantum illis in doctrina vera Scoti ſit fidendum.

Dicta in hac diſputatione applicantur ad propoſitum, & oſtenditur ad lucem increatam ad habendam veram intelligentiam rerum eſſe recurrendum: atque ijs quæ ipſa docet de Deo, de Angelis, de Dæmonibus, & anima rationali, & aliis rebus eſſe firmiter inhærendum propter ambiguitatem doctrinæ Philoſophorum, & contra Auerroem, & Auicẽnam, fides Chriſtiana defenditur. Caput Nonum.

HAbemus ergo ex anteacta diſputatione, non quidem nullius rei dari ſcientiam, aſcenſum ſemper eſſe cohibendum, & cum perplexione in omni cognitione ſemper eſſe hęſitandum; hæc enim vana, ne dicam ſtolida opinio Accademicorum quàm ſit obijcienda vidimus; ſed veritates aliquas dari certas, & omninò infallibiles; Verùm illas eſſe admodum paucas, & præſertim de rebus altiſſimis, & quarũ cognitio eſt apprimè neceſſaria: immo quod ſumma eſt, veritates ſinceras in æternis regulis conſpici, & ab eo, qui vera lux eſt intellectus, in nobis cauſari, & produci. Quare ad hanc lucem, quæ in diuina reuelatione facta per Chriſtum Dominum mirificè ſplendet, intendendum eſt, relicto lumine Philoſophico in ſuis terminis; & quæ ipſi, veluti noctuæ reſpectu veritatum æternarum, vt dicebat Ariſtot. 2. Met. tex. 1. apprehendere non potuerunt, nos illuſtratione fidei docti, ne deſpiciamus, ſed demum fateamur fidem perficere naturam, eamque euehere ad illam rerum cognitionem veram, & certam, ad quam ipſa per ſeipſam peruenire non poterat.

98 At cum ad fidem, cum ad reuelationem audiunt in cognoſcendis rebus eſſe confugiendum miſeri homines ſtrepunt, qui, vt dicebat Mirandulanus Ariſtotelicos, vel Philoſophos, quàm Chriſtianos eſſe malunt. Sed oſtendamus rationabilius aſcẽſum præbendum eſſe propoſitionibus reuelatis in fide Chriſtianorum, quam aſſertionibus Philoſophorum: fateor quidem concluſiones ex principijs immediatis, immediatè deductas eſſe euidentiores; quia nomẽ ſcientiæ merentur. At cum iſtæ pauciſſimæ ſint, & aliæ quamplures, quæ integrant habitus ſcientiarum, potius probabilibus, immo opinabilibus (vt veriùs dicam) principijs initantur, vnde tot diſputationes inter Philoſophos ſunt, dico rationabilius eſſe aſſentire aſſertionibus reuelatis in fide Chri-

Querimonia Aduerſantium Philoſophorum.

Rationabilius aſſentire propoſitionibus reuelatis i fide Chriſtiana, quam aſſertionibus Philoſophorum.

Chriſtiana; quamuis de illis ſcientiam habere non poſſimus; quàm in aſſertis Philoſophorum prædictis, quaſi dementati conquieſcere omninò. His temporibus celebrior eſt Philoſophia Ariſt. quamuis non ſic ſemper; quamdiù enim ſteterunt Athenæ, ſtetit Accademia, Platonica ſecta, eademque multiplex, ſteterunt, & in ſuo porticu Stoici, & quamplurimæ aliæ Philoſophorum ſectæ; Quamdiù Romanum Imperium manſit in Vrbe Roma; Plato multum excultus; Stoici magnoperè celebrati fuerunt; Pirrhonij plurimum potuerunt fidem faciunt Ciceronis, & aliorum virorum doctiſſimorum lucubrationes, quibus ſe magis coluiſſe Accademicos, excepto Platone, & Stoicos, quàm Peripateticos conſpicitur cum ſępiſſimè illorum, raròAriſtotelis mentionem faciant. Temporibus Neronis magnos progreſſus fecit in Stoicis Epictetus apud Græcos; apud Latinos Seneca; Multis poſt Ariſtotelem ſæculis nati ſunt Sextus Pirrhonius, Hierocles Pithagoricus, Numenius, & alij; Iamblicus, qui de ſecta Pitagorica exiſtit; quamuis & Ariſtotelis, & Platonis interpres, quatuor de ipſa Pithagoræ ſecta libros ſcripſit; Plotinus tot de Platonicis Æneadas edidit; Proclus, Hermias, Alcinores, Albinus, & alij de doctrina Platonica diſcenda multa memoriæ prodiderunt; etiam poſtquam fama doctrinæ Ariſtotelis percelebris fuit in omni regione latina. Multum gloriæ tribuit Ariſtoteli Alexander Aphrodiſeus; ſed multum quoque minuit illam Galenus Medicus vir eiuſdem ſæculi. Poſtquam autem Athenis humanæ ſapientiæ domicilium corruit, & Roma in prędam Barbaris ſepè numero data fuit, migrarunt ad Arabes, & Mauros Gręci aliquot Philoſophorum libri, & Ariſtotelis maximè, ſed non in lingua Latina. Quo factum eſt, vt Alpharabius, Auerroes, Auicenna in Philoſophia Ariſt. excelluerint, exiſtimantes eam ſolum veritatem è tenebris eruere. Ab Auerroe multum incrementum accepit ad hæc vſque tempora, vt Comentatoris nomen obtinuerit. Inde à Latinis Pariſienſibus maximè atque Theologicis, Scholaſticis, qui multa ex Ariſt. diuinis litteris non repugnantia, tanquam ex rimatore naturæ accomodarunt ad facilius explicanda myſteria Theologica. Si ergo quàmplurima Ariſt. dogmata atque ea præcipuè in quibus excelluiſſe videtur, Ariſtotelem nutaræ oſtendemus, non erit difficilè creditu ad Religionis doctrinam eſſe confugiendum non cuiuſcunque, ſed illius quàm certiſſimam eſſe conſtabit.

Philoſophia Ariſt. his tēporibus celebrior, ſed nō ſic ſemper.

Progreſſus varius doctrinæ Philoſophicæ.

99 Ariſtotelis ergo dogmata præcipua percurramus, non ſingula confutando; opus enim integrum, & non exiguum requireret; ſed ex eius confeſſione, doctrinæ ſuæ imbecillitatem, & inſufficientiam accipiamus. Excelluit Ariſt. in Ethicis. Attamen ipſemet fatetur probabilem quidem illam, nec ad certam & exactam rationis normam

Doctrinæ ſuę imbecillitatē fatetur Ariſtotiles. Lib. 3. Ethicorū cap. 3.

exigen-

exigendam eſſe, quoniam id rei natura, quam tractat non patiatur. Quaſi id prius ipſe monuerit, quod præſtare non poſſe ſe nouerat. *Dicetur autem ſatis ſi declarabitur perinde atque ſubiecta materia poſtulat, ipſum enim exactum non eſt in omnibus ſimili modo rationibus flagitandum*, inquit ipſe lib. 1. Ethicorum cap. 3. In Logica, pręcipuè in demonſtratione conficienda primum locum inter omnes obtinere eſt inconfeſſo apud omnes. Vnde per Antonomaſiam organum Ariſtotelis inſcribitur; tamen in principio primi libri Poſt. cap. 2. diffinitionem ſcire, quæ eſt baſis, ſuper quam tota conſtructio demonſtrationis fundatur, ex aliorum opinionibus, & conſenſu, tàm ſapientum, quàm ignorantum confirmat; apertè proferens ea verba: *nam non ſcientes, & ſcientes opinantur ſic ſe habere*. Et conſtruens ipſam demonſtrationem inquit, eam debere conſtare ex principijs primis, veris &c. tamen inferius diſtinguit hæc principia in dignitates, & ſuppoſitiones: & ſuppoſitiones dicit eſſe quaſdam propoſitiones, quas oportet addiſcentem in limine cuiuſcunque ſcientiæ ſupponere, & credere. Adeò quod ipſemet Ariſtot. recurrit ad fidem in tradenda ipſamet ſcientia. Ex quo fit ſcientiam non omninò excludere fidem, ſecundum ipſummet Ariſtotelem. 1. Poſt. c. 2.

100 Deinde eodem 1. Poſt. tex. 70. & inde, inquit, Principia cuiuſcunque ſcientiæ non poſſe probari neque in illa ſcientia, quia eſſet proceſſus in infinitum, neque in aliena, quia concluſio eſt ex proprijs principijs. Vnde concludit tex. 72. difficile admodum eſſe conficere demonſtrationem perfectam, quia difficile eſt inuenire principia, quæ habeant omnes conditiones requiſitas, & ſint propria: Vnde cum aliqua conditio aderit, vt puta quod propoſitio ſit vera, putabimus illam eſſe aptum principium ad deducendam aliquam concluſionem, & tamen decipiemur; quia non addeſunt aliæ conditiones: Verba Ariſtotelis ſunt iſta ad verbum ex ipſo relata. *Difficile autem eſt noſſe, ſi ex vniuſcuiuſque principijs ſcimus, aut non, quod quidem eſt ſcire: opinamur autem hoc, ſi habeamus ex veris aliquibus ſyllogiſmum, & primis ſcire, ſed hoc non eſt, ſed congenea oportet eſſe primis*. Tex. 70. 1. Poſt.

101 Quod ſi dicas recurrendum eſſe ad Met. vt ipſemet dicit eodem primo tex. 74. atque dignitates ipſas, quæ per ſe notæ ſunt eſſe principia demonſtrationis. Contrà, ipſemet Ariſt. reclamat tex. illo 70. & 71. quia non vult principia communia eſſe apta ad demonſtrationem; dignitates, & maximè per ſe notæ ſunt communia omnibus ſcientijs: Sunt enim dignitates Metaphiſicales: Met. autem eſt ſcientia communis, & vniuerſalis: Ariſtoteles autem vult, quod principia demonſtrationis ſint propria. Quod autem ſpectat ad tex. 74. Ariſt. ipſe ſe declarat dicens, quod dignitates, & principia illa Metaphiſicalia

Digitized by Google

calia ſunt vtilia quidem, quia poſſunt ſcientijs particularibus applicari, & ſic ipſe ſcientificus particularis poteſt ſua principia probare per Metaphyſicam; ſed ſemper reſtat illa obiectio, quod cum demonſtratio debeat eſſe ex proprijs, & illæ dignitates ſint principia communiſſima, erit ſemper magnum dubium an concludant: & quod non erremus, ſicut errauit Briſo in demonſtratione quadraturæ circuli, quia arguebat ex principijs communibus, vt ipſe Ariſt. fatetur.

102 Adde quod ipſemet Ariſt. non multum fidit ipſi Metaphyſicæ, quam tamen ſapiētiam, primam Philoſophiam, & dominam aliarum ſcientiarum appellat. Vnde in principio 2. Met. apertè imbecillitatem ſapientiæ humanæ confitetur, & tacitè eos redarguit qui in illa omninò, & vltimatè ſiſtunt. Hæc eius verba ſunt. *Speculatio de veritate partim difficilis, partim facilis eſt, ſignum autem quod neque ſatis eam aliquis conſequitur, neque aberrant omnes ab ea, ſed quiſque aliquid de natura dicit, & ſinguli quidem nil, aut parum ei addunt, ex omnibus verò collectis aliqua magnitudo fit; quare ita ſe habere videtur, vt in prouerbio dicimus, quis aberrabit in ianua? hoc modo profectò facilis eſſet totum autē, & partem habere non poſſe hoc eius difficultatem oſtendit, &c.* clarè ergo dicit Ariſt. quod ſpeculatio de veritate eſt facilis, quia nemo eſt qui aliquid de illa non attingat; at eſt difficilis; quia totam veritatem, immo partem illius aſſequi non eſt poſſibile.

Lib. 2. Met. tex. 1.

Imbecillitatem Met. cōfitetur Ariſt.

In Philoſophia naturali quàm dubius Ariſt.

103 In 1. Phyſic. diligentiſſimè laborat vt certam ſcientiam tradat de principijs rerum naturalium; nihilominus poſtquam probauit rationibus efficacioribus quibus potuit ſuam opinionem, videns difficultatem, & incertitudinem ſuarum rationum adductarum illucuſque, procedit ad alias rationes, quaſi illæ non ſufficiant, & habet hæc verba tex. 57. *Quod igitur neque vnum ſit elementum, neque plura duobus, vel tribus manifeſtum eſt. Horum autem vtrum quemadmodum diximus dubitationem habet multam.* Et deinde ex alio principio idem oſtendere aggreditur; Et eodem lib. tex. 82. loquens de materia, quā primum principium omnium generabilium conſtituerat, quaſi non perfectè cognoſcens an ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, vel è conuerſo, habet illa verba: *corrumpitur autem, & fit, eſt quidem vt ſic, eſt autem, vt non*, ecce quomodo perplexus ſit. Sed quod maximè oſtendit incertitudinem doctrinæ Ariſtot. de principijs rerum naturalium eſt quod eodem primo Phyſicorum text. vltimo tranſmittit conſiderationem exactam de principio formali in primam Philoſophiam, quæ eſt Metaphyſica; habet enim hæc verba. *De principio autem ſecundum formam, vtrum vnum an plura, & quot, aut quę ſunt cum diligentia primæ Philoſophię opus eſt determinare: Quapropter in illud tempus reponatur.* Et tamen deinde vt ſupra nunc vidimus in principio

ſecundi

ſecundi lib. Met. quàm dubia, & incerta ſit ipſamet prima Philoſophia apertè confeſſus eſt.

104 In Metheorologicis cum ea de quibus acturus eſſet præfaretur, & omnia ferè enumeraſſet, ſcribit hæc verba cap. 1. *In quibus hæc quidem dubitamus, hæc autem attingimus quodammodo*. Sexto de natura animalium habet illud. *Verum nos hæc ita exponimus, vt magna ex parte res euenit*. — *Dubitatio in Metherologicis.*

105 De anima autem, quæ eſt præſtantiſſima inter omnes res naturales acturus in Prohemio quàm difficilis cognitionis ſit apertè confitetur, dum tex. 4. profert illa verba. *Omniquaque autē, & omninò difficillimorum eſt accipere aliquam fidem de ipſa*, nimirum anima. Et proſequitur explicare. Vnde oriatur hæc maxima difficultas, aſſerens illam prouenire præſertim ex duabus radicibus; quarũ prima eſt, quia ante omnia eſt inueſtiganda natura, & quidditas, ſeu eſſentia ipſius animæ. Hoc autem eſſe quàm difficile probat ex eo, quia in vniuerſali eſt valdè difficilè vniuſcuiuſque rei quidditatem, & naturam indagare propriam: quæ oritur ex alia difficultate maiori, quæ eſt, quia ignoratur methodus naturas, & eſſentias rerum inueſtigãdi. Eſt enim dubium an ſit vna vel plures, & ſi vna, quænam illa ſit, & ſi ſint plures multò difficilius erit inueſtigare, quæ, & quot illæ ſint. Secunda radix difficultatis ſcientiæ de anima eſt circa inueſtigationem generis animæ, & differentiarum ipſius: in cognitione enim vniuſcuiuſque rei propria principia, & paſſiones illius ſunt inueſtiganda: Circa autem principia partes, & paſſiones animæ atque earum effectus adhuc ſunt maximè difficultates; ita quod tota doctrina de anima eſt plena dubijs: Cum enim eſſentia, partes, ſeu ſpecies, & proprietates animæ ſint dubiæ, ſequitur totam reliquam doctrinam, quæ ex his principijs pendet, eſſe valdè dubiã. Quare ſi doctrina de anima, quàm in 1. tex. dixit eſſe honorabiliorem omnibus alijs doctrinis propter eius certitudinem, eſt ita anceps, quomodo poterimus committere noſmetipſos doctrinæ Ariſt. tanquam certę, & omninò indubitatæ? — *Dubitatio de natura animalium.*

106 Adde quod Ariſt. ſępius in aſſerendis ſuis aſſertionibus vtitur particulis illis dubitatiuis, fortè, quaſi, & id genus; & ſua placita non erubeſcit confirmare aliorum auctoritates, vt patet 12. Met. in enumeratione orbium cœleſtium: Citat enim etiam ſępiſſimè Poetas Tragicos, Liricos, & ipſum Homerum, cuius carmine de rebus altiſſimis concludit librum 12. Met.

107 Demum, vt reliqua omittam illud quod habet 2. Met. tex. 1. ſatis ſuperque euidens teſtimonium eſt inſufficientiæ doctrinæ Ariſt. circa res diuinas, quarum cognitio debet nobis quàm maximè curæ eſſe, dum inquit. *Cum verò difficultas duobus modis ſit, fortaſſis cauſa* — 2. Met. tex. 1 *Dubia eſt doctrina Ariſt in rebus altiſſimis.*

O *eius,*

eius, non rebus, ſed nobis ipſis ineſt: Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent; ita, & intellectus animæ noſtræ ad ea quæ manifeſtiſſima omnium ſunt. & lib. 1. de partibus animalium cap. 5. inquit. *Sed partem illam æternã, & proinde nobilem ac diuinam minus contemplari propterea poſſumus, quod admodum pauca illius modo ſenſui patent, quorum beneficio, tum de ea ipſa parte diuina, tum de ijs, quæ noſſe cupimus, facultas nobis cogitandi indagandique ſuppeditatur;* & paulò infra. *Res namque illas ſuperiores, tametſi leuiter attingere poſſumus ob eius cognoſcendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm cum hæc nobis iuncta omnia tenemus.* Ex his enim omnibus nos certos reddit rerum cognoſcendarum, præſertim diuinarum, & quæ magis cognoſcenda ſunt minimam partem ipſum attigiſſe, atque illam non niſi cũ maxima dubitatione. Nemo ergo ita doctrinam Ariſt. debet euehere, vt illam perfectam, & omni gradu abſolutam & certam exiſtimet.

Lib. 1. d par tib. animal. cap. 5.

Defenditur Religio Chriſtiana cõtra Auerroem.

108 Verùm breuiter (vt ratione etiam aliquid differamus) ponderemus vnum præcipuum dogma Ariſtotelicum, quod Auerroes 12. Met. tex. 18. in illa digreſſione tueri nititur (licèt difficilè eſſe maximè fateatur) contra legem Chriſtianam & Hebraicam, nimirum omnem productionem ſubſtantialem rerum eſſe generationem, nullam verò dari creationem. Hoc enim dogma fundatur in illa propoſitione ex nihilo nihil fit, & ideo requiri ſubiectam materiam, ex qua agẽs educat formam, quæ in materia latitabat, ſeu erat in potentia, & reducatur ad actum. Sed quæſo quomodo Ariſt. probat illam propoſitionem, Ex nihilo nihil fit, certè 1. Phyſicorum tex. 75. & inde, nõ alio medio, quàm auctoritate Antiquorum, qui exiſtimantes veram eſſe hanc propoſitionem, negauerunt dari generationem. Ariſt. autem ipſe diſtinxit concedendo generationem ſimpliciter ex non ente non dari, ſed ex ente in potentia dari, vt notum eſt inſpicientibus illos textus. Hoc ergo principium, quod eſt principale fundamentum in Philoſophia Ariſt. & aliorum naturaliter loquentium, Ex nihilo nihil fit, fundatur in opinione hominum, non in aliqua ratione. Vides hìc quã debilia ſint principia Philoſophiæ. At hoc principium eſſe falſum, & proinde dari poſſe creationem in tempore multò rationabiliori principio oſtendunt Theologi. Vnde Scotus in 2. ſent. diſt. 1. q. 2. hoc principium philoſophicum eſſe falſum, & dari creationem abſolutè, & etiam in tempore facilè probat, & quidem quod abſolutè detur ſic. Datur vnum primum efficiens qui eſt Deus 12. Met. *Entia nolunt malè diſponi. Vnus ergo Princeps.* At aliquis non poteſt eſſe primum efficiens, niſi immediatè aliquid efficiat. Patet hæc propoſitio; quia ſi non poſſet agere niſi mediante alio non eſſet primum efficiens, ſed haberet conſortem, & ſic non eſſet primũ. Neceſſe eſt etiam illud quod

Scoti ratio quod creatio abſolutè detur.

in me-

Digitized by Google

immediatè producitur à primo efficiente nullo medio ſubiecto efficiatur: quia tunc non efficeret immediatè, ſed mediatè, ſcilicet mediante materia ſubiecta & ſic non eſſet primum efficiens, quia de ratione primi efficiẽtis eſt, quod ſine vllo medio primo agat, & efficiat: ſi enim egeat aliquo ſubiecto præuio, iam non erit prima cauſa, ſed ſecunda, & imperfecta, & pendens ab alio in ſua actione quæ omnia repugnant cauſalitati primæ. Præterea ſubiectum illud, quo mediante ageret, primum agens in prima actione vel eſſet incauſatum, vel cauſatum. Primum dici non poteſt, quia eſſet tranſmutabile, ſiquidem ex illo tanquam ex ſubiecto primum agens faceret alia. At nullum tranſmutabile eſt neceſſe eſſe. Ergo eſſet cauſatum ab alio; at non ab alio quàm à primo agente, & ſine ſubiecto; quia nullum aliud ſubiectum prius daretur; ergo eius cauſatio fuiſſet creatio. Adde quod dicere agens educere formam de potentia materiæ, quaſi ibi latitet eſt imaginatio valde debilis, vt fatetur inuitus ipſe Auerroes, & habet multos contradicentes, quos ibi citat Auer. qui volunt formas immediatè extrinſecus produci: quia cum actio fiat ex ſimili, nihil eſt in materia quod ſit ſimile formæ quæ producitur, cum in materia nihil ſit actu, ſed ipſa tota ſit potentia, ergo rationabilius eſt dicere quod forma immediatè producatur ab agente diuino, quæ eſt cauſa cauſarum ex nihilo extrinſecus in ipſam materiam, quàm dicere quod eam extrahat ex ſubiecta materia, quæ eſt turpis, & nihil habet actu quo aſſimiletur formæ producendæ, & licèt verſatis in doctrina Ariſt. propter habitum in illa factum hæc ratio non videatur concludere, tamen ei, qui non ſit admodum addictus Ariſtoteli, non videbitur difficilis conſiderando rationem in ſe.

109 Quod autem dari poſſit creatio noua, & in tempore probat Scotus. Quia fundamentum Philoſophorum, quod creatio temporalis non poſſit dari, eſt, quia dicunt Deum, & primum efficiens eſſe cauſam naturalem, naturaliter non libere agentem. At hoc eſt principium falſiſſimum, quod probatur. Quia ſi prima cauſa ageret neceſſariò, omnia neceſſariò euenirent, & nulla daretur contingentia in rebus, quod eſt contra Peripateticos, & omnes Philoſophos, exceptis Stoicis, qui poſuerunt fatum. Conſequentia verò probatur, quia cauſæ ſunt eſſentialiter ordinatæ, & omnes ſimul agunt ex 2. Met. in principio. At prima cauſa eſt potentior ſecundis, cum ab ipſa pendeant, & ab illa motæ moueant; ergo ſi cauſa prima neceſſariò agit, ſecundæ cauſæ quoque neceſſariò agere debent; quia agunt, vt motæ à prima. Cum ergo falſum ſit primam cauſam agere neceſſariò; ſequitur ipſam agere liberè, & contingenter, & conſequenter agens primũ poteſt agere quando vult, & aliquid immediatè in tempore produce- *Ratio Scoti quod creatio tẽporalis detur.*

O 2 re,

Digitized by Google

re,quod eſt creare. Rationabilior ergo eſt aſſertio Chriſtiana, quàm Ariſtotelica contra ipſum Auerroem,ſed de hoc aliàs fuſius.

Quam dubius Plato & ſua doctrina

110 At ne quis parum addictus Philoſophiæ Ariſtotelis ignorantiam Ariſtotelis accuſet, & alijs Philoſophis ſapientioribus ſtudendũ eſſe ſibi,& alijs ſuadeat, Audiamus Platonem, quid de rerum naturalium cognitione tandem poſt multum laborem, & in ſua ſenectute Socratem dixiſſe, introducat. In lib. de anima habet hæc verba in perſona Socratis. *Nam ego ò Cæbes cum iunior eſſem quam mirabili exarſi cupiditate eius ſcientiæ, quam naturalem ſapientiam appellant. Præclarum enim mihi videbatur cauſas rerum ſcire,cur ſingula quoquo modo gignantur,atque corrumpantur,& cur ſint atque permaneant,ac ſępenumero me huc,atque illuc verſabam alia diligenter conſiderans. Num poſteaquã frigidum,& calidum,ad putredinem quandam (vt quidam aiunt) peruenerint,tunc animalia concrecentur,& vtrum ſanguis eſt quo ſapimus, an aer, an ignis,an nihil horum,ſed cerebrum potius,à quo audiendi,videndi,olfaciendique ſenſus nobis præſtantur,quibus quidem ſenſibus memoria conflatur,atque opinio. Ex memoria autem atque opinione cum tranquillitatem in his acceperint originem ſcientiæ proſilire. Rurſusque horum omnium corruptiones excogitando, tam ad hanc ineptus conſiderationem mihi viſus ſum, vt nihil ſupra. Cuius rei ſignum tibi ſufficiens afferram. Nam ex hac conſideratione, vel ipſa,quę prius plane ſciebam,vt tam mihi, quàm alijs videbar didici: ſic tardior, vel cęcus omninò factus ſum.* hæc Plato, quibus ſatis apertè, & ipſe ſuæ doctrinæ imbecillitatem oſtendit. Latius ergo,& rationi multo magis conſonum eſt,rerum naturalium doctrina eorum Philoſophorum,qui rationi proximius acceſſiſſe videntur retenta,cognitionem de rebus diuinis, & homine ipſo, qui omnibus rebus creatis eſt excellentior, apud eos auctores indagare,de quorum auctoritate minus dubitare, & certius credere ratio ipſa ſuadet.

Veritas rerũ petenda eſt à Religione.

Huiuſmodi autem ſunt qui de Religione tractant. Cum enim de cultu,& honore diuino agant,maiorem notitiam de Deo habeant, quàm alij, qui de illis nihil cogitant neceſſe eſt. Hoc etiam eſt rationabile, quia omnis noſtra cognitio, vel eſt per inuentionem, vel per doctrinam,ſeu per traditionem ab alio. Cum ergo per Philoſophiam,quæ inuentione nititur ad hæc peruenire non poſſimus; meritò ad auctores qui à Deo dicuntur illuſtrati,& docti ſunt, cuiuſmodi ſunt Theologi,& tractatores Religionis recurrendum eſt. Quod ſi ſuam doctrinam,& Religionem à Deo accepiſſe conſtabit, illis abſque dubio inhęrendum erit,quia Deus nec falli nec fallere poſſe eſt per ſeipſum notum, ſi verus Deus ſit. Nunc videamus quæ nam vera religio ſit: quod ſi probauerimus illam eſſe Chriſtianam, huic omninò adhærendum eſſe erit certiſſimum.

Digitized by Google

111 Quatuor in vniuerſum reperio inter homines extitiſſe, vel adhuc extare Religiones. Prima eſt Gentilium. Secunda Iudæorum. Tertia Chriſtianorum. Quarta Mahumetanorum. Verùm hæ quatuor iurè ad duas reduci poſſunt; tres enim poſteriores, nimirum Iudæorum, Chriſtianorum, & Mahumetanorum ſub vna redigi poſsũt, quia Iudæorum, & Chriſtianorum vna, & eadem Religio eſt, & eſt vera, vt poſtea videbimus; quamuis Iudæi id fateri nolint. Mahumetiſmus autem eſt hæreſis malignorum, & perfidorũ hominum à Chriſti lege apoſtatantium. Primò ergo videndum eſt, quàm vana ſit Religio Gentilium, & quàm iurè populi Chriſtiani, qui prius erant Gentiles, ab illa receſſerint. Secundò, quàm rationabiliter ſacram ſcripturam datam Iudęis acceptauerint, legalium autem obſeruantiam, & Iudęorum incredulitatem abiecerint, & Euangelium, ac legem Chriſti acceptauerint. Tertiò demum quàm à veritate recedat hæreſis Mahumetana. Vt ſic conſpiciatur veram ſapientiam reuelatam à Deo eſſe eam, quæ in Euangelio apud Chriſtianos habetur. Exordiamur autem à Religione Gentilium. *Quatuor Religiones præcipuę in vniuerſo.*

112 Gentiles in tria genera partiebantur ſuam Theologiam, ſeu Religionem, vt optimè oſtendit Euſebius lib. 4. de præparatione Euãgelica cap. 1. & facilè conſpicitur legendo opera Platonis, & aliorum Gentilium, præſertim Plutarchi, & Ciceronis de natura Deorum. Primum erat fabuloſum; quod etiam hiſtoricum appellabant Poetis maximè proprium. Secundum erat naturale atque miſticum, quod Philoſophi approbabant. Tertium erat ciuile, quod in ſingulis ciuitatibus conſuetudine, ac legibus defenſabatur. De duobus prioribus generibus Theologiæ, ſeu doctrinæ diuinæ non erant multum anxij etiam Gentiles. Nam (vt refert ipſemet Euſebius) loco ſupra nunc citato, de illis duobus generibus fabuloſo, & naturali ſinebant vnumquemque ſicuti placeret interpretari, & reprobare. De tertio verò nempè ciuili, quod ſingularium legibus ciuitatum comprobabatur, nec poeta quiſquam nec Philoſophus aliud ſentire poterat, niſi vellet tanquam impius iure patrio puniri. De illo primo genere fabuloſo, ſeu hiſtorico, non eſt, vt multum laborem in explicando; plena enim ſunt volumina Hiſtoricorũ, Poetarum, & Philoſophorum, & Diodorus Siculus, Philo, Piblius, Porphirius, & alij apud Euſebium lib. de præparatione, & demonſtratione Euangelica fusè explicant. Quantum ad hoc genus compertum eſt Ægyptios, Phenices, Atlantios, Phryges, Græcos, Romanos, & quoſcunque alios populos ante Chriſti aduentum, deitatis venerandiſſimum nomen ſceleſtis hominibus, & fœminis tribuiſſe, qui adulteria, nefanda Matrimonia, maribus impudicam commixtionem, homicidia, paricidia, confecta ſcelere

Religio Gentilium confutatur.

Plutarchi lib. amatorio nu. 31.

Tria genera Theologię Gentilium.

Primum genus Theologiæ Gentiliũ quàm impiũ.

Gentiles Deitatis nomen venerãdum ſceleſtis hominibus tribuerunt.

O 3 bella,

bella, quaſi res laudabiles geſſerunt & poſterioribus, tanquam vtiliter imitanda tradiderunt; Huiuſmodi enim fuerunt Gentilium Dij, Saturnus, Iuppiter, Apollo, Mercurius, Neptunus, Hercules, Iuno, Minerua, & alij innumerabiles, vſque ad 36. millia iuxta Varronem. Quàm autem inepiè in hanc impietatem incurrerint, Gentilium Sapientes cognouerunt, & publicè deprędicarunt, licèt miſeri fidem illis non adhibendam eſſe docere noluerint, timore legum ſacrilegarũ id vetantium, vt videbimus. Sufficiat nobis vnus pro omnibus Plato, ad quem Iulianus Apoſtata, a Religione Chriſtiana diſcedens, tanquã ad veræ Theologiæ auctorem ſe recepit. Hic in Timeo iſta habet verba. *Sed de aliorum Dæmonum, atque Deorum generatione diſſerere maius eſt opus, quàm humeris noſtris ferre poſſimus. Quare his, qui hęc tradiderunt credere debemus, qui cum à Dijs orti ſint, parentes ſuos qui ſint oportunè teneant nullo modo falluntur. Nam quamuis neque neceſſariò, neque probabiliter dicant: tamen, quia rem ſuam narrant, ęquum eſt, vt eis fidem adhibeamus. Quare ſecundum priſcorum inſtituta, Geneologia Deorum terminatur, creduntur que cœli, ac terrę filij, Oceanus, & Tetis fuiſſe ex quibus Phorcis, Saturnus, Ops, & alii quamplures nati ſunt. A Saturno autem, & Ope Iuppiter, & Iuno, &c.* Hæc Plato, quibus breuiter, & Genus Theologiæ Gentilium manifeſtat, & quàm irrationabile & contemnendum illud eſſet ſimul patefacit, dum dixit *quamuis neque neceſſariò, neque probabiliter dicant*.

Iulianus Apoſtata ad Platonem ſe recepit.

Teſtimoniũ Platonis de vana Gentilium Religione.

Cur Religionis Chriſtianæ patres Religionẽ Gentilium dereliquerint.

113 Vnde nemini mirum eſſe debet, ſi Patres noſtri gratia, & miſericordia Dei, & ineffabili virtute Saluatoris noſtri, quaſi ab incurabili morbo liberati, huiuſmodi Religionem ſacrilegam contempſerunt. Rationem enim ſequuti, nefandum, atque impium duxerunt ſanctiſſima Dei appellatione mortales, & turpes viros honorare, quæ extremæ petulantiæ, credulitatis, atque furoris exempla poſterioribus tradiderunt: Quam enim inſaniam non ſuperaſſent, ſi modeſtiam, prudentiam, iuſtitiamque laudantes petulcis, ac incontinentibus, omni furore plenis, crudelibus quoque, ac inhumanis, homicidio ſimul ac paricidio maculatis, diuinos honores reddidiſſent, & reddi debere nos docuiſſent? Quis enim maior cumulus impietati addi potuit, quàm in virorum mulierumque membra, & inexpertem rationis terrarum naturam ſanctiſſimam Dei appellationem intrudere? Eaque Deo tribuere, quæ ſi de homine aliquo dicantur legibus, & conſuetudine Ciuitatum grauiſſimo ſupplicio punirentur?

Secundũ genus Theologiæ Gentiliũ quàm inane.

114 Sc̃dum genus Theologiæ Gentiliũ non minus vanum ſe ſe prębet. Vanitatem enim primi generis, Philoſophorum primi, & vetuſtiſſimi Romanorum videntes, & hiſtoricã illam, & fabuloſam Theologiam non niſi ſtupiditatem & cæcitatem quandam præſeferre confide-

ſideräs tes illam per allegorias, & interpretationes explicare nixi ſunt. Verùm cum hoc aliter alij dixerint, & vnuſquiſque inuenta ſua vera eſſe contendat, non eſt, vt hæc hic ſcribamus, poterit qui voluerit de hoc genere Theologiæ legere Plutarchum apud Euſebium lib. 3. de præparatione Euangelica cap. 1. & cap. 2. ibidem poterit legere Diodorum Siculum, & alios, Theologiam naturalem Ægyptiorum interpretantes. Volunt enim Ægyptios per Oſirim, & Iſim, Solem, & Lunam intellexiſſe; per Iouem ſpiritum, qui per omnia tranſeat; per Vulcanum ignem; per Cerrerem terram; per Oceanum humiditatem, ac Nilum fluuium, cui Deorum, ideſt bonorum omnium generationem attribuunt; aerem Mineruam appellarunt; ſic aquam, & alias res naturales Deos pro eorum diuerſis allegorijs, & ſignificatis vocauerũt; fabulas etiã turpes ſeu hiſtorias de Ioue, Saturno, Iunone, & alijs Dijs, etiam cæremonias, ſacrificia, & ritus in ijs vtendis, etiam impios, & impudicos ad aliquas ſignificationes, & allegorias morales traduxerunt. Quid autem turpius, quàm obſcenitatem Idolorum excuſare? Quid amentius, quàm elementis corporalibus, terra, igne, aqua, aere, ſole, luna, auro, argento, ligno, lapidibus huiuſmodique rebus materialibus naturam, & numen diuinum ſignificari putare? quid Philoſopho, ideſt amatore ſapientiæ indignius, quàm virtutes, & actiones morales bonas, actionibus turpibus plebi, & hominibus inſinuare? Quod ad hoc genus Religionis confutandum in generali ſatis eſt. Qui autem has eorum allegorias nugas eſſe in particulari refutatas videre vult, Euſebium ipſum legat vbi ſupra, & toto illo lib. 2. neque enim acta ab alijs afferre iterum nobis conuenit.

Philoſophi quàm impiè Religionẽ Gẽtilium interpretati ſint.

115 Tertium genus Religionis Gentilium quod ciuile appellabãt, & continebat oracula reſponſa, curas morborum in pijs, & in impijs contra inductionem vel incrementum eorundem, quæ omnes tanquã veras virtutes facto periculo comprobatas legibus firmiſſimis colenda, & tenenda eſſe decernebant ex confutatione primi generis ruit. Si enim hiſtoriæ Deorum fabuloſę erant, quomodo poterant oracula, & reſponſa eſſe vera, & verè ab ijs fictis numinibus morborum curationes in pijs, vel eorum incrementa malorum in impijs fieri, & reliqua, quæ congeſſit Porphirius & cæteri Deorum acerrimi cultores tradiderunt ſpeciem veritatis habuiſſe. Vel ſi illa vera erant, quomodo à fictis Dijs prouenire poterant? Non ergo illi erant diuina numina vt ſe venditabant, ſed perfidi Dæmones, qui miſerum humanũ genus ante aduentum Saluatoris impiè illudebant, immo miſerè perdebant, ad omnia vitia eos inducentes vſque ad cędes immaniſſimas hominum pro ſacrificijs ſuis; quæ tunc ſolùm ceſſarunt cum Chriſti Domini Saluatoris tempus illuxit.

Tertiũ genus Theologię Gẽtilium quàm abſurdum.

Imolatio hominum pro ſacrificijs ſolum tempore Saluatoris ceſſauit.

116 Cum itaque (vt vno ferè verbo dicam) tota Gentilium Religio nihil præter hæc ſenſibilia intendens, corporum fœlicitate terminetur, Adeò vt quaſi maxima Deorum voluptas à gentibus coleretur; ac propter voluptatem vitam optabilem ducerent; Vndè alij Solem, alij Lunam, & reliquas ſtellas, à quibus hanc vitã dari putabant; Alij terræ fruges, & reliquas Mundi partes, Vndè non paruam ſe voluptatem capere videbant Deos, & auctores omnium rerum eſſe prædicarent; Alij non ſint vetiti, titilationem ſenſuum, Cupidinem, & Venerem, non ſibi ſolum, verum etiam cæteris Dijs præponere; Alij Principes, ac Tirãnos, qui eis voluptatis fuerunt viuos adorare, & poſt mortem Cœlos aſcendiſſe crediderint; Alij malignos quoſdam ſpiritus, qui cupiditates eorum intendebant, & voluptatibus explebant venerarentur. Ex aduerſo autem, ſolum Hebræorum genus inter tot tantoſque errores ab vno collo tanquam Hydra in diuerſa capita profuſos, veram pietatem ſequeretur, non niſi maxima ratione Patres noſtri Gentilitijs erroribus relictis ad Hebræos ſe conuerterunt. Hi ſoli pia Sanctaque conſideratione primum elementa, & quæ ab elementis compoſita ſunt, Solem ſimiliter, & Lunã, & cęteras ſtellas, & Cœlum ipſum non ſolum Deos non eſſe, vtrum etiam animæ pœnitus expertia iudicarunt. Deinde quoniam neque à lapidibus, caſu vnquam ſine artifice domus ædificari; nec pannus abſque texente fieri; nec nauis ſine gubernatore nauigare poteſt, cum animalibus rationalibus, atque irrationalibus, & ſubſtantijs animatis, atque inanimatis plenum hunc mundum viderent non abſque ſapientia Dei, hæc omnia facta putantes à magnitudine, atque pulchritudine creaturarum puritate mentis creatorem omnium immortalem cognouerunt. Animum autem, qui rationalis, atque intellectiuus eſt, ſummo ſtudio coluerunt; Nec quicquam verum bonum, præter bonorum omnium largitorẽ Deum credentes extremum finem ſummamque beatitudinem in cognitione atque coniunctione Dei poſuerunt, qui ſolus humanæ vitæ rerumque omnium cauſa eſt. Cur ergo reprehendendi ſumus nos, qui doctrinam Moyſis, & oracula prophetarum ab Hebræis excultarum, Græcorum, Ægyptiorum, Phęnicum, cæterarumque gentium magis propoſuimus?

Solum Hebręorum genus verã pietatem coluit.

Cur homines Gẽtilitatis erroribus relictis ſequuti ſint Religionem Hebręorum.

117 Sed nec temerè, & inconſultò patres noſtri Gentiles Religionem Hebræorũ acceperunt, verùm euidentibus ſignis, & miraculis à Chriſto Domino factis, & per vniuerſum orbem euulgatis; per deſtructionem Idolorum, & oraculorum, quæ Aduentu Chriſti Domini ceſſauerunt, etiam ex confeſſione Gentilium, & experientia ipſa conſpicuum eſt, è tenebris ignorantiæ Gentilitiæ in lucem doctrinæ ab ipſo Chriſto Domino reuelatæ educti, intellexerunt legem illam Hebræorum

Non temerè patres noſtri Religionem amplexi sũt Hebręorum.

rum

Digitized by Google

rum à Deo quidem fuiſſe dictatam, & Moyſem eorum legiſlatorem, & alios Prophetas, à Deo inſtructos, eam commendaſſe; at non vt eſſet perpetua, & ab omnibus hominibus obſeruanda, ſed ſolum ad tempus, donec ſcilicet, verus mediator Dei, & hominum, Chriſtus Ieſus veniret, quĩ, & Hebræos, & Ægyptios, & Græcos, & omnes homines in agnitionem veritatis, & veræ Religionis adduceret. Vnde nedum legiſlator Hebręorũ, ſed omnes Hebræorum ſapientes hanc veram, & vniuerſalem Religionem in vniuerſo mundo futuram, & ab omnibus gentibus obſeruandam ſemper, & vbique ſignificant, explicant, et eius futuram obſeruationem præuidentes exultant. Dauid Pſalmo. 9. ait *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt*. & iterum, *Cantate domino canticum nouum*. ideſt non amplius canticum vetus, nimirum legem veterem, *Cantate domino omnis terra*. Non autem ſolus hebraiſmus. *Annuntiate in gentibus gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius, quoniam Dominus, & laudabilis, valde terribilis eſt ſuper omnes Deos. Quoniam omnes dij gentium Dæmonia Dominus autem Cælos fecit. Afferte Domino tribus gentium, afferte domino gloriam nomini eius*. Et rurſus, *Dicite in gentibus, quod Dominus regnauit, etenim correxit orbem terræ, quæ non commouebitur*. Et alibi, *Cantate Domino Canticum nouum; quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri*. His, & quamplurimis alijs indicit Canticum nouum, non vni genti Iudæorum, ſed omnibus omninò gentibus, quando illud antiquum canticum Moſaycum ſolis conueniebat Iudæis.

Lex Hebręis data à Deo fuit, at nõ in perpetuũ, & ab omnibus obſeruanda.

Dauid.

118 Hoc nouum canticum Hieremias alius Hebręorum Propheta nouum teſtamentum, nouam Religionem appellat his verbis. *Ecce dies veniunt dicit dominus, & diſponam domui Iſrael, & domui Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum, quo die apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, eo quod ipſi non manſerunt in ijs, quæ erant teſtamenti mei. Ego item neglexi eos dicit dominus: Quoniam hoc teſtamentum, quod diſponam Iſrael dicit Dominus dans leges meas in interiorem ſenſum eorum, & in cordibus eorum deſcribam*, & *ero ipſorum Deus, & ipſi erunt mihi populus*. Ecce adhuc duo teſtamenta. Alterum vetus, alterum nouum. Vetus eſt lex Moyſis data ſolis Hebræis. Nouum eſt lex Euangelij data omnibus gentibus; Quod & alius Hebręorum Propheta Eſaias, vt alios omittam, his verbis prædixit. *De Syon exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem; & iudicabit inter gentes, & venient omnes gentes, & congregabuntur omnes populi, & dicent. Venite aſcendamus in montem domini, & in domum Dei Iacob*. Nulla autẽ lex de Syon proficiſcens diuerſa

Hieremias.

Eſaias.

dumta-

dumtaxat ab ea, quæ in monte Sina data eſt, reperitur niſi lex Euangelica, quæ per Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtũ, perque eius Apoſtolos de Syon profecta eſt, perque omnes gentes diſſeminata eſt. Cũ ergo & ſanctitate doctrinæ, & miraculorum claritate, & prophetarum prædictionum adimpletione Chriſtus Dominus, & eius Apoſtoli indubitatam fidem faciant, veram Religionẽ per Hebræos ad vniuerſum mundum Deum voluiſſe emanare, & ex Hebræo genere populo peculiariter electo à Deo Saluatorem Mundi prodire, quamuis Hebræi ipſi, omninò carnales, propter inuidiam illum acceptare noluerint, ſed permanere velint in eorum cæcitate, quæ per eorundem Prophetas prædicta fuit Iſaię 6. *Vade ad populum iſtum, & dic, aure audietis & non intelligetis, & videntes non videbitis, & non perſpicietis; incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne fortè videant oculis ſuis, & auribus ſuis audiant, & corde ſuo intelligãt, & conuertantur, & ſanem eos*, meritò maiores noſtri Gentiles ſcripturas Hebræorum, & legem Euangelicam per Chriſtum promulgatam Hebræis in ſua cæcitate relictis, acceperunt. Sed de hoc argumento ad Theologos.

Mahumetiſmi deliramẽta nobis negotium non faceſcunt.

Mahumetus oẽs hereſes in ſuo Alcorano congeſſit.

Fundamẽtũ doctrinę Mahumeti.

Mahumetus fatet Euãgeliũ eſſe Dei eloquium.

Aſſerit Chriſtum ſanctiſſimũ Prophetã natum ex Maria Virgine; negat tamen crucifixũ fuiſſe à Iudæis.

119 Mahumetiſmi deliramẽta nobis nullum negocium faceſcũt. Mahumetus feces omnium antiquorum hæreſum, quas Satan inter Chriſtianos, poſtquam Idola deſtructa eſſe vidit, introducere conatus fuit, in ſuo Alcorano congeſſit, auxilio quorundam Chriſtianorum hæreticorum Baheyra Iacobita, Phines, & Abdia, ſeu Abdala Iudęis, & quibuſdam alijs. Doctrinam ſuam non rationi inniti fatetur, (quippè quæ cum illa qua maximè pugnat) ſed reuelatione diuina iactat; Vnde autem id comprobet non aſſignat, niſi ex viſione illa de beſtia Alborach; quæ quàm ſit ſtolida nemo eſt niſi cæci Saraceni, qui non videat. Fatetur Mahumetus Euangelium Chriſti, & teſtamentum vetus Moyſi eſſe verum Dei eloquium; Commendat Pſalterium, & alios Prophetas, Iob, & demum teſtamentum vetus. At ſuper omnia exaltat Euãgelium Chriſti; Aſſerit Chriſtum ſanctiſſimum hominem & Prophetam maximum, natum ex Maria Virgine ſine Patre (negat tamen à Iudæis crucifixum fuiſſe, ſed quẽdam ei ſimilem; vult quod Deus tranſtulerit illum in cœlum ad ſe, & quod ſit apariturus circa finem Mundi, & occiſurus Antichriſtum, & demum moriturus.) Verùm cũm his omnibus præcipua dogmata noui, & veteris teſtamenti in ſuo Alcorano deſpicit, & prohibet, & contraria omninò præcipit credenda, & agenda. Negat cum Sabellio hæretico Trinitatem Diuinam; Cum Ario, & Eunomio negat Chriſtum eſſe verum Deum, & Dei filium; mendaciter aſſerens cum Arianis Chriſtum Dominum nunquam Deum nec filium Dei ſe nominaſſe, cum tamen apertè pa-

teat

teat Iudæos non alia de cauſa crucifixiſſe Chriſtum, niſi quia dicebát eum blaſphemaſſe, eo quia ſe filium Dei fecit; Poſuit vltimam fœlicitatem hominis in gula, coitu, in veſtibus pretioſis, & in hortis irriguis in quo conuenit cum Cherinto hæretico, & Paganis antiquis. Docet Circumciſionem eſſe tenendam, in quo conuenit cum Ebione hæretico. De virtutibus nihil eximium dixit; vitia commendauit, vel permiſit, & poſt omne malum, & ſcelus perpetratum docuit Saracenos nihil aliud ad ſalutem eſſe neceſſarium, niſi quòd dicant non eſt Deus niſi Deus, & Mahumetus eſt nuncius Dei.

Præcipua dogmata Euangelii deſpicit.

Remediũ ad delenda peccata ex Mahumeto.

120 Quod ſi quis, quę in lege Mahumeti deliramenta ſunt vt de viſione beſtiæ Alborach, de longitudine vniuſcuiuſque Angeli, quam dixit eſſe inſtar Mundi, multis mille vicibus; & quod eorum aliquis habebat ſeptingenta millia capita, & in quolibet capite ſeptingenta mille ora, & in quolibet ore, ſeptingenta mille linguas laudantes Deũ ſeptingentis mille millibus Idiomatibus, & ſimilia, dicat eſſe allegoricè intelligenda, vt nonnulli dixerunt, & aliqui Mahumetani ſuſtinent, nihil eſt. Quia ſenſus allegoricus præſupponit ſenſum litteralem: At de viſione Dei, & cognitione Angelorum nullus alius ſenſus litteralis habetur apud Mahumetum in ſuo Alcorano, vel alibi per quem iſta deliramenta explicari poſſint. Nos quidem Chriſtiani in Euangelio habemus deſcriptionem beatitudinis ſub parabola cœnæ, & conuiuij ad deſignandam magnam fœlicitatem illius gloriæ. At in eodem Euangelio habemus beatitudinem veram conſiſtere non in cœna, & conuiuio corporali, ſed in viſione, & fruitione Dei, qui ſunt actus intellectus & voluntatis animæ noſtræ rationalis; ideò deſcriptionem beatitudinis per conuiuium dicimus eſſe per allegoriam intelligendam. Idem dicendum de viſionibus Apocalipſis: deſignant enim aliqua myſteria, quæ litteraliter in ſcriptura ſunt explicata, vel ſunt futura. At dicunt in veteri teſtamento a Moyſe, & in nouo à Chriſto factam eſſe mentionem de Mahumeto, Iudæos verò corrupiſſe legem Moyſis, & Chriſtianos Euangelium, atque inſeruiſſe illa ardua, & incredibilia, quę reddunt fidem, & Chriſti legem difficilem, & nõ acceptandam; ſcilicet, quod Chriſtus fuerit Deus, & filius Dei; quod Chriſtum nunquam dixiſſe contendunt. Sed quàm futilia ſint iſta, eſt ex ſe euidens. Idem enim vetus teſtamentum, & Euangeliũ, quod eſt nunc, fuit ab initio apud omnes gentes, apud omnes populos, nec de illorum corruptione vlla habetur mentio. Sed quod ſit mera fictio lubrici hominis ex eo patet; Quia nihil eſt in fide Chriſtiana tam maximè arduum, quàm incarnatio Dei; ſcilicet quod Chriſtus ſit homo & Deus; quod tàm difficilè fuit, & eſt ſuadere Mundo; Vnde Arriani, & Pagani propter hunc articulum perſecuti ſunt Chriſtianos

Ineptiæ prolatæ à Mahumeto de viſione Alborach.

In lege Mahumeti non habet locum ſenſus allegoricus, et quare.

Mahumetani falsò imponunt Euãgeliũ, & vetus teſtamentũ fuiſſe falſatum, & in eo mentionẽ factam fuiſſe de Mahumeto.

trecen-

trecentis continuis annis, & generaliter diſtulerunt recipere fidem, & Euangelium hac de cauſa, quia lex Chriſti docet, quod homo ille Chriſtus eſt Deus. Romanis certe non fuiſſet difficile recipere hominem Chriſtum in numerum Deorum, cum tot alios homines, & mulieres in Deos, & Deas accepiſſent; ſed adeò acriter contradixerunt, quia Chriſtus Dominus non patiebatur conſortem: Vnde ſi Chriſtum Deum recepiſſent, cogebantur omnes alios Deos relinquere, quod erat contra eorum conſuetudinem, & pacta Prouinciarum; Quomodo ergo Chriſtiani in damnationem ſuam, & detrimentum fidei, & prouocationem Romanorum, & Principum Mundanorum, hoc maximè arduum, & minus ſuaſibile in ſuis ſcriptis, & Euangelijs addidiſſent? omnes enim conſentiebant legem Euangelicam eſſe ſanctiſſimam, & rationabiliſſimam hoc ſolo excepto, quod homo ille ſit verus Deus. Magis igitur Chriſtiani, ſi aliquid de Euangelio mutaſſent, quod erat arduū, & minus ſuaſibile à principio ſubtraxiſſent, & addidiſſent aliquid ſuaſibile quā è contrario, vt plures ad fidē accederent.

Alia euaſio Mahumetanorum refellitur.

121 Quod autem vltimo reſpondent ſapientiores ſectatores Mahumeti, Euangelicam legem quidem à Deo eſſe, & id Mahumetum confiteri, ſed Deum illam mutaſſe propter ardua, & difficilia, quæ ſunt in ipſa ad credendum, & obſeruandum, & miſiſſe Mahumetum vltimum Prophetam tanquàm ſigillum omnium legum ad dandam legem facilem ad obſeruandum, propter quod eam vocant legem ſaluatiuam omnium; Eſt commentum abſurdum, facit enim Deum ignorantem, & ab euentu rerum ſe gubernare, quaſi viderit Deus curſu temporis homines non poſſe ſeruare legem Euangelicam à ſe datam, & proinde illam mutaſſe, & correxiſſe. Præterea in Alcorano continentur etiam ardua multa ad credendum, quę in Euangelio etiam habentur, vt quod Beata Maria Virgo ſine homine conceperit Ieſum. Continet etiam ardua in operando, vt eſt Circumciſio. Demū quod eius facilitas non iuuet ad eius obſeruationem patet, quia Mahumetani illam non obſeruant, bibunt enim vinum, inebriantur, comedunt illicita, non obſeruant ieiunia, nec orationes, nec expendunt iuxta facultatem, & multa alia à Mahumeto præcepta; quæ nouerunt, qui cum illis verſantur, tranſgrediuntur.

Falſum eſſe Deū mutaſſe legem.

Contra Auicennam, qui exaltat legē Mahumeti ſuper Euāgelium.

122 Quod etiam Auicennas in lib. Almahad, ſeu de reuerſione (in quo diſputat de ſtatu hominis poſt mortem, & recenſet, ac confutat multas opiniones de reſurrectione hominis, & redditu animæ rationalis ad corpus poſt mortem; præſertim ſententiam Chriſtianorum cum qua conſentiunt in hoc Mahumetani, quæ aſſerit reſurrectionem fieri & ſecundum animam, & ſecundum corpus; tenet enim ipſe Auicennas reſurrectionem fieri ſolum ſecundum animā, quam vult cum

ſola

Digitized by Google

ſola ſit immortalis, poſt mortem corporis non ad corpus, ſed ad ſuum creatorem redire, illum videre, & eo frui, ſi ſit habitibus virtutum ornata; ſi verò habitibus vitioſis ſit conſpurata, pœna infernali affici, & carere beatitudine abſolutè, vel in purgatorio purgari ad tempus pro qualitate vitiorum) aſſerit legem Mahumeti longè præſtantiſſimam eſſe ſupra omnes leges præſertim Euangelicam, eo quia de rebus altiſſimis ſcilicet primo principio Deo, de vnitate, iuſtitia, iudicio ipſius, de Angelis, & reliquis rebus diuinis, & cœleſtibus loquitur in vniuerſali, & vt verbis interpretis eius vtar, groſſo modo, non in particulari, ſeu modo ſubtili, & ſpeculatiuo, ſed deſcribendo ea modo populari, vt populus conuenienter poſſit illa intelligere: Accuſatque Chriſtianam legem, quod nimis ſubtiliter de his diſſeruerit. Vnde audet dicere ſe non exiſtimare Chriſtianos præſertim idiotas illa intrinſecè credere, ea de cauſa, quia illa non intelligunt; Similiter Mahumetus ad alliciendum homines ad legem ſuam deſcripſit illis beatitudinem futuram in rebus ſenſibilibus, & delectabilibus ſcilicet in gula, coitu, & ſimilibus; quia, cum hæc ſint ſenſibilia homines illa credunt, & propter amorem, & ſpem illarum obtemperant legi; Chriſtiani autē cum dicant hominem reſurrecturum fore ſecundum animam, & corpus, & deinde proponant ſolam beatitudinem ſpiritualem, & dicant homines futuros eſſe, ſicut Angelos, qui viſione, & fruictione Dei beatificantur, nullam videntur aſſignare beatitudinem corporis, & ſic auertunt idiotas ab obſeruatione legis, & a proſequutione operum ab ipſa ordinatarum; quia hanc beatitudinem ſpiritualem alienam à voluptatibus ſenſibilibus non agnoſcunt. Hæc inquam adducta ab Auicenna non egent confutatione (ſicut nec ea, quæ aduerſus reſurrectionē corporum diſputat, & alia multa quæ ibi congerit: hæc enim à Theologis Scholaſticis adducuntur, & refelluntur) ſed magis veritatem Chriſtianam confirmant. Quis enim vel ſceleſtus audebit aſſerere mendacia, turpia, & vitia pro veritatibus, & rebus decentibus eſſe idiotis proponenda, vt per illa (quia placent) ad legem, quam volunt continere iuſtitiam, & præceptionem operum bonorum, animentur?

123 Concludamus ergo Chriſtianos iiſdem rationibus, quibus legem Chriſti complectuntur eiſdem ſectam Mahumeti, & quamuis aliam hæreſim fortiter abijcere, & damnare. In lege Chriſti nos continent Prophetarum prædictiones; miraculorum claritas; & rationabilitas doctrinæ. Quæ enim docuit Chriſtus Dominus, quamuis ſint alta, ardua, & ſupra captum humanum, à Prophetis tamen longè ante Chriſtum prædicta fuerunt; Per miracula euidentia confirmata ſunt à Chriſto Domino, & eius diſcipulis in omne tempus. Quis enim audebit negare miraculum illud ſupremum in principio publicationis

Fundamentū fidei Chriſtianæ.

Miraculum ſupremū de dono linguarum.

nis legis Chriſti factum de dono linguarum dato Apoſtolis in die Pentecoſtes, mediante quo cum prius eſſent idiotæ, fidem Chriſti diſſeminauerunt in vniuerſo Mundo? Vnde adhuc hodie Sancti Thomæ apud Indos, Sancti Iacobi in Hiſpania, Sancti Petri Romæ, & aliorum Apoſtolorum alijs locis valdè diſſitis ſepulchra cernuntur, & alia quæ non eſt inſtituti noſtri nunc proſequi. Demum doctrina Chriſti rectæ rationi quàm maximè conſona eſt, vt diſcurrendo per ſingula ſatis patet. E conuerſo, quæ docet Mahumetus recto dictamini rationis contraria ſunt; continent obſcenitates, & vitia; nullo teſtimonio diuino, nec miraculis comprobata ſunt; ſed gladio, vel ſordida voluptate intruſa cernuntur. Proinde non niſi ope Dæmonum ad Mundum decipiendum eſſe compoſita credendum eſt.

Alia obiectio Mahumetanorum diluitur.

124 Quod ſi demum quis dicat. Quare ergo tam abominabilem ſectam permittit Deus ſic augeri, & fœlices progreſſus facere? Quæram & ego. Quare Deus tot ſæculis permiſit Idolatriam regnare in vniuerſo Mundo? Cur hæreſim Arrianam, quæ totum penè Mundum inuaſit, & a qua Mahumetiſmus originē duxit, & alias vſque ad tēpora noſtra, & tā alia multa mala, quæ in Mundo fiunt permiſit, & permittit Deus? Iudicia Dei abyſſus multa, & incomprehenſibilia dicebat Paulus Apoſtolus tractans hanc qōnem etiā inſolutā reliquit. Hominem liberum creauit Deus; libertatē illi adimere non vult; quia res, quas condidit, ſic adminiſtrat, vt ſuos motus agere ſinat. Auxiliatur ſuauiter omnibus ad credendum, & operandum bonum quantum ſufficit, vt peccata non habeant excuſationem, neminem vero cogit. Qui plura cupit contra Mahumetanam legem, legat Nicolaum de Cuſa Cardinalem in cribratione Alcorani; & propugnaculum fidei Riuoldi aduerſus Alcoranum, & alios id ex profeſſo tractantes. Noſtro inſtituto hæc tetigiſſe ſatis eſſe videtur, vt ſi fieri poteſt nutantes in fide Chriſti aliqualiter confirmemus.

125 Cum itaque ratio naturalis ſit maximè imbecillis ad res diuinas, & hominis vltimum finem inueſtigandum, & Religio Chriſtiana ſola veræ reuelationi innitatur, captiuare debemus intellectum noſtrum in obſequium Chriſti Domini, à quo cum ſit Deus ipſe non poſſumus decipi. Nunc tranſeamus ad Diſputationem de æternitate Mundi, in qua adhuc ſtupiditas miſerorum Atheiſtarum retunditur.

Digitized by Google

DISPVTATIO
TERTIA.

Vtrùm Mundus ſit æternus, ita quod nunquam habuerit principium, nec vnquam ſit habiturus finem. Vbi æternitas Mundi, quæ eſt fons omnis impietatis, impugnatur.

Quid ſenſerit Plato, & antiquiores Philoſophi de Mundi origine, & duratione. *Caput Primum.*

QVæſtio iſta nullum habet locum apud Theologos, eſt enim abſque vlla dubitatione certum, & de fide, Mundum in tempore creatum eſſe, cum Sacra ſcriptura apertè illud aſſerat. Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram, &c.* Verùm, quia nonnulli ex Philoſophis tenent Mundi æternitatem, aſſeruntque rationibus demonſtratiuis oſtendi nunquam incepiſſe, nec vnquam defuturum eſſe atque hęc aſſertio eſt fundamentum principale Atheiſtarũ, & aliorum multorum errorum, enitendum eſt has eorum rationes adducere, & quàm vanæ ſint oſtendere, etiam dimiſſis principijs creditis (quæ tamen omnibus rationibus naturalibus firmiora ſunt, cum ex ore Dei, qui veritas eſt, nec falli, nec fallere poteſt, procedant) lumine naturali ſolo procedendo.

Variæ opiniones de Mundi productione.

Prima opinio bimembris.

2 Pro cuius intelligentia eſt notandum, varias fuiſſe opiniones de Mundi productione. Aliqui dixerunt, Mundum eſſe productum per generationem, ſed tamen non eodem modo. Aliqui enim dixerunt, eſſe productum per continuam generationem, & infinities generari, & corrumpi; vt Empedocles. Alij in tempore ſemel productum fuiſſe per generationem; & iſta tribuitur Philoſophis antiquis, vt Anaxagoræ, & alijs; & hæc opinio in communi eſt ea quæ reijcitur ab Ariſt. probare enim intendit Mundum non eſſe genitum nec in tempore, nec ab æterno ſaltem per modum generationis, & motus. Alia eſt opinio, quod Mundus ab æterno fuerit productus à Deo, ſed per emanationem, non per generationem, neque per motum; & hæc eſt opinio, quam Scotus tribuit Ariſtoteli; & multi dicunt eſſe Platonis, & Ariſtotelem cum eo in hoc conuenire. Alia eſt opinio, quod Mundus nullo modo ſit factus, nec productus à Deo, neque in tempore, neque ab æterno, neque per generationem, neque per emanationem; & hæc eſt opinio, quæ communiter tribuitur Ariſtoteli, & quam ipſe ſuis rationibus

Secunda opinio.

Tertia opinio.

nibus

Digitized by Google

nibus videtur aſtruere, & per quam differt a Platone, & ab alijs antiquis. Quarta eſt opinio Theologorum, quæ eſt, quod Mundus à Deo productus fuerit in tempore per creationem. Quæ proculdubio eſt vera, cum innitatur reuelationi ipſius Dei, qui nec falli, nec fallere poteſt, vt ſupra diximus. In præſenti nos intendimus confutare opinionem ſecũdam & tertiam, in quarum alteram certum eſt Ariſtotelem deſcendiſſe, & oſtendere Mundum in tempore eſſe factum a Deo aliquo modo per productionem ipſius cum ante non eſſet, & de non ente, vt ſuſtinent Theologi; Intendimus etiam oſtendere antiquos Philoſophos poſuiſſe Mundi productionem in tempore, licèt poſtea in modo productionis non conuenerint, nec ſe ſe ita clarè explicauerint quod ſit productus per creationem: ſat nobis erit oſtendere, quod poſuerunt illum eſſe factum in tempore aliquo modo immediatè à Deo; An verò per emanationem, vel per generationem ex materia prima, quam Chaos exiſtimabant, quam tamen ab æterno emanaſſe à Deo exiſtimabant, vel forſan putabant improductum omninò, vt Ariſtotelem exiſtimaſſe vult tertia opinio non curamus. In primis autem videndum eſt quinam ſint Philoſophi, qui aſſeruerunt Mundum eſſe æternum, & qui ipſum creatum fuiſſe voluerunt, ac primum de Platone, qui inter Philoſophos antiquos facilè primum locum obtinet. Qui itaque de mente Platonis quo ad hanc materiam tractant diuiſi ſunt in duas partes. Alij aſſerunt Platonem poſuiſſe Mundum æternum, & nunquam incepiſſe, neque vnquam habiturum eſſe finem. Sic plurimi Accademicorum, Proclus contra quem Ioannes Grammaticus operę particulari diſputat confutans eius 24. argumenta, Iamblicus, Plotinus, Sirianus, & denique Simplicius, 8. Phyſ. com. 8. & 1. de Cęlo com. 100. Demum Stephanus Theupolus in Accademicis contemplationibus lib. 1. cap. 12. etſi dicat Platonem fuiſſe dubium in hac quęſtione, aſſerit tamen ex principijs Platonis ſequi eum aſſeruiſſe Mundum eſſe æternum, neque incepiſſe, neque habiturum finem.

Quarta opinio.

Quid ſenſerit Plato de Mundi æternitate, varię opiniones.

Rõnes p̃ ęternitate Mundi ſecundum Platonem.

3 Fundamenta horum Auctorum ſunt rationes, quas infra adducã pro opinione eorum, qui tenent Mundum eſſe æternum, & illas eſſe demonſtrationes; aliquæ enim illarum ex Platone deſumuntur, vt videbimus: in ſpeciali autem confirmatur.

1. Ratio. 4 Primò. Quia ſecundum Platonem materia Mundi, & anima Mundi, quæ ſunt partes principales Mundi, ſunt æternæ.

2. Ratio. 5 Secundò. Plato in Timeo circa medium agens de hac quæſtione, an Mundus ſit aliquando genitus, inquit. *Bonus erat opifex, nulla vnquam de re tangitur inuidia; & opifex ab æterno eſt talis, quare ab æterno eſt Mundi opifex*. ergo Mundus ſemper fuit: hanc rationem Proclus adducit, vt infra videbimus.

Tertiò.

Digitized by Google

6 Tertiò. addit Plato ibidem. omnia ſibi quantum fieri poterat ſimillima fieri voluit. At non eſſet Mundus Opifici ſimilis, niſi eſſet æternus. hæc etiam ratio pertractatur à Proclo de qua infra. 3. Ratio.

7 Quartò. Plato in Timeo vbi ſupra, poſtquam declarauit quomodo hic Mundus ſit ſimilis Mundo ideali, habet hæc verba. *ille enim Mundus huius exemplar, omne per euum eſt, hic vero perpetuo per omne tempus fuit, ſitque ſolus, & erit.* ex quo inferunt, ergo ſi Mundus fuit per omne tempus, & erit, ſequitur, quod ſit æternus ex omni parte. 4. Ratio.

8 Quintò. Cum Plato in Timeo dicit Mundum eſſe ortum, non vult dicere, quod Mundus aliquo tempore inceperit, & habuerit principium aliquod, ſed quod ſemper gignatur, & ſit in continuo fieri, vt contradiſtinguitur à Mundo ideali, qui verè ſemper eſt, non autem ſemper fit. Quod eſt argumentum Simplicij 1. de Cœlo loco citato, quod Simplicius elicit ex Platone; quia loco citato, antequam aggrediatur diſputationem de Mundi generatione diſtinguendum ait ſibi eſſe de terminis iſtis. quid eſt, quod ſemper eſt carens generatione; & quid quod generatur quidem, ſed nunquam eſt; & quod illud intellectu apprehenditur, cum ſemper ſit idem: hoc verò ſolum opinione per irrationalem ſenſum attingi vix poteſt, cum ſemper intereat, gignatur, neque vnquam verè ſit. 5. Ratio.

9 Vltimò. Confirmant hanc ſuam opinionem per confutationem, ſeu ſolutionem rationum eorum, qui dicunt Platonem Mundi generationem poſuiſſe. 6. Ratio.

10 Ex altera parte grauiſſimi Philoſophi apertè aſſerunt Platonem poſuiſſe Mundum eſſe factum, & productum à Deo in tempore, atque habiturum eſſe finem. Huius ſententiæ ſunt Ariſt. 1. de Cœlo tex. 109. & ibi Alexander Aphrodiſeus referente Simplicio, & 8. Phyſicorum tex. 9. Philopponus aduerſus Proclum, præſertim in ſolutione ſexti argumenti Procli. Seuerus Atticus, Plutarchus, Picus Mirandulanus in examine vanitatis doctrinæ gentium, & alij. Et certè hanc fuiſſe mentem Platonis non eſt ambigendum. Eam enim Ariſt. tribuit Platoni: Ariſt. autem fuit diſcipulus, & auditor Platonis, & proinde optimè noſcere potuit, quæ fuerit germana mens Platonis. Vnde illi audiendi non ſunt, qui dicunt Ariſtot. falſas opiniones impoſuiſſe Platoni, & alijs antiquis Philoſophis: cum enim Ariſt. ſcripſerit eodem ferè tempore, quo libri, & opiniones Platonis, & aliorum Philoſophorum vigebant, & erant in ore omnium, ſi falſas opiniones illis impoſuiſſet deriſus ab omnibus, & vt impoſtor abiectus fuiſſet, non autem pro tanto Philoſopho habitus vt videmus accidiſſe. *Opinio oppoſita, & vera.* *Falſum eſt Ariſtotelem opiniones falſas impoſuiſſe antiquis.*

11 Sed hoc clariſſimè habetur ex verbis Platonis. Nam in Timeo

Verba Platonis pro creatione temporali Mundi.

circa medium ſub perſona Critiæ proponit diſputationem de generatione Mundi ſub his verbis. *Critias. Conſidera, ò Socrates an commodè mutuum tibi conuiuium diſpoſuerimus. Viſum nobis eſt, vt Timeus tanquam in aſtronomia noſtrorum omnium peritiſſimus, maximeque in rerum natura cognoſcendis verſatus, primus ediſcerat, ita vt à Mundi generatione exordiens vſque ad generis humani naturam deueniat. atque ego deinde ſuſcipiens homines à Timeo quidem genitos, à Critia verò vt plurimum inſtitutos ſecundum Solonis ſermonem legemque in iudicium veſtrum adducam.* Et paulò infra facta inuocatione Deorum incipit Timeus queſtionem de Mundi generatione ediſcere: & inquit in primis diſtinguendum eſſe aliud eſſe id, quod ſemper eſt, & generatione caret; & aliud id, quod gignitur, & quod nunquam eſt, ſed ſemper in fieri (qui eſt locus à quo Simplicius ſumit ſuum argumentum, ſed fruſtra: quia non facit ad propoſitum; præmittit enim hanc diſtinctionẽ Timeus: quia in doctrina Platonis alio modo habent eſſe ideæ, & exemplaria in mente diuina, & alio modo res ipſæ, genitæ ad ſimilitudinem illarum idearum, & exemplarium. illa enim habent eſſe verum, & perfectum: iſta verò ſunt ſemper in fieri, & nunquam habent eſſe perfectũ, & ſtabile, cum continuo mutentur per generationem, & corruptionem; & ſubiungit eſſe idearum intellectu percipi: eſſe verò rerum generabilium percipi ſenſibus, qui fallaces ſunt) ſubiungit deinde aliam ſuppoſitionem, quæ eſt, quod omne quod gignitur ex aliqua cauſa neceſſariò gignitur, & quod quando cauſa, quæ agit, reſpicit in agendo ad exemplar, quod ſemper eodem modo ſe habet, facit pulchrum opus; ſed quando reſpicit ad id, quod factum eſt, & ſemper mutatur, non poteſt facere opus pulchrum. His habitis accedens ad quæſtionem propoſitam de generatione Mundi habet hæc verba. *Vniuerſum igitur hoc Cœlum, ſiue Mundum, ſiue quo alio vocabulo gaudet, cognominemus. De quo primum conſideremus, quod in quæſtione de vniuerſo ante omnia inueſtigari debet. Vtrum ne ſemper fuerit ſine vllo generationis principio, an genitum ſit ab aliquo principio ſumens exordium.* & ſtatim ſubiungens rationem propter quam dicendum eſt Mundum eſſe genitum, habet hæc verba. *Id profectò cernitur, & tangitur, & corpus habet: omnia verò huiuſmodi ſenſus mouent: quæ ſenſus mouent opinione per ſenſum percipiuntur: hæc verò talia eſſe conſtat, vt gignãtur, & genita ſint. Quicquid autem gignitur ab aliqua cauſa neceſſario gigni aſſeruimus. Opificem quidem, & patrem Mundi inuenire difficile, & cum inueneris prædicere eloqui vulgo impoſſibile eſt.* Quorum verborum ſenſus eſt, Mundum eſſe genitum; quia eſt corporeus, & ſenſibilis; omne autem corporeum, & ſenſibile eſt genitum, & ſenſibus percipitur. cum autem Mundus ſit genitus ab aliqua cauſa, & ab aliquo Opifice, neceſſariò aſſeren-

Digitized by Google

aſſerendum eſt eſſe genitum. quis autē ſit iſte pater, & genitor Mundi, qui eſt Deus, inquit, eſſe impoſſibile explicare, & declarare vulgo.

12 Subiungit deinde Timeus quomodo ſe habuerit opifex Mundi in generatione Mundi, an ſcilicet ſit imitatus exemplar æternum, an genitum; & inquit imitatum fuiſſe exemplar æternum. Verba eius ſunt hæc. *Rurſus conſiderandum eſt vtrum Mundi faber ſit imitatus exemplar. idne quod idem ſemper, & ſimile eſt; an id quod genitum fuerit. At ſi pulcher eſt hic Mundus, & opifex Mundi bonus ſempiternum certè exemplum maluit imitari. Sin ſecus quodne dictu quidem fas eſt, generatum exemplar pro æterno eſt ſecutus: Cum verò & Mundus omnium genitorum pulcherrimus ſit, & eius auctor cauſarum omnium optimus, dubium non eſt, quia ſempiternum ſit ſequutus exemplum. ſic igitur generatus ad id eſt effectus, quod ratione, & ſapientia ſola comprehendi poteſt, & immutabile permanet. ex quo efficitur, vt neceſſe ſit hunc Mundum alicuius ſimulacrum eſſe. Rationem autem originis difficillimum eſt naturaliter explicare.*

Quomodo ſe habuerit Deus in generatio Mundi ex Timeo.

13 Se excuſat deinde Timeus niſi rationes demōſtratiuas pro hac ſua opinione adduxerit: quia res difficilis eſt, & inquit eos contentos fore debere rationibus probabilibus. Socrates autem approbat quæ hucuſque dixit Timeus. verba enim eius ſunt. *Scitè loqueris ò Timeæ. quare nos, vt iubes agendum putamus. exordium quidem hoc orationis mirificè approbamus, ſed age, diſputationem perge.* At dixerat Timeus Mūdum, ſeu Vniuerſum eſſe factum, & Mundi fabrum imitatum eſſe exemplar æternum in illo producendo; ergo Socrates, & conſequenter Plato approbat aſſertionem, quod Mundus ſit genitus.

Se excuſat Plato ſi demoſtratiuas rationes pro generatione Mundi nō adduxerit.

14 Sed hoc magis confirmatur ex verbis ſequentibus; pergit enim Timeus ſtatim in hæc verba. *Dicamus igitur ob quam cauſam ille rerum auctor generationem, & hoc Vniuerſum conſtituit. Bonus erat: bonus autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur. Ergo cum liuor ab eo alieniſſimus eſſet, omnia ſibi quantum fieri poterant, ſimillima fieri voluit. ſiquis hanc gignendi Mundi cauſam præcipuam à prudentibus viris acceperit rectiſſimè profecto accipiet: itaque cum vellet Deus bona omnia fore, nihil verò quo ad natura pateretur malum quidquid erat quod incernendi ſenſum cadere poſſet, aſſumpſit, non tranquillum, & quietum, ſed temerè agitatum, & fluitans idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem. Hoc enim iudicabat eſſe præſtantius. Fas autem neque erat, neque eſt quidquam niſi pulcherrimum facere eum, qui eſt optimus.* His certè verbis nedum aſſerit Mundum a Deo eſſe productum, ſed etiam aperit, & aſſignat cauſam propter quam Deus illum condiderit, & quomodo.

Cōfirmatur. Cauſa ꝓpter quā ex Platone Deus fecit Mundum.

15 Subiungit deinde Deum prius creaſſe animā Mundi, vt Mundus eſſet animal perfectum. Vnde paulò infra habet hæc verba. *Poſt-*

Deum prius creaſſe Animā Mūdi ſecundum Platonem.

Digitized by Google

quam igitur ſecundum Creatoris illius mentem tota animæ conſtitutio abſoluta fuit; mox omne corporeum effinxit infra ipſam. & ſuperioribus verbis dixerat procreaſſe animam priuſquam corpus illud Mundi, & eſſe antiquiorem corpore Mundi, & proinde corpus obtemperare debere animæ illi, non animam corpori. Verbis etiam ſuperioribus dixerat hunc Mundum factum eſſe a Deo ad ſimilitudinem animalis; atque vnum eſſe, non plures; & habet hæc verba. *Vt igitur hic Mundus eſſet animali abſoluto ſimillimus ex eo quod ſolus, & vnus eſſet, iccirco neque duo, neque innumerabiles procreati ſunt, ſed vnus Mundus, vnigenitusque factus eſt, & erit.* & proſequitur deinde, explicans quomodo Deus fecerit hunc Mundum perfectum, quod non egeat aliquo alio; & rationem adducit propter quam non poſſit corrumpi, niſi ab eo, qui eum fecit; cur non ſeneſcat, cur non eis tradiderit ſenſus externos, auditum, viſum, &c. ex quibus euidentiſſimè cernitur ipſum velle à Deo eſſe conditum omninò, atque ab eo eſſe factum perfectũ. Inferius etiam poſtquam aſſignauit rationem propter quam Deus fecit partes omnes Mundi, & animam eius, & naturam, dicit Deum in hoc Mundo mortale creaſſe tempus, quod eſt quædam imago æui, & æternitatis, quæ eſt propria Mundi idealis, qui eſt per ſe, & verè æternus. Vbi iterum apertè aſſerit Mundum à Deo genitum eſſe, atque ſimul cum eo tempus genitum fuiſſe. Verba eius ſunt. *Itaque quemadmodum illud ſempiternum animal eſt, ita Vniuerſum hoc pro viribus tale facere ſtatuit. illius quidem animalis æterna natura eſt, quod genito operi congruere omninò non poteſt. Iccirco imaginem mobilem effingere decreuit; ac dum cælum exornaret, fecit æternitatis in vnitate manentis ęternã quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porrò, & noctes, & menſes, & annos, quæ ante cælum non erant, tunc naſcente Mundo, naſci iuſſit, quę omnia partes temporis ſunt.* & infra. *Tempus verò vnà cum cælo factum eſt; vt vna orta, vna etiam diſſoluantur ſi qua his diſſolutio vnquam contigerit.*

Cauſa ꝓpter quã Mundus non poſſit corrumpi niſi à Deo, cur nõ ſeneſcat, etc.

Tẽpus creatum à Deo ſecundũ Platonem.

16 Subiungit etiam ſolem, lunam, & ſtellas erraticas factas eſſe à Deo. ait enim. *Hac ratione conſilioque Dei tempus creare volentis, ſol, luna, & alię quinque ſtellę, quę vocantur erraticę factę ſunt, quo tempore numerus diſtinguatur, atque obſeruetur.*

Solem, lunã, & ſtellas erraticas factas eſſe à Deo.

17 Denique vt alia omittam infra proſequens ordinem procreationis rerum a Deo, quæ in Mundo ſunt, dicit poſt procreationem temporis Deum alia quatuor genera animalium creaſſe ſcilicet genus Deorum, animalia aerea, & aquea, & terrena. Verba eius ſunt. *Iam verò cætera ad temporis ortum ad imaginem propoſiti exemplaris effecerat; ſed quia Mundus hic nondum animalia omnia intra ſuum ambitum continebat ex ea parte deficiebat ad illud exemplar imaginis huius ſimilitudo.*

Deos. i. Dæmones creatos fuiſſe à Deo ſecundũ Platonẽ, & alia animalia.

tudo. Hoc igitur quod deerat ſuperni illius exemplo Deus explebat; quot igitur,& quales menſideas in eo,quod eſt animal inſpicit totidem, & tales hoc Mundo contineri oportere excogitauit. Sunt autem quatuor. Vna quidem Deorum cęleſtium genus continet; Alia volatile aeriuagum; Tertia aquæ licoribus accomodatur. Quarta terrenorum animalium genus. Deinde introducit ſermonem Dei ad Deos ipſos,in quo apertè oſtendit illos, & oĩa æterna entia creaſſe, & conſeruaſſe pro libito, atque ipſa non eſſe ex ſe immortalia, ſed quia ſic ab ipſo Deo conſeruantur. Verba Timei ſunt iſta. *Poſtquam orti ſunt omnes, & qui Cęlo voluuntur Dij noſtris oculis manifeſti,& qui eatenus nobis conſpicui fiunt, quatenus ipſi volunt, tamen ad eos Mundi genitor ita fatur, Dij Deorum, quorum ego opifex ego & Pater ſum. hæc attendite. Quæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt. omne quidem,quod vinctum eſt,ſolui poteſt; ſed mali eſt, quod pulchrè compoſitum eſt, ſi quæ bene habet velle diſſoluere. Quapropter quia generati eſtis immortales quidem,& indiſſolubiles omnino non eſtis; nec tamen vnquam diſſoluemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea maius,præſtantiuſque vobis eſt vinculum ad vitæ custodiam,quàm nexus illi,quibus eſtis tunc cum gignebamini colligati.* certè nil clarius his haberi poteſt ad concludendũ Platonem poſuiſſe Mundum,& entia æterna, quæ in eo ſunt ſecundum ipſum creata, & producta fuiſſe in tempore.

Sermo Dei ad Deos.

Accedit, quod ibidẽ approbat generationem Deorum Gentilium, eo modo, quo Gentiles legum latores aſſerebant, licèt dicat illam generationem Deorum,neque neceſſarijs, neque veriſimilibus rationibus inniti. Verba eius ſunt. *Et iam quæ de natura Deorum illorum,qui tales geniti ſunt, vt cernantur dicenda erant, finem habeant. Æternorum verò, qui Dæmones appellantur,& cognoſcere, & enuntiare ortum maius eſt opus,quàm ferre valeat noſtrum ingenium. Priſcis itaque viris hac in re credendum eſt,qui Dijs geniti,vt ipſi dicebant, parentes ſuos optimè nouerant: impoſſibile ſanè Deorum filijs fidem non habere, licèt nec neceſſarijs,nec veriſimilibus rationibus eorum oratio confirmetur. Verùm quia de domeſticis rebus loqui ſe affirmabant,nos legem ſecuti fidem præſtabimus. Sic igitur, vt ab his eſt traditum horum Deorum generatio habeatur, atque dicatur. Terrę, Cęlique filij Oceanus, & Thetis fuiſſe traduntur. Ab ijs Phorcis, Saturnus, & Rhea geniti, & reliqui eorum fratres. ex Saturno,& Rhea Iupiter,& Iuno,& reliqui,quos eorum fratres quotidie memorari audemus nati dicuntur. Ex his deinceps,vt traditur, alij.* Si ergo Dij cœleſtes,& Dæmones ſecundum Platonem geniti ſunt,qui æterni dicuntur;& ſunt pręcipua pars Mundi,non eſt dicendum Platonem poſuiſſe Mũdum eſſe æternum eo modo,quo poſuit Ariſt. ita quod nunquam habuerit exordium,neque ex ſe ſit corruptibilis,ſed æternus.

Plato approbat generationẽ Deorũ Gentiliũ, ſed tamen dicit eam nec neceſſarijs,neq; veriſimilib. rationibus inniti.

 Cæte-

Digitized by Google

Quomodo Plato differat à fide christiana.

18 Cæterùm licèt Plato poſuerit Mundum in tempore eſſe genitum, nihilominus non eſt ita clarum quomodo diferat à fide Chriſtiana, & catholica. Nam ſecundum Diuum Ambroſium in Exameron cap. primo, & Magiſt. ſententiarum in 2. diſt. prima cap. 1. (Soto 8. Phyſicorum quæſt. prima numerat quoque Diuum Baſilium in Exameron, ſed D. Baſilius recenſet quidem ibi hom. 1. & 2. & alij varias opiniones Philoſophorum, ſed nomina eorum non ponit; ideo ex ipſo non poteſt haberi quæ fuerit ſententia Platonis) diſcrepauit à fide chriſtiana, quia poſuit tria initia rerum imprincipiata, & improducta

Plato poſuit tria pricipia rerũ improducta.

ſcilicet efficiens, exemplar, & materiam. Patet autem quod materia prima ſecundum fidem chriſtianam fuit creata à Deo, dicente Moyſe, *In principio creauit Deus Cœlum, & terram, &c.* Accipiendo etiam efficiens, & exemplar, vt accipiebat Plato, ſcilicet, vt ſunt entia diſtincta à Deo falſum eſt illa eſſe improducta; quia nihil aliud à Deo eſt improductum, & increatum, ſed ſolus Deus. Quod autem Plato poſue-

Plato poſuit materiã primam improductam.

rit materiam primam improductã, patet ex eodem libro Timei. Nam cum aſſerit Deum genuiſſe, ſeu produxiſſe Mundũ, inquit, quod cum ipſum confecit, aſſumpſit, *non tranquillum, & quietum, ſed temerè agitatum, & fluitans, idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem.* per hoc autem inordinatum, & temerè agitatum intelligit materiam primam; quam alibi vocat magnum, & paruum, & aliquando infinitum; quia materia prima eſt moles quædam infinita. Quod etiam per efficiens intellexerit aliquid aliud à Deo, & infra Deũ colligitur ex Ariſtot. in 2. de generatione tex. 52. & inde. (magis autem credere debemus Ariſtoteli, quam alijs, vt ſupra dicebam: quia eius auditor extitit 18. annis, & præ omnibus alijs auditoribus pollebat ingenio; nec eſt veriſimile falſas opiniones illi tribuiſſe, quia deriſus fuiſſet ab alijs, qui tunc optime nouerant, quæ eſſet ſententia Platonis) Nam ibi referens opiniones antiquorum circa principia rerum naturalium, inquit, omnes eos ſtatuiſſe tria principia rerum, ea tamen non rectè explicaſſe. Atque omnes quidem materiam poſuiſſe vnum ex his; formam verò tetigiſſe; circa tertium veteres omnes ſomniaſſe, nullum verò quod nam ſit verè explicaſſe. Referens autem opinionem Platonis in particulari, inquit, Socratem in Phedone (id habet ibi Plato verſus finem capite penultimo, dum Socrates dicit ſe, cum iunior eſſet, flagraſſe deſiderio cognoſcendi, vbi refert opinionem Anaxagoræ, & quorũdam aliorum Philoſophorum, deinde ſuam explicat, quã dicit toties ſe explicaſſe; ſed eſt valde difficilis, & non niſi Ariſtotele interprete intelligi poſſes) poſtquam alios putauit impugnaſſe, aſſeruiſſe, ſupponendum eſſe in rerum natura diuerſa genera entium; quorum quædam ſunt ſpecies; quædam participationes ſpecierum. Species ſeu ideas

ideas eſſe principium efficiens, reliqua eſſe entia participatiua ſpecierum, atque generationem, & corruptionem rerum fieri per participationem, & abiectionem ideæ in materia. Et Plato ſic ponebat tria principia imprincipiata.i.materiam, quam diuerſis nominibus vocabat.ſ.aliquando magnum, & paruum, & aliqñ infinitum. Secundò ponebat ideam, quæ erat cauſa efficiens. Tertiò ponebat participationē ideæ, q̄ appellabat vmbram ideæ, ex qua participatione ideæ, & vmbra ſimul cum materia prima res generabantur. Vnde illa vmbra ideę erat veluti forma: quia terminabat, & actuabat materiam primā, quæ erat quędam molles infinita, & interminata. Vnde hāc participationē ideæ appellabat quoque aliqñ terminū, quia terminabat materiam; & ſic volebat gñationem, & corruptionē rerū fieri per participationem ideæ, & abiectionē eiuſdem.ſ.per receptionē, & abiectionē huius vmbræ. Ariſt. autem diſcrepauit à Platone: quia licèt poſuerit tria principia, tamen poſuit illa diuerſo modo: materiam quidem poſuit ipſe quoque; hanc enim omnes Philoſophi poſuerunt. Secundò poſuit formam, quæ eſt quod quid eſt rei, reiecta ideæ participatione. Tertiò poſuit efficiens, & illud dixit eſſe cœlum, & lationes cœleſtes, quæ ſuo acceſſu, & receſſu ſunt cauſa perpetuitatis generationis, & corruptionis. In quo ſe laudat quod ſcilicet ipſe declarauerit quodnam ſit iſtud efficiens, quod antiquos ſomniaſſe dicit, ſed reuera non explicaſſe. Ex dictis patet Platonem poſuiſſe cauſam efficientem Mundi proximam fuiſſe ideas, non ipſum Deū, & conſequenter poſuit aliqua alia à Deo eſſe improducta à Deo, quod repugnat fidei Chriſtianæ.

Ariſtotel. in quo diſcrepat à Platone.

19 Ex altera parte exiſtimant multi Platonem non diſcrepare à fide Chriſtiana. Huius ſententiæ videtur eſſe D. Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 31. vbi habet hæc verba. *Quamquam, & de Mundo, & de his quos in Mundo Deo à Deo factos ſcribit Plato apertiſſimè dicat eos eſſe cœpiſſe, & habere initium, finem tamen non habituros, ſed per conditoris potentiſſimam voluntatem in æternum permanſuros eſſe perhibeat.* Neque eſt verum D. Auguſtinum aſſerere Platonem intelligere Mundum eſſe factum non ſecundum temporis, ſed inſtitutionis initium, vt vult Soto lib. 8. Phyſic. quæſt. 1. licèt enim illa verba habeantur apud D. Auguſtinum, non tamen ea dicit ſecundum propriā mentem, ſed dicit alios fuiſſe, qui in eum ſenſum mentem Platonis detorſere, vt fuerunt Plotinus, & alij ſupra adducti. Vnde verba D. Auguſtini, quæ ad priora ſequuntur ſunt hæc. *Verùm id quomodo intelligant inuenerunt non eſſe videlicet temporis, ſed ſubſtitutionis initium.* Quibus verbis ſatis apparet hoc intelligere de interpretatione, quam afferebant Platonici contrarij creationi Mundi. Hoc apertius docent alij, qui aſſerūt ipſum poſuiſſe materiam primam eſſe procreatam à Deo,

Aliqui putant Platonē non differre à fide Chriſtiana.

D. Aug. vera ſententia de opinione Platonis.

Ioan. Gram. opinio de mẽte Platonis. & de nullo productam, neque eſſe ſempiternam; quod Ioannes Grammaticus contra Proclum in ſolutione argumẽti 9. & 11. diffusè oſtendit, & argumento 9. nu. 13. apertè dicit Platonem nullibi in ſuis Dialogis dixiſſe materiam primam eſſe ingenitam, & ortus expertem, & ſubiungit, quod ſi etiam poſuiſſet materiam ingenitam, non tamen propter hoc poſſemus dicere ipſum poſuiſſe Mundum eſſe æternum; quoniam apertè ipſe dixit Mundum eſſe genitum, vt ſupra vidimus. ergo materia non potuit eſſe ingenita, cum ſit pars Mundi. Quod ſi quis dicat, ergo Plato ſibi contradiceret; quia poneret materiam æternam, & tamen Mundum eſſe genitum? Reſpondet Ioannes Grammaticus concedendum eſſe, tunc eum fore ſibi contrariũ: neque enim in hoc ſolum ſibi contradiceret; nam & in multis ſibi non conſtat Plato, vt in ſequentibus ibidem oſtendit Ioan. Gram.

Materiam ſolam ſine forma nõ potuiſſe ab æterno exiſtere probat Io. Gram. 20 Quod autem materia ſola ſine forma non potuerit eſſe ab æterno, vt ſupponitur aſſeruiſſe Plato, probat ex hoc: quia materia non poteſt dari in rerum natura ſine forma, & accidentibus, vt quantitate, qualitate, &c. cum ergo Plato poſuerit formas rerum in tempore produci, vt apertè ſupra vidimus, & ſimul quantitates, & qualitates, ſequitur neceſſariò poſuiſſe quoque materiam in tempore eſſe productam. Et cum dicit in Timeo Deum in procreatione Mundi aſſumpſiſſe non tranquillum, & quietum, ſed temere agitatum, & fluitans, per quod videtur intelligi materia, non habetur ex hoc eum aſſerere materiam hanc fuiſſe æternam, & ante Mundum ipſum ſine formis, ſed ſolum ipſum Deum, inordinatum, & temerè agitatum ordinaſſe. Vnde potius habetur prius fuiſſe chaos quoddam, in quo materia cũ formis & accidentibus omnib. cõmixta eſset, atque huiuſmodi chaos à Deo fuiſse prius productum (ſiquidem vt prius diximus materia nuda non poterat produci ſine formis; neque materia poſse dici fluitãs, & temere agitatam ſi eſset ſine formis) deinde fuiſse ordinatum.

Io. Gram. ſoluit argumentum Ariſt. quod materia ſit ingenita. Tandem diſsoluit Ioannes Gram. eo argumento 9. & 11. argumentũ illud Ariſt. 1. Phyſic. quod materia ſit ingenita, eo quia ſi eſset genita, eſset genita ex alia materia, & illa ex alia in infinitum, quia ex nihilo nihil fit. Et ſolutio eſt hæc, quia ſi materia eſt genita, neceſse eſt quod ſit genita ex ſuo contrario, nihil enim fit ex ſe ipſo; falſum eſt ergo quod neceſse eſset, materiam fieri ex materia, ſed potius ſequitur debuiſse fieri ex non materia ſcilicet ex non ente, & creari; vt tenent Theologi; ſi enim materia fiat ex non materia, fiet ex non ente, & ex nihilo, & creabitur. ſecundum ergo hos auctores materia eſt creata ſecundum Platonem.

21 Alij etiam permulti auctores aſserunt efficiens, quod ſtatuitur tertium principium, & eſse ideas, non eſse diſtinctas realiter ab ipſa

mente

Digitized by Google

mente Dei, ſed ſolum formaliter, quam ſententiam fuiſſe Platonis apertè tenet Diuus Auguſt. vbique præſertim lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 26. vbi habet hæc verba. *Et ſi Deus, quod aſſiduè Plato cõmemorat ſicut vniuerſi Mundi ita creatorũ animalium ſpecies æterna intelligentia continebat, quomodo non ipſe cuncta condebat?* & lib. 83. q. q. 46. docet ideas eſſe rationes æternas in mente diuina, ſecundum quas res ad extra factæ ſunt, atque hoc modo Platonem eas ſuſtinuiſſe: habet enim hæc verba. *Atque has rerum rationes principales ideas appellat Plato, non ſolum ſunt ideæ, ſed ipſæ veræ ſunt, & eiuſmodi, atque incommutabiles manent quarum participatione fit, vt ſit quidquid eſt, quomodo eſt.* Sed de ideis alibi erit proprie diſputatio. Hanc eandem ſententiam ſequuntur multi alij vt Piccolomineus ſeu Theupolus lib. 3. Accademicarum contemplationum cap. 3. vbi tenet ideas non eſſe per ſe ſubſiſtentes, vt putauit Ariſtot. ſed eſſe in mente diuina; quam mentem eodem opere lib. 2. cap. 1. non vult eſſe realiter diſtinctam ab ipſo Deo, vt multi alij contendunt. Et ſic ſecundum hos auctores Plato non poſuiſſet tria principia improducta, ſed vnum ſolum principium omnium ſcilicet Deum ipſum.

Tertium principiũ ſcilicet ideas nõ eſſe realiter diſtinctas à mente Dei multi tenẽt. D. Auguſt.

Picolomineus.

Ex his patet quàm varius, & ambiguus fuerit Plato in ſua doctrina, & in explicatione principiorum Mundi. Attamen ex his conſtat quoquomodo accipiamus eius mentem feciſſe Mundum eſſe genitum. Sequendo autem ſecundam viam magis conuenit cum veritate Theologica; ſed ẽt ſuſtinẽdo primã viam patet eum poſuiſſe Mundũ eſſe genitum, & productum à Deo ex nihilo, licèt aliquam contradictionem includat, vt quod poſuerit aliqua improducta, vt materiam primam, quę tamen eſt pars Mundi, & tertium efficiens ſcilicet ideas, quæ tamen ſunt ipſe Deus. cum autem apertè dixerit Mundum in tempore eſſe productum à Deo cum tempore, quidquid ſit de alijs eius aſſertionibus, dicendum eſt hanc fuiſse eius mentem abſque omni dubitatione.

Quam ambiguus Plato ſit in ſua doctrina.

Secundum quancunque interpretationẽ Plato poſuit Mũdum eſſe genitum.

22 Hanc Mundi productionem temporalem non ſolũ Plato agnouit, ſed antiquiores Platone Philoſophi clarius confeſſi ſunt, & explicarunt. Mercurius Triſmegiſtus, qui antiquiſſimus fuit, & primus in Ægipto Philoſophiam docuit, quæ ab Ægipto deinde in Græciam peruenit, ſiquidem nedum Plato, ſed Græci omnes, etiam Ariſt. pluribus in locis fatentur Græcos à Barbaris ſapientiam accepiſse; Græci autem Ægiptios Barbaros vocant. Mercurius inquam Triſmegiſtus in libro inſcripto Pimander, qui habetur in operibus Marſilij Ficini colligatus in principio primi cap. introducit Pimandrũ, ideſt Dei prouidentiam (Pimander enim Græcè apud nos ſonat idem quod Dei ſapientia) ſibi cogitanti, & deſideranti ſcire naturam rerum, ac eleuato

Mercurius Triſm. creationem Mundi aſſeruit.

uato

Digitized by Google

uato ad ſuperna hæc verba dixiſse. *Quid eſt ò Mercuri, quod audire, & intueri deſideras? quid eſt quod intelligere, atque diſcere cupis? tum ego, quiſnam es, inquam? ſum inquit ille, Pimander, mens diuinæ potentiæ, ac tu vide, quid velis, ipſe vero tibi vbique adero: cupio inquam rerum naturam diſcere, Deumque cognoſcere. Ad hæc ille. tua me mente complectere, & ego te in cunctis, quæ optaris erudiam. Cum hæc dixiſſet, mutauit formam, & vniuerſa ſubito reuelauit.* Subiungit deinde Mercurius viſionem, quam vidit, (ſolebant enim veteres Philoſophi eorum doctrinam ſic per tertiam perſonam, & per quædam ſigna, & figuras explicare) in qua creationem Mundi præ oculos habuiſse ſignificat. Vnde recitata viſione, ponit eius declarationem factam ſibi à Pimandro in his verbis. *Tum Pimander ait. Aduertis, quid ſibi hæc viſio velit? cognoſcam inquam. ait ergo Pimander. lumen illud ego ſum, mens, Deus tuus antiquior, quam natura humida, quæ ex vmbra effulſit, mentis vero germen lucens Dei filius. Quid ergo inquam? ſic inquit. cogita quid in te videt, & audis verbum Domini, Mens autem pater Deus, neque enim diſtant ab inuicem, horum vnio vitæ eſt.* Triſm. *Gratias habeo tibi.* Pim. *Verùm in primis meditare lumen, atque cognoſce.* Triſm. *Vbi hęc dicta ſunt Deum illum oraui, vt eius ideam ad me conuerteret. Quod cum ille feciſſet repente proſpicio in mea mente lucem viribus innumeris exiſtentem, ornatum ſine termino ignem, vi ingenti, vi ingēti circūſeptum, & in ipſa ſtabilitate dominantem. hęc ipſe percepi per Pimandri verbum, qui me ſtupore attonitum ſic iterum afflatus eſt. Vidiſti in mente primam ſpeciem infinito imperio pręualentem? eiuſmodi mihi quędam.* Pimand. *At ego illi. Elementa naturæ vnde manarunt?* Pim. *Ex voluntate Dei. quæ verbum complexa, pulchrumque intuita Mundum ad eius exemplar, reliqua ſui ipſius elementis, vitalibuſque ſeminibus exornauit. Mens autem Deus vtriuſque ſexus fœcunditatem pleniſſimus vita, & lux cum verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atque ſpiritus numen: ſeptem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis Mundum ſenſibilem complectuntur; eorumque diſpoſitio facta vocatur: connexuit deinde Dei verbum ex elementis tendentibus deorſum purum naturæ artificium, vnitaque eſt opifici menti; conſubſtantiale enim erat, relictaque ſunt elementa naturę deorſum cadentia ſine ratione, vt ſint tanquam ſola materies, &c.* Multa alia ibi affert Mercurius, quæ pertinent ad completam productionem Mundi. & paulò infra inquit. *At pater omnium intellectus, vita, & fulgor exiſtens hominem ſibi ſimilem procreauit, atque ei tanquam filio ſuo congratulatus eſt. pulcher enim erat, Patriſque ſui ferebat imaginem.* quibus deſſignat creationem hominis. Ex his apparet ante Platonē, immo ante Orphæum, Anaxagoram, Heſiodum, & alios antiquos Mercurium poſuiſse mentem a Deo fluxiſse, & ideas, ac exemplaria

æterna

æterna conſtituiſſe, atque Deum cum mente & ideis Mundum fabricaſſe, elementa, & ſpecies animalium, & denique hominem ipſum creaſſe; quæ omnia à Platone deinde fuſius explicata ſunt. Ex his etiã apparet Mercurium deſcribere creationẽ Mundi eo ferè modo, quo Moyſes; Quod latè proſequitur Eugubinus lib.7. de perenni Philoſophia cap.9. ſimilia habet Triſmegiſtus in eodem Pimandro ſerm.3.

23 Poſt Triſmegiſtum ſequitur Orphæus, qui inter Grecos primus fuit conſenu omnium, qui Philoſophiã, quam à Triſmegiſto, & Ægyptijs didicerat, docuit. Hic ergo in Argonautica poſtquam varijs carminibus laudes Dei extulit ſub nomine Iouis, in cuius pectore tanquã in theſauro dixit eſſe omnem ſapientiam, bonitatem, gloriam, atque cuncta bona (per quæ intelligebat ideas platonicas) & ipſum eſſe principium omnium æternorum, & corruptibilium, apertè protulit Mundum hunc, & omnia extra ipſum, Deum produxiſſe. Verba eius in Argonautica à pluribus adducta præſertim ab Eugubino lib.7. de perenni Philoſophia cap.10. ſunt iſta Latinę ab eo ex Græco reddita. **Orphæus.**

Fuerunt intra Iouem cum vniuerſo ętheria vaſtitas, & cæli preclara ſublimitas.
Immenſique maris, & telluris inclytæ latitudo.
Oceanusque ingens, depreſſaque tartara terræ.
Fluminaque, & pontus ſine fine, & cætera cuncta.
Immortales omnes beati, Dijque, Deæque
Quæ fuerint exorta, & quæ ventura ſequuntur.
Hæc in ventre Iouis rerum compago manebat.
Iupiter ipſe eſt primus, Iupiter vltimus idem.
Iupiter & caput, mediumque, & cuncta Iouis ſunt.
Iupiter eſt terræ fundamentum, cælique micantis.
Iupiter idem Rex cunctorum, principiumque
Vna poteſtas, & Deus vnus, magnus & author.
Vnum eſt Regale corpus, in quo hæc cuncta tenentur.
Omnia namque hæc in domibus Iouis magni iacent.

His carminibus patet Orphæum facere vnũ Deum verum magnũ auctorem omnium rerum tàm æternorum, quàm tẽporalium rerum, quas in ſeipſo ideſt in ſua virtute, & poteſtate, ac ſapientia cõtinebat, & continet. Quod verò tandem in tempore hæc, quæ æternaliter in ſe continebat, produxerit in eſſe, protulit illis alijs duobus carminibus, quæ ſubiunxit, & ſunt.

Cuncta hæc abſconſa lætas eduxit ad auras.
Pectore mira ſuo proferens, & facta ſuperba.

24 Homerus, qui paulò poſt ſecutus eſt Orphæum varia protulit, ex quibus hanc temporalem Mundi generationem à Deo inſinuauit. **Homerus.**

Iuſti-

Iuſtinus Martyr, & Philoſophus id deduxit ex illo carmine Iliadis, quo hoſtibus imprecatur, vt in terram, & aquam reuertantur, indicãs eos primum ex terra, & aqua factos à Deo. carmen eſt illud.

Sed vos in terram cuncti reddeatis, & vndam.

Heſiodus.

25 Heſiodus verò ad verbum ea protulit, quæ Orphęus. Nam in libro, qui inſcribitur opera, & dies; & in omni ſua poeſi dat ſummo Ioui principatum, auctoritatemque omnium rerum, tàm ſuper omnes Deos ideſt intelligentias, & Dæmones, quàm ſuper homines, deſcendensque ad Mundum illum ait originem ducere ex Chao, atque elementa, & cuncta alia à ſpiritu, & amore diuino fuiſſe diſtincta, & ordinata. inquit enim.

Extitit ante Chaos, poſt hæc latiſſima tellus.
Quæ ſuper innixum pondus rerum incubat omne.
Atque amor inter, qui diuos ſacer emittet omnes.

Et inuocans Muſas ait.

Dicite vos, vt primum Dij, tellusque creata.
Fluminaque, & pontus vaſtus, qui tollitur vndis.
Aſtraque clara, Polusque immenſus in alto.

Tales, Parmenides, & Meliſſus.

26 Tales, Parmenides, & Meliſſus apud Plutarchum in Simpoſio, & Diogene Laertio, dixerunt Deum antiquiſſimum eſſe omnium rerum; neceſſe eſt ergo quod prior tempore fuerit quàm Mundus, alioquin non eſſet antiquior Mundo. Tales etiam protulit hanc ſententiã. *Pulcherrima omnium rerum Mundus: fabrica enim & opus ipſius Dei eſt.*

Anaxagoras.

27 De Anaxagora nulla eſt dubitatio. apertè enim id protulit, cũ dixit poſt infinitam quietem omnium rerũ in Chao exurrexiſſe mentem, & intellectum, qui fecit motum, & diſgregauit illa omnia, & in ordinem digeſſit, & res omnes productæ ſunt, vt de eo refert Ariſt. in 8. Phyſicorum in principio.

Huc reſpexerunt Philoſophi illi, qui apud Plutarchum naturales dicti ſunt; dum dixerunt omnia ex aqua, & terra producta eſſe. Videntur enim illud voluiſſe dicere, quod protulit Moyſes lib. 1. Geneſis, dum dixit, germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum. Demum quid ſibi vult illa vulgata opinio, homines ex terra natos, & prius in oriente, niſi creationem hominis factam à Deo de limo terræ in Paradiſo terreſtri ad orientem. Alios antiquos Philoſophos in hac opinione fuiſſe tradit Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus lib. 6. Examinis vanitatis doctrinæ gentium, & Eugubinus lib. 7. de perenni Philoſophia & alij plures, quos omitto: hæc enim ſatis ſunt ad oſtendendum, quod æternitas Mundi ante Ariſt. & eius ſectatores non erat audita, ſed omnes paſſim creatum eſſe Mundum in tempore fatebantur.

Ad

Digitized by Google

28 Ad rationes autem, quæ adducebantur, quod Plato non agnouerit creationem temporalem Mundi facilis eſt ſolutio. Ad primam dicimus falſum eſse Platonem poſuiſse animam Mundi æternam. Oſtendimus enim ſupra in Timeo eum dixiſse fuiſse primo genitam, deinde ei Deum adaptaſse corpus; conceſſit quidem eſse antiquiorem corpore Mundi, ſed tamen etiam ipſam factam, & genitam. De materia verum eſt eum aſseruiſse eam extitiſse ante Mundum, ſed dixit eam eſse chaos quoddam indiſtinctum fluitans, & inordinatum, atque Deum ex ipſa per ideas Mundum, & quæ in Mundo ſunt feciſse: hoc autem non impedit, quin Plato aſseruerit Mundum genitum fuiſse in tempore: quia licèt non fuerit creatus ſecundũ eum ex nihilo, vt Nos Theologi ſuſtinemus, tamen de nouo fuit factus, & formatus eo modo quo eſt actu, quia prius erat in potentia, non actu. *Ad primã rationem in oppoſitum.*

29 Ad ſecundam reſpondebitur infra cum ſatisfaciemus rationibus Platonicorum eorum, qui tenent Mundum eſse æternum. Pro nunc ad rationem dico, quod procedit ex falſa imaginatione ſcilicet quod multum ſpatium temporis præceſserit, antequam Deus creauerit Mundum. Nam ex Platone, & Ariſt. Mundus, & tempus ſimul ſunt: ideo falſa eſt imaginatio, quod Deus per magnum tempus quieuerit, & noluerit creare Mundum, deinde illum creauerit, vt infra latè proſequemur. Deinde ex iſto medio, quod Deus eſt bonus, & nullius inuidia tangitur, deducitur argumentum in contrarium ex ipſo Platone. inquit enim *cum bonus ſit, non poteſt niſi bona facere;* cum ergo fecerit Mundum, neceſsarium eſt dicere eum feciſse bonum. Adde, ſed fecit in tempore, ergo cum ſit bonus, & bene omnia neceſsario faciat, vidit eſse bonum facere Mundum in tempore, non ab æterno; & proinde eum fecit in tempore: neque enim humana ratio de ijs, quæ fecit omnium rerum auctor exactam cognitionem habere poteſt, ſed ſolum aliquam probabilitatem, vt ſupra ex Timeo oſtendimus. *Ad ſecundã.*

30 Ad tertiam reſpondetur, ſi valeret ratio, debuiſse Deum facere lapides, & omnia irationabilia animalia ſimilima Deo, quod eſt abſurdum; fecit ergo ea ſimilia ſibi, quantum ratio poſtulabat: ideo non ſequitur ex hoc medio, quod Mundus debeat eſse æternus; quia hoc Mundo non congruebat, licèt Deus ſit æternus. *Ad tertiam.*

31 Ad quartam, concedimus Mundum eſſe, fuiſſe, & futurum eſſe per omne tempus, at ex hoc non concluditur ſecundum mentem Platonis fuiſſe æternum, ſed oppoſitum: quia Plato poſuit tempus eſſe creatum in tempore, & conſequenter ſequitur Mundum creatũ quoque fuiſſe in tempore; quod ex verbis illis adductis in argumento confirmatur: quia dicit quod Mundus exemplar huius Mundi, qui eſt Mũdus idealis eſt, & fuit per omne ęuum; hunc vero Mundum fuiſſe per *Ad quartã.*

omne

Digitized by Google

omne tempus; At ſecundum Platonem ęuum competit Deo,& ideis, quæ ingenitæ,& improductæ ſunt; tempus verò competit rebus mortalibus ex ſui natura. Vnde ibidem Plato dixit tempus eſſe ſimilitudinem quandam ęui, ſicut res iſtæ generabiles ſunt participationes idearum,& ſimilitudines, ſiue vmbras quaſdam illarum; ex hoc ergo non habetur Mundum eſſe ingenitum.

Ad quintã. 32 Ad quintam reſpondetur verum eſſe Platonem afferre illam diſtinctionem in principio diſputationis de productione Mundi vt ſupra diximus,& illam applicari Mundo, quia ſecundum eum non verè eſt,ſed ſemper fit. At non ob hoc ſequitur, quin etiam dicat Mundum incepiſſe in tempore, vt patet ex alijs verbis eius ſuperius adductis.

Ad ſextam. 33 Ad ſextam videbimus infra, & vidimus ſupra rationes ex Platone pro generatione Mundi eſſe efficaces, & planas. ideo falſum eſt Aduerſarios illis ſufficienter ſatisfacere.

Rationes eorum, qui aſſerunt Mundi æternitatem. Cap. Secundum.

34 Licèt Plato,& antiqui Philoſophi poſuerint Mundum in tempore eſſe factum, & productũ, tamen poſt tempora Ariſt. multi etiam ex Accademicis ipſis cum ipſo Ariſt. voluerunt eſſe æternum,ac nunquam habuiſſe principium, neque habiturum finem. Auctores ſequentes hanc opinionem ſunt præſertim Ariſt. 8. Phyſicorum, & primo de Cœlo,& aliqui Platonici ſupracitati Proclus, Plotinus, & alij nonnulli. Rationes autem plurimæ fiunt ab alijs, ſed omiſſis multis, potiores iſtæ videntur.

1. Ratio. 35 Prima ergo fit ex Platone in Timeo, quam ſuperiori capite quoque adduximus,ſed hic eſt fuſius pertractanda,& ſoluenda. Deus abſque dubio eſt bonus opifex, nulla vnquam tangitur inuidia. At Deus eſt ab æterno ſine principio; ergo ab æterno, & ſine principio debuit eſſe Mundus. Hæc conſequentia probatur: quia niſi Mundus ſemper fuiſſet, ſequeretur ſempiternam priuationem fuiſſe. Priuatio autem eſt malum, & ſcelus, neque ponitur in eſſe niſi ex inuidia, & à malo Opifice, qui propter inuidiam boni alterius, illud non vult producere; melius enim eſt eſſe rerum, quàm carentia rerum. ergo huiuſmodi ſcelus non potuit competere Deo; & conſequenter dicendum eſt Mundum ſemper fuiſſe.

2. Ratio. 36 Secundò. Cur quæſo tot ſæculorum millibus creator ille Deus quaſi è ſomno vigilans repente ad creandũm ſe dedit? & facere cępit, quod prius non faciebat? ergo hanc nouam creationem de repente illi concedere non eſt prudentiæ conſentaneum.

Tertiò.

37 Tertiò. Exemplum,& imago ſimul ſunt,& exiſtunt. At exemplum Mundi, ſiue idea Mundi eſt æterna. ergo Mundus, qui eſt imago eius,erit æternus. Maior probatur: quia exemplum,& imago ſunt correlatiua,exemplum eſt id ad cuius inſtar eſt imago; neque eſt exemplum niſi ſit imago eius,ſicut non eſt imago niſi adſit exemplum. 3. Ratio.

38 Quartò. Deus cum ſit bonus, voluit cuncta fieri ſibi ſimillima quantum potuit. At non eſſet Mundus ſimillimus opifici, ſi non eſſet æternus; ergo conſequentia patet; quia Deus opifex eſt æternus; ergo ſi Mundus, qui eſt eius effectus nõ ſit æternus,non erit ſimilis Deo. Iſtæ rationes ex Proculo, & Platonicis. 4. Ratio.

39 At fortius arguunt Peripatetici. Ariſt.8.Phyſic. facit tres rationes, quas ipſe, & multi alij demonſtratiuas putant, & vt tales eas confirmat 12.Met.tex.43. quæ tamen quàm ſint infirmæ poſtea videbimus. Sit ergo quinta ratio,quã facit Ariſt.eo lib.8.à tex.4. vſque ad 8. incluſiue,quæ eſt iſta. Supponit primò in 4.tex.veram eſse diffinitionem motus, quam 3.Phyſicorum attulit. nimirum motum eſse actum entis in potentia ſecundum quod huiuſmodi, ſeu motum eſse actum mobilis in quantum mobile. Ex hac diffinitione infert Ariſt. hanc propoſitionem quodcunque quod mouetur quocũque motu eſt in potentia ad moueri huiuſmodi motu, quo mouetur, quàm propoſitionem etiam exemplis manifeſtat: quia nihil alteratur niſi quod prius poterat alterari; & nihil vritur, niſi prius eſset vſcibile. Veriſſimũ ergo eſt quod omne,qđ mouetur,prius eſt in potentia ad moueri. Hoc facto ſuppoſito vlterius Ariſt. in tex.5. 6. & 7. infert hanc aliam propoſitionem. Ante priorem motum,ſi daretur,neceſsariò eſset dari priorem motum; & ante illum alium priorem; & ſic in infinitum; & proinde neceſse eſt motum eſse æternum. ſi autem motus eſt æternus, ſequitur Mundum, & generationem ſemper fuiſse, nec vnquam habuiſse initium; Quod eſt intentum Ariſtotelis. Quod autem ante primum motum neceſsariò dari debeat alius prior motus, probat Ariſtoteles hunc in modum. Ex diffinitione motus aſſignata, ſequitur in quolibet motu eſse mobile,& mouens; ſi enim motus eſt actus mobilis inquantum mobile, ſequitur quod in quolibet motu ſit mobile, & mouens,à quo mobile moueatur. Tunc quęrit Ariſtoteles, an mobile quod per primum motum moueretur,ſit factum,& genitum,an non? ſed mouens,& mobile ſemper fuerint?ſi detur primum,ergo ante primum motum, dabitur alius prior motus nempè ille per quem factum eſt primum mobile.Tunc vlterius quęrit de illo mobili,quod factum eſt per priorem motum,an ſemper fuerit, vel factum fuerit? ſi factum fuit; ergo per alium motum priorem,in quo erat mobile, & tunc quęritur de illo mobili an ſic factum? & dabitur proceſsus in infinitũ; & ſic

5. Ratio ex Peripateticis.

Ratio Ariſt. 8. Phyſic. à tex. 4. vſque ad 8.

ſic nullus dabitur primus motus; ſed ante primum motum ſemper dabitur alius prior in infinitum. Si verò dicas illud mobile primi motus non eſſe factum, ſed & mouens, & mobile ſeu per fuiſſe; tunc infert; ergo abſurdum eſt dicere, quod ſemper non fuerit motus: quia ſi mouens, & mobile adſunt, & nullum adeſt impedimentum, ſequitur actio, & motus. Et confirmatur: quia ſi non moueant ſemper, ſed quieſcant, neceſſe eſt dari cauſam illius quietis; antequam ergo incipiant mouere, & a quiete ad motum tranſeant, neceſſe eſt remouere cauſam illius quietis. Hęc remotio, & ablatio quietis non poteſt tolli niſi per aliquem motum; quies enim habet cauſam ſui, ſicut motus habet cauſam ſui: & ſic ante primum motum erit alius prior motus, quo quies remoueatur. Tunc de illo quęritur vt ſupra. Vel enim eius mobile factum eſt, & tunc per alium motum, & ſic dabitur proceſſus in infinitum. Vel eſt ingenitum, & non factum, ſicut & mouens, & tunc ſemper mouens illud nouit, & mouet, quia ſi quieuit, ante primũ motum debet dari motus quo illa quies auferatur; & ſic reddit idem argumentum. Hęc eſt prima ratio Ariſtotelis, quam demonſtrationẽ ipſe Ariſtoteles & ſui ſectatores appellant; quę quidem eſt ſatis difficilis, & artificioſa, ſed vt patebit eam ſoluendo, minimè concludit.

6. Ratio. Ratio Ariſt. 8.Phyſ. text. 8. & 9.

40 Sexto loco ſit altera ratio, quam facit Ariſtoteles eodem lib.8. tex.8.& 9.& eſt hæc; Licet ſit magna diuerſitas inter agentia, & mouentia in agendo, & mouendo; quia quadam mouent vno modo, vt mouentia naturalia; nam ignis ſolum calefacit, non autem frigefacit, & aqua ſolum madefacit, non autem calefacit. Alia verò vt artificialia motibus contrarijs mouent. Nam artifex ſeu mouens artificiale agit ſecundum inſtitutum artis, vel contra inſtitutum artis. Tamen hæc eſt lex, & regula communis omnium agentium, & mouentium, vt non quomodocunque agant, & moueant; & ſimiliter eſt eadem lex omnibus patientibus, vt non quomodocunque diſpoſita patiantur; ſed agentia, & patientia debent eſſe diſpoſita, & approximata vt agant. Neque enim ignis agit ſemper in lignum, ſed ſolum quando lignum eſt debitè diſpoſitum, & approximatum. Hoc facto ſuppoſito ſic arguit Ariſt. ergo ſi erant ab æterno mouens, & mobile, & mouens non mouebat, neque fiebat motus, & poſtea in tempore mouens cœpit mouere, & factus eſt motus, neceſſe eſt quod nõ fieret motus, quia non erant diſpoſita, ſed indiſpoſita. ergo ſequitur, quod quando mouens cœpit mouere, & factus eſt motus, illa indiſpoſitio allata fuerit. At illa indiſpoſitio non potuit amoueri niſi per aliquem motum per quem mouens, & mobile mutata fuerint, & ab illa indiſpoſitione ad diſpoſitionem tranſiuerint. Ex hoc autem ſequitur vt ſupra, quod ante primam actionem, & motum detur prior actio, & motus, nimirum

quo

Digitized by Google

quo mouens, & mobile ex indiſpoſitis fiant diſpoſita; & tunc reddit prima ratio; quia quæro de mouente, & mobile per quæ factus eſt motus ille, quo indiſpoſitio eſt ablata, vel ſemper mouerunt, & habeo intentum; Vel fuerunt indiſpoſita aliquando, & tunc per aliquem motum illa indiſpoſitio auferri debuit, & ſic in infinitum.

41 Septimò. Ex hoc fundamento Ariſtotelis arguunt alij, vt Pro- 7. Ratio.
clus 3. argumento contra Ioannem Grammaticum in hunc modum. Illud eſt verè efficiens, & verus opifex, qui actu operatur, & efficit; qui verò actu non operatur, ſed eſt in potentia ad operandum, & efficiendum non eſt verus efficiens, quia eget aliquo, quod ipſum deducat de potentia ad actum; ergò ſi primum efficiens aliquando fuit, & non efficiebat, neque mouebat actu, erat tantùm efficiens in potentia; ergo egebat aliquo priore mouente, & efficiente, quod ipſum deduceret ad actum, & per aliquem priorem actum, & motum; & ſic ante priorem motum dabitur alius prior motus in infinitum. Vel eſt dicẽdum, quod primum mouens eſt mouens ſemper actu, & ſic ſemper motus, & Mundus fuit, & eſt æternus.

42 Octauò. Et eſt quarta ratio Procli contra Ioannem Gramma- 8. Ratio.
ticum, & procedit ex eodem fundamento. Quidquid fit ab immobili, & immutabili neceſſariò eſt æternum, & ſempiternum; ſed Mundus eſt à Deo immobili, & immutabili; ergo eſt æternus, & ſempiternus. Maior probatur: quia ſi agens immobile, & immutabile non ſemper egit, & mouit, ſed prius quieuit, deinde mouere cœpit, & agere; ergo mutatus fuit; ergo non erit immutabilis.

43 Nonò. Sit altera ratio Ariſtotelis, quam facit eodem 8. Phyſic. 9. Ratio.
tex. 10. & 11. & deſumitur ex connexione temporis, & motus, & Ratio Ariſt.
colligit quod cum tempus ſit æternum motus quoque ſit æternus a ex 8. Phyſic.
parte ante, & à parte poſt. Conficitur autem ratio ex duabus propo- tex. 10. & 11
ſitionibus, quarum prima eſt. Tempus, & motus ſunt adeo connexa, quod non poteſt eſſe tempus ſine motu, nec motus ſine tempore. Hæc propoſitio probata eſt ab ipſo Ariſt. 4. Phyſic. vbi oſtendit, quod tempus eſt numerus motus primi mobilis. Ex hoc autem ſequitur, quod tempus non poteſt eſſe ſine motu, nec motus ſine tempore. Secunda propoſitio eſt hæc. Prius, & poſterius ſunt differentiæ temporis; hæc propoſitio patet: quia iſtæ differentiæ non poſſunt eſſe ſine tempore, nec tempus ſine illis. Tunc ſic formatur ratio. Si dicamus, motũ eſſe genitum, ita quod prius nõ eſſet motus, admittimus, prius, fuiſſe ante motum; At ſi ante motum fuit, prius, ſequitur, quod ante motum quoque fuerit tempus: quia vbi eſt prius, ibi eſt tempus ex ſecunda propoſitione. At vbi eſt tempus, ibi quoque eſt motus ex prima propoſitione; ergo ante motum erat motus, & ſic in infinitum.

Confirmatio quæ eſt 10. Ratio. Confirmatio ex Ariſt. eodem loco.

Plato dixit tẽpus eſſe genitum.

Falſum eſt qđ dicit Ariſtot. cæteros antiquos, excepto Platone, poſuiße tempus eſſe æternum.

44 Confirmat Ariſtoteles hanc rationem auctoritate antiquorum ibidem, quos omnes inquit poſuiſſe tempus æternum, excepto Platone, qui in Timeo dixit tempus fuiſſe à Deo ſimul cum cœlo genitũ, (quod reuera dixit Plato vt ſuperiori capite oſtendi, & eſt vera ſententia; falſum tamen dicit Ariſtoteles, cæteros antiquos putaſſe tempus eſſe æternum: Quia vt vidimus alij antiqui conceſſerunt Mundum eſſe genitum, & conſequenter tempus quoque fuiſſe factum cum Mundo,) cum ergo omnes antiqui dixerint tempus eſſe ingenitum, ſequitur etiam Cœlum, & Mundum eſſe ingenitum. Verùm quia Ariſtoteles putauit Platonem male aſſerere tempus eſſe genitum, nititur probare contra Platonem illud eſſe ingenitum hac ratione, quam etiã demonſtrationem aſſeruit, & conſiſtit in duabus propoſitionibus. Prima eſt hæc. Nunc, & tempus ſunt adeo affecta, quod tempus non poteſt eſſe ſine nunc, neque nunc ſine tempore: quia nunc eſt menſura temporis, & de tempore non habemus niſi nunc. Secunda propoſitio eſt hæc. Nunc eſt finis præteriti temporis, & principium futuri temporis. Tunc ſic. ſi tempus eſt genitum, neceſſariò fuit genitum in aliquo nunc, ſeu momento temporis: At illud nunc eſt finis præteriti temporis; ergo ante primum tempus creatum, fuit aliud prius tempus. Quod ſi dicas, illud tempus prius creatum fuiſſe, neceſſe eſt, quod fuerit genitum, & creatum in aliquo nunc; quod ſimiliter fuit finis præteriti, & principium futuri; & ſic ante illud tẽpus erat aliud prius, & ſic in infinitum; ergo eſt impoſſibile, quod tempus aliquando habuerit initium, & exordium, & conſequenter eſt æternum. Si tempus eſt ęternum; ergo Cœlum & Mundus eſt æternus.

Aliæ rationes Ariſtot. alibi pro æternitate Mundi.

45 Habet Ariſtoteles alias rationes pro æternitate Mundi alibi, præſertim autem pro ea faciunt omnes rationes, quæ ab eo, & ſuis ſectatoribus adducuntur ad probandum Cœlum eſſe ingenerabile, & incorruptibile. Nam clarum eſt, quod ſi Cœlum, quod eſt prima, & principalis pars Vniuerſi, eſt ingenerabile, & incorruptibile, & nunquam habuit principium, quod neque Mundus hic inferior, qui à Cœli motu continuo perpetuatur per generationem, & corruptionem, aliquando habuit principium; & quod motus eius eſt æternus. Quod autem Cœlum ſit ingenerabile, & incorruptibile probat præſertim Ariſt. 1. de Cœlo tex. 20. & ſequentibus hac ratione. Quidquid generatur, & corrumpitur à contrario generatur, & corrumpitur; ſed ſic eſt quod Cœlum nullum habet contrarium; ergo Cœlum non generatur, neque fit, ſed eſt ingenerabile, & incorruptibile. Maiorem propoſitionem ſupponit probatam in 1. Phyſic. a tex. 42. & ſequentibus, vbi oſtendit quod omne quod generatur ex ſuo contrario generatur, & fit. Minorem verò probat: quia Cœlum non habet contrarieta-

11. Ratio. Ratio Ariſt. ex 1. de Cœlo tex. 20.

Digitized by Google

rietatem externam; quoniam mouetur motu circulari; motui autem circulari nullus motus eſt contrarius; ergo Cœlum non habet aliquod contrarium externum; quia ſi illud haberet, moueret motu contrario motui Cœli; contraria enim contrarijs motibus mouent, & mouentur. Ex hoc deducit quod Cœlum non habet etiam contrarietatem internam, quod ſcilicet non ſit compoſitum ex elementis contrarijs; ſi enim eſſet compoſitum ex illis, eſſet corruptibile, & moueretur motibus contrarijs. Ex hoc vlterius deducit tex.21. quod eſt quoque inaugumentabile, & inalterabile: quia etiam iſti motus fiunt ex contrarijs, & a contrarijs. & ſic in tex.22. deducit Cœlum eſſe omninò incorruptibile, & inſeneſcibile.

46 Et confirmat hanc ſuam opinionem deinde auctoritate antiquorum, quoniam nullus illorum vnquam aſſeruit Cœlum, ſeu Mundum aliquando fuiſſe corruptum, vel quo ad totum, vel quoad partẽ aliquam, ſed ſemper extitiſſe. Si autem eſſet corruptibile proculdubio aliquando corruptum fuiſſet, vel quo ad totum, vel quo ad aliquã partem. Accedit, quod omnes antiqui tàm Græci, quàm Barbari dixerunt Cœlum eſſe ſedem, & domicilium Deorum immortalium, & proinde coaptatum, & conueniens eſſe illis. Vnde cum ipſi immortales, & incorruptibiles ſint, ſequitur Cœlum eſſe ingenerabile, & incorruptibile. Accedit, quod antiqui appellauerunt Cœlum Etherà ſemper currendo; ergo ex eorum opinione fuit, quod Cœlum ſempiterno motu ſemper motum fuerit, & moueatur; & reprehendit Anaxagoram, quia abutebatur hoc nomine, Ethera, accipiebat enim illud pro igne, & debet accipi pro Cœlo ideſt primo & ſupremo corpore, quod mouetur. **12. Ratio.** ***Alia confirmatio Ariſt. ex auctoritate antiquorũ eodem loco.***

47 Tertiodecimò, eſt ratio, quã habet 1. Phyſic. tex.75. & eſt hæc; Ex nihilo nihil fit, ideſt ex nihilo, & non ente ſimpliciter nihil fit. At ſi materia prima crearetur ex nihilo ſimpliciter, ſeu ex non ente ſimpliciter aliquid fieret; ergo creatio materiæ, & prima productio Mundi non datur. **13. Ratio.**

48 Decimoquartò, ſit ratio, quàm facit Auerroes lib. de ſubſtantia Orbis cap.4. quæ deducitur ex duabus propoſitionibus, quæ ſunt iſtæ. Prima motus eſt in mobili; quæ habetur 3. Phyſic. in definitione ſecunda motus, quæ eſt, motus eſt actus mobilis in quantum mobile. Secunda eſt; motus Cœli eſt primus motus, quæ deſumitur ex 8. Phyſicorum, vbi Ariſt. oſtendit deueniendum eſſe ad vnum primum motorem immobilem, qui mouet Cœlum æterno tempore per quem motum omnia alia inferiora mouentur. Ex his ſic arguit. Si Cœlum eſſet genitum, motus eius non poſſet eſſe primus, ſed neceſſariò daretur aliud mobile, & motus prior, quo Cœlum eſſet productum, quod eſt **14. Ratio.**

contra ſecundam propoſitionem; quod motus Cęli ſit primus motus.

15. Ratio. 49 Quintodecimò. Ariſt. 1. de generatione, & corruptione tex. 1. & 3. de Cœlo tex. 2. habet hanc propoſitionem nullam eſſe generationem, & corruptionem ſine ſenſibilibus corporibus, quæ vocantur elementa. Omne quod generatur, vel fit ex elementis, vel eſt elementũ. primo autem de Cœlo tex. 13. & ſequentibus, & antecedentibus probat quod Cœlum eſt corpus diuerſum a quatuor elementis; neque eſt compoſitum ex illis, ſed eſt corpus ſimplex, ſicut illa, immò ſimplicius: quia eſt ſupra eſſentia diuerſa ab illis. Ex his ſequitur quod Cœlum eſt ingenerabile, & incorruptibile.

16. Ratio. 50 Sextodecimò. Si Cœlum eſſet genitum, eſſet genitum per motum, & tranſmutationem: quia non datur alius modus generationis; motus enim per emanationem non datur. At quod generat per tranſmutationem neceſſariò eſt corpus, & corporeum: Nam incorporeum non poteſt agere in corpus, ſeu tranſmutare corpus. Vnde Ariſt. 8. Phyſicorum dixit, primum ens incorporeum non agere ad tranſmutationem rerum ſublunarium niſi interuentu corporis cœleſtis. Et 2. de generatione dixit, cauſam efficientem generationis eſſe Cęlum per motum ſuum, per acceſſum, & receſſum; ſi ergo daretur aliquod agens producens Cœlum, ſequeretur illud eſſe aliquod corpus. At nullum corpus huiuſmodi dari poteſt; quia vel illud eſſet ſimplex elementum, vel corpus mixtum ex elementis; iſta autem facta ſunt à Cœlo, non autem faciunt Cœlum. Cum ergo non detur aliquod generans Cœlum, Cęlum non poteſt eſſe genitum.

Oſtenditur Cœlum & Mundum in tempore fuiſſe productum ex ſolo lumine naturali; omiſſa auctoritate Sacræ ſcripturæ, quæ omni rationi præponderat. Caput Tertium.

51 EX altera parte ego oſtendo falſam eſſe opinionem Ariſtotelis, & veriſſimam eſſe aſſertionem hanc, Mundum in tempore fuiſſe creatum, & hoc tribus vijs (dimiſſa auctoritate Sacræ Scripturæ, quę omnibus rationibus præponderat, & cui firmiter inhærendum eſt) primò, auctoritate Philoſophorum antiquorum, qui ſententiæ Moyſi de creatione omnium rerum ſubſcripſerunt, quod licèt ex primo capite patere poſſit, tñ exactius eſt probandum. Secundò, rationibus. Tertiò, diſſoluendo rationes Aduerſariorum, quas demonſtrationes putant, & præſertim rationes Ariſtotelis; quas ex principijs traditis ab Ariſt. ipſo non concludere oſtendam.

Prima ratio pro pductione Mundi ex authoritate antiquorũ.

Obiectio Simplicij contra Moyſem.

52 Quantum ad primum obſeruandum eſt Aduerſarios communiter ſolere dicere aſſertionem de creatione Mundi eſſe fabulam tra-

ctam

Digitized by Google

ctam ex fabulis Ægyptiorum. Vnde Simplicius 8.Phyſic. comm. 11. in digreſſione aduerſus Ioannem Grammaticum, qui hanc creationẽ Mundi aduerſus Ariſtotelem,& alios Gentiles tuetur,habet hæc verba. *Si Ioannes Gramm. iudicat hanc creationem Mundi,quam ipſe aduerſus Ariſt.tueri nititur,eſſe creationẽ,quam legiſlator Iudæorum aſſeruit, dum dixit, In principio creauit Deus cælum, & terram, norit, quod ſit fabuloſa quædam traditio ex fabulis Ægyptiorum tracta.* Subiungit etiã argumentum quoddam contra Moyſem. Nam Moyſes dixit primò, quod Deus fecit lumen,& ipſum ſeparauit à tenebris, ac lumen appellauit diem, & tenebras noctem; & quod ex veſpere, & mane prodijt dies vnus; deinde dicit, quod quarta die factus eſt Sol: tunc ſic arguit Simplicius ad probandam hanc hiſtoriam Moyſis eſſe fabulam. Quomodo poteſt Sol eſſe cauſa diei, ſi Sol factus eſt quarta die, & tamen prius dixerat Moyſes diem eſſe factum ex veſpere, & mane, antequã Sol eſſet factus? ergo narratio Moyſis videtur includere contradictionem & eſſe fabulam.

53 Verùm Simplicius cum alijs eiuſdem opinionis,non minus impium quàm ignorantem his ſuis verbis ſe ſe oſtendit. Duas ſimul profert blaſphemias, quas retundere opus eſt. Prima eſt, quod narratio Moyſis ſit fabula. Secunda quod ex fabulis Ægyptiorum ſit tracta. Vtranque autem ſimul reijciemus auctoritate priſcorum ſapientum, quos tota antiquitas immo ipſe Simplicius veneratus eſt; & ſi adducerentur videtur innuere ſe illis crediturum,dum reprehendit eodem loco Ioannem Grammaticum, quod dixerit contra Ariſtotelem ſe probaturum antiquos plures poſuiſſe Mundum, & tempus in tempore eſſe factum,& tamen illos non nominauerit;quaſi dixerit ſi ſciuiſſet Ioan.Gram. hos auctores, quos Ariſtoteles non agnouit, proculdubio eos nominaſſet ad confundendum Ariſtotelem; non nominauit autẽ; ſignum eſt ergo quod tales non reperiantur. Adducamus ergo eorum aliquos,& maximè nominis. Nos quidem aſſerimus Mundum immediatè ex nihilo creatum, & factum fuiſſe à Deo in tempore auctoritate Moyſis; ſed auctoritas Moyſis non ſolum ab Hebræis,& Chriſtianis in magna reuerentia habita eſt, ſed à Sapientibus, & Scriptoribus Gentilibus antiquis, qui Moyſem vt virum veridicum, & hominem ſapientiſſimum eſſe teſtati ſunt; atque aſſeruerunt eum fuiſſe primũ, qui docuerit Ægyptios litteras a quibus poſtea ad Græcos tranſmiſſę fuerunt; non autẽ ipſum ab Ægyptijs accepiſſe, & ſic vtrunque mendacium Simplicij euertetur.

Reijcitur obiectio Simplicii.

Auctoritas Moyſis fuit in magna veneratione apud Gẽtiles.

54 Omitto eos auctores Gentiles, ſed tamen hiſtoricos, & fide dignos (licèt in aliquibus errauerint: eo quia non habuerunt magnam peritiam rerum Hebræorum) quos refert Ioſephus de antiquitate Iu-

dæorum aduerſus Appionem, quibus facta Hebræorum narrata in libris Moyſes, & Prophetarũ confirmat eſſe vera; & eos quos Euſebius Cæſarienſis lib. 9. de præparatione Euangelica cap. 4. adducit, quorũ ſcripta pauca ad nos peruenerunt. Duos auctores tantùm adduco.

Teſtimoniũ de Moyſis ſapientia Eupolemi Scriptoris antiquiſſimi, & fide digniſſimi.

Alter eſt Eupolemus ſcriptor antiquiſſimus, & magni nominis; vt eſt videre apud Euſebium, & Ioſephum vbi ſupra; hic apud Euſebium vbi ſupra habet hæc verba de Moyſe. *Moyſes, qui à Græcis Muſeus dicitur, ſapientiſſimus homo fuit, litteras primum Iudæis tradidit.* (loquitur de Geneſi, & alijs libris Moyſis) *à Iudæis Phenices acceperunt: Græci verò à Phenicis.* Hæc ille, qui nec Hebræus, nec Chriſtianus fuit: Phenices autem, & Ægyptij ijdem populi ſunt.

Teſtimoniũ Strabonis de Moyſe.

Alter eſt Strabo auctor fideliſſimus, qui curioſiſſimè gentes, loca, ritus, moreſque populorum luſtrauit in lib. 16. ſuæ Geographiæ, de Moyſe habet hæc verba. *Moyſes Sacerdos quidem Ægyptius.* (appellat autem Sacerdotem Ægyptium, quia Moyſes in Ægypto multa mirabilia fecit) *cum partem Ægypti obtineret ſtomachatus Ægyptios mores inde in Iudæam demigrauit; ſecuti ſunt eum plures, quibus Dei cultus carus eſſet. Dicebat enim ille quod non rectè ſentirent Ægyptij iumentis, & reptilibus diuinitatem aſſimilantes; Minus libes, & Græci, qui Deum humana forma fingerent; eſſe enim Deum id ſolum, quod nos omnes, & maria, & terras, quod omne cælum, & mundum rerumque naturam vocamus, ſuſtinet, & continet. Huic ergo vllam rerum ex his, quæ apud nos ſunt figuram quis ſanè mentis adaptare audeat? Sed oportere omnia ſimulacra relinquere, dicebat, poſitoque ſatis pro dignitate templo ſine figura hic Deum colere.* Hæc Strabo. qui denique addit Moyſem fuiſſe vnum ex ijs, qui diuinis alloquijs, & oraculis aſſueti referrent ad homines à Deo præcepta. Habemus ergo ex his Moyſis hiſtoriam de creatione Mundi, & alijs rebus non eſſe fabuloſam narrationem; cum fuerit opinione hominum vir pius, & ſapientiſſimus, alioquin omnes hiſtorias antiquorum poſſemus dicere eſſe fabulas.

Simplicius mentitur.

Habemus etiam multò magis Simplicium mentiri, dum dixit ſententiam, & aſſertionem de creatione Mundi ortum habuiſſe ex fabulis Ægyptiorum. Nam non Moyſes ſuam doctrinam ab Aegyptijs accepit; ſed è conuerſo Aegyptij a Moyſe; & ab Aegyptijs, deinde Græci ſuam Philoſophiam, & doctrinam de rebus diuinis, & ſublunaribus acceperunt; vt vidimus ſuperiori cap. per quamdam ſeriem ex vno in alium, vſque ad Platonem, quem cum ipſe Simplicius in omnibus alijs aſſertionibus ſequatur hac excepta de productione Mundi, in qua vult ipſo Platone reluctante, ipſum cum Ariſt. ſentire, cogitur aſſerere ẽt hanc aſſertionẽ de creatione Mundi eſſe veriſſimã, cũ Plato illã apertiſſimè ſuſtinuerit, vt ſup. vidimus, vel cogit̃ aſſerere Platonẽ mẽtiri, & fabulã ſtruxiſſe; qđ ipſe nõ aſſereret.

Con-

Digitized by Google

55 Confirmatur Simplicium mentiri ex conſenſu mirabili omnium antiquorum, non ſolum Aegiptiorum, ſed Græcorum, qui Platonem præceſſerunt in hac aſſertione de productione Mundi. Quæ enim fabuloſa ſunt citò deficiunt, cum ſint ſine fundamento. Et licèt inter antiquos Philoſophos vſque ad Platonem fuerit aliqua diſcrepantia in modo iſtius productionis Mundi, non eſt mirũ: quia vt aliàs dicam hanc veritatem Mercurius Triſmegiſtus, & alij, ad quos poſt ipſum peruenit, non habuerunt ex viribus naturalibus, nec ratione ducti, ſed ex reuelatione, & traditione maiorum, qui illam immediatè à Deo acceperunt, quanto autem aliqua narratio vera remotior eſt à primis reuelatoribus; tanto impurior, & pluribus referta erroribus, & minus clara peruenit, ad poſteros. Quod autem Philoſophi antiqui Mercurius, Orphæus, Eſiodus, Pitagoras, Anaxagoras, & alij vſque ad Platonem non ratione ducti hanc aſſertionem tenuerint, ſed ex traditione maiorum, & reuelatione, patet ex Platone in Timeo, vbi diſputans hanc quæſtionem de generatione Mundi habet hæc verba in perſona Timei. *Cum ergo ò Socrates multa de Dijs, Mundique generatione à multis dicta ſint, ne miſeris obſecro, ſi rationes de ijs probatiſſimas afferre non poſſim; ſatis enim factum putare debebis, ſi non minus probabiles quàm quiuis alius attulerim.* Et infra habet illa verba, quæ ſuperiori capite adduximus, quæ ſunt. *Priſcis itaque viris credendum eſt, qui Dijs geniti, vt ipſi dicebant parentes ſuos optimè nouerant. impoſſibile ſanè Deorum filijs fidem non habere, licèt nec neceſſarijs, nec veriſimilibus rationibus eorum oratio confirmatur. Verum quia de domeſticis rebus loqui ſe affirmabant nos legem ſequuti fidem præſtabimus.* Ex his apparet opiniones antiquorum potius ex traditione prædeceſſorum quàm ex ratione ortum habuiſſe, licèt vt dixi, quanto magis receſſerunt à primis auctoribus reuelantibus, tanto pluribus erroribus refertę fuerint; vt patet de generatione Deorum ex hominibus, quam ipſe Plato nec rationibus neceſſarijs, nec veriſimilibus ait inniti, & tamen illam ſuſtinet propter legem, & traditionem ſuorum prædeceſſorum.

Confirmatur Simplicium mẽtiri ex cõſenſu omniũ antiquorum.

Generationẽ Deorum quã uis irrationabilem ſuſtinuit Plato ꝓpter legem.

56 Præterea, omnes prædicti Philoſophi vno ore prouidentiam huius Mundi in Deo poſuerunt. Si autem Deus habet prouidentiam huius Mundi, & cuncta gubernat, neceſſe eſt quod ab illo in effectione pendeat. Quod autem Philoſophi prouidentiam in Deo huius Mundi conceſſerint, patet, tum ex eorum dictis præcedenti capite adductis, tum ex Platone, qui nouiſſimus fuit; ipſe enim 10. de legibus protulit illud pronunciatum. *Nunquam à Deo negligeris, nec ſi ita paruulus ſis, vt in terrę profundum ingrediaris, nec ſi adeo ſublimis fias, vt pennis eleuatus in Cœlum voles.* Vnde cum Plato à prioribus non diſcedere profeſſus ſit, & ipſe tam apertè prouidentiam admittat, di-

Antiqui Philoſophi cõceſſerunt prouidentiam in Deo.

Plato diſertis verbis ſuſtinet Dei ꝓuidentiam.

Digitized by Google

cendum eſt, eos quoque eam conceſſiſſe; & conſequenter omnium rerum creationem à Deo factam agnouiſſe.

Confeſſio Ariſt. quod omnes antiq. poſuerunt Mũdum eſſe factum.

57 Vltimò Ariſtot. qui primus negauit productionem, & generationem Mundi, aperte lib. 1. de Cœlo tex. 102. fatetur omnes antiquos poſuiſſe Mundum eſſe genitum, licèt diuerſo modo hoc ponerent. Alij enim dixerunt, inquit, eſſe genitum, ſed ſempiternum à parte poſt. Alij verò eſſe corruptibilem, ſicuti omnes has res ſublunares. Alij verò viciſſim generari, quandoquidem ſic, & quandoquidem non. Ergo ex Ariſt. ipſo opinio antiquorum conſtans fuit, quod Mundus ſit genitus, licèt deinde de modo inter ſe diuerſi fuerint, & alij alijs magis errauerint prout à reuelata veritate magis, vel minus receſſerunt.

Ad obiectionem Simplicij cõtra Moyſem de creatione Solis 4. die.

D. Bonauentura.

58 Nunc ad obiectionem ex Simplicio factam contra Moyſem, qui dicit ſolem productum eſſe à Deo quarta die, & tamen dicit prima die Deum diuiſiſſe lucem à tenebris, & lucem appellaſſe diem, & tenebras noctem, atque ex veſpere, & mane factum eſſe primũ diem; cum tamen dies, & nox diſtinguantur per acceſſum ſolis ſuper terram. Reſpondetur cum Diuo Bonauentura in 2. diſt. 13. art. 1. quęſt. 1. & 2. & alijs primum diem, quo Moyſes dixit factam eſse à Deo lucem, non habuiſſe eſse per illuminationem ſolis, neque noctem extitiſse per receſsum ſolis, quippe qui nondum productus fuerat, ſed habuiſse eſse per lucem productam à Deo immediatè in ſe, non in corpore ſolis, vel in aliquo alio corpore, ſed in ſe ipſa. Primò enim Deus produxit lucem ipſam in ſe, atque illam diuiſit à tenebris, & mouebat illam lucem per ſe ab vno Hemiſperio ad alterum, quemadmodum nunc mouetur ſol ſuper terram, & ſic per receſsum lucis, & acceſsum fiebat mane, & veſpere, & ex ambobus integrebatur vnus dies; Quarta die autem cum Deus produxit ſolem, & lunam, non produxit lucem ipſam, quia illa iam erat producta, ſed fecit duo luminaria ſcilicet ſolem, quod eſt luminarium quoddam magnum, & ex ipſa ſubſtantia corporum Cœleſtium; vel vt vult Diuus Bonauent. vbi ſupra, ex ipſa luce, & voluit ipſum illuminare Mundum de die, ſimul cum luna, quæ eſt aliud luminare illuminans de nocte, & alios effectus in hæc ſublunaria inducere, quæ continuo influit, & producit; atque lucem, quæ primo immediatè ab ipſo Deo emanabat, voluit à Sole emanare. Et ſic patet Simplicium nihil habere contra Moyſem, ſed ſolum ſuam ignorantiam, & impietatem tantùm manifeſtaſse.

Prima ratio à productione Mundi.

Nunc aſsertionem iſtam de productione temporali Mundi etiam rationibus probemus, quæ ſi non ſunt demonſtratiuæ, ſaltem ſunt valde probabiles, & ſufficientes ad perſuadendum vnunquemque cordatum virum. Neque enim ſemper haberi poſsunt demonſtrationes

ad pro-

ad probandum quodlibet aſſertum. Nam rationes quoque Ariſtot. pro Mundi æternitate non ſunt demonſtratiuæ, vt videbimus etiam in principijs, & doctrina Ariſt. Prima ergo ratio ſit hæc. Si Mundus eſſet æternus, ita quod nunquam habuerit principium, nec habiturus ſit finem, ſequerentur plurima abſurda. Primò, tolleretur omnis pietas in Deum; tolleretur admiratio potentiæ, clementiæ, & bonitatis eius: hoc autem eſſe maximum abſurdum, omnes fateri habent. Nam videmus omnes gentes habere pietatem erga Deum, illum colere, & admirari, licèt poſtea in cognitione quis ſit verus Deus, & an vnus ſolus ſit, vel plures errauerint. Conſequentia verò probatur: quia pietas erga Deum oritur ex hoc, quia in ipſo agnoſcimus potentiam ſummam, & infinitam, qua poſſit nobis bona magna, & mala facere: ex hoc enim timor illius Maieſtatis oritur, oritur etiam ex Clementia, & bonitate eius; quod ſcilicet cum ſit tam potens, tamen ſit benignus, & clemens, vt voluerit eſſe ſuum, & ſua bona nobis communicare. Hinc eum amamus, & colimus. At ſi negemus creationem Mundi, & aſſeramus Mundum ſemper fuiſſe, & nunquam habiturum finem, non agnoſcimus potentiam vllam in Deo, neque clementiam, neque bonitatem, quia nihil fecit, neque contulit nobis, ſed res, & omnia ſic ſeſe habent ex ſe.

Abſurda quæ ſequerẽtur ſi Mũdus eſſet ęternus.

Pietas erga Deum vnde oritur.

59 Secundò, tolleretur prouidentia Dei, quod eſt ingens abſurdũ, & contra omnem cogitationem, & opinionem omnium hominum. Nulla enim eſt Natio, quæ in hac miſera vita ęrumnis, & tribulationibus plena ad numen diuinum non recurrat, illud ſupplicando, vt à morbis, quibus præmitur, eripiatur. At ſi Mundus ſemper fuit, nec ipſe, neque ea, quæ in eo ſunt, pendent à ſua diuina voluntate, neque nos ab illo creati ſumus, neque ipſe eſt noſter creator, & pater ſtultum eſſet ad illum recurrere, cum nihil opis nobis afferre poſſit.

Aliud abſurdum.

60 Tertiò, ſequitur Deum nullam excellentiam habere ſuper creaturas, vt ſuper ſolem, lunam, & ſtellas. Conſequens eſt abſurdum. Deus enim eſt primum ens independens, princeps vnicus huius Mundi, etiam ex Ariſt. 12. Met. *Entia nolunt male diſponi, vnus ergo princeps*. Conſequentia verò probatur; quia ſi Deus excellit in aliquo, omnes alias res à ſe ipſo, eſt æternitas ſui eſſe. At ſi luna, ſol, ſtellæ ſunt æternæ ex ſe, & inde fatigabiliter ex ſe lucent, ac in ſempiternũ moueri potuerunt, & poſſunt, etiam ipſæ æternæ ſunt ſicut ipſe Deus. Neque valet ſi quis dicat conſeruantur, & reguntur à Deo. Quia quod non poteſt creare, & dare eſſe totale alicui, neque illud conſeruare poteſt; quia conſeruatio eſt continua productio in eſſe: eſt enim præſeruatio à corruptione; præſeruatio autem à corruptione eſſe, eſt continua datio eſſe. Quod ergo non poteſt dare eſſe primò, & immediatè,

Aliud abſurdum.

diatè, neque poteſt dare illud ſecundò ſeu conſeruare. Et certè hæc ratio eſt inuicta. Ridiculum enim aſſerere eum qui non poteſt dare eſſe alicui, poſſe illi conſeruare idem eſſe, quod a ſe ipſa eſſe habet.

Confirmatur magnum ab ſurdum.

61 Accedit quod Deus eſſet ignobilior homine. Conſequens abſurdum communiter reputatur. Conſequentia probatur. Quoniam conſtat libertatem agendi pro libito eſſe perfectionem maximam: per hanc enim homo excellit omnes res naturales, & beluas, quæ naturaliter, & neceſſariò ſiuè inſtinctu naturali tantum agunt; homo autem habet hanc libertatem, vt patet; Deus autē hanc non haberet, ſi Mundus eſt æternus. Nam tunc eſſet dicendum Deum eſſe agens neceſſarium, ſine libertate naturaliter agere, vt ignis, ſicut poſuit Ariſtoteles; vt diximus in diſp. an Deus ſit immutabilis, & ſic non plus excellentiæ haberet Deus, quàm animalia bruta, & eſſet inferior, & imperfectior homine.

4. Ratio.

62 Quartò. Ex æternitate Mundi ſequuntur multa incommoda naturæ; ex temporali autem productione multa bona, & comoda; ergo melius eſt ponere productionem temporalem, quàm æternitatē. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur. Admiſſa æternitate nullam vtilitatem accipiunt ex illa entia naturalia, quia licèt ſpecies ſint æternæ, tamen omnia indiuidua ſunt corruptibilia. At dulcedo vitæ, & vtilitas eſt particularium, non vniuerſalium. Quid enim mihi prodeſt, quod ſpecies humana ſit immortalis, ego autem particularis ſim mortalis? quid profuit Ariſtoteli, & alijs Mundum eſſe æternum cum ipſi ita ſint corrupti, ac ſi Mundus eſſet productus, & eſſet corruptibilis? immo hęc æternitas non proficit Mundo ipſi, quia omnia eius indiuidua hucusque ſunt corrupta, & ſemper corrumpentur, licèt ipſe ſit æternus.

Aliud abſurdum.

Præterea ſequeretur homines particulares nullam aliam vitam ſperare poſſe, niſi præſentem mortalem. Hoc autem eſt maximum incōmodū; ergo. Conſequentia patet; quia qui ſtatuit Mundum æternum, aut ſtatuit animam vnicam in omnibus hominibus, vt Auerroes; aut tot animas, quot homines, ſed mortales, quia infinitum in quantitate diſcreta actu nō datur; aut eſſet certus numerus animarum, quæ modo huic modo illi corpori ineſſent, & migrarent de corpore in corpus. Si vnica ſit anima præterquam non poſſet eſſe informans, ſed eſſet aſſiſtens, & ſic omnes homines eſſent animalia bruta, illa anima ad aliam vitam non ordinaretur, niſi ad aſſiſtendum hominibus in hac vita, quia hic eſſet eius finis. ſi plures, ſed mortales, patet quod ad nullam aliam vitam ordinarentur. ſi certus eſſet numerus, neceſſaria erit tranſmigratio pitagorica; & ſic animæ illæ ex vno corpore exeuntes, adhuc aliud intrarent, & ſic ſemper vitam mortalem degerent.

Aliud abſurdum.

Abſurditas conſequentis quoque eſt euidens. Quod enim inſęli-

infęlicius animal eſſet homine, niſi poſt hanc vitam fœliciorem expectaret? Vita hæc ſi veritatem fateri velimus, nihil aliud eſt, quàm aggregatio omnium malorum, ac perpetua vexatio, & triſtitia, & horrida imago mortis. In hac nihil aliud fieri videmus, niſi regnare, vigereque rapinas, odia, veneficia, homicidia, adulteria, proditiones, violentias, luctum, vbique dolorem. Denique nuſquam certa quies, nunquam dulcis animorum tranquillitas, optata mentis, & ſecuritas placida; circa quę non eſt opus me extendere, cum omnes, & Philoſophi, & ſapientes, & ignorantes, & potentes, & infirmi, nobiles, & ignobiles cognoſcant eſſe pluſquam vera. Vnde non pauci nec exigui nominis ſapientes ſcriptum reliquerint. *Magis lætandum ſuper eum, qui moritur, quàm ſuper eum, qui naſcitur.*

63 Demum ſequeretur quod virtutes nullum verum præmium, vel vitia punitionem debitam haberent. Conſequens hoc eſt abſurdum, adeò vt non egeat probatione. Ablata enim ſpe præmij pro virtute, & punitione pro vitijs, & peccatis, omnem virtutem euaneſcere, & vitia graſſari neceſse eſt, atque horribilem in Mundo oriri confuſionem; atque iuſtitiam cum iniquitate confundi: Hoc autem repugnat dictamini rectæ rationis. Nemo enim eſt qui non iudicet mala eſſe punienda, & bona, ac virtutem eſse præmiandam. Conſequentia autem quoque eſt euidens; quia ſi Mundus nunquam eſt defuturus nunquam veniet dies retributionis, quo boni, qui in hoc Mundo mala patiuntur propter iuſtitiam debitam habeant retributionem, & mali debitam pœnam: In hoc Mundo enim videmus huiuſmodi debitam retributionem minimè fieri; immò oppoſitum apertè cernimus, quia mali proſperantur, boni vexantur, vt plurimum, vt experiētia docet. *Aliud abſurdum.*

64 Quintò. Omnes Peripatetici, & Ariſtoteles ipſe clarè pronuntiat Cœlum, & totam naturam pendere a cauſa prima, & ipſo Deo. Tunc quæro, vel pendet in genere cauſæ efficiētis, & tunc habeo propoſitum, quod Deus eſt cauſa efficiens materiæ primæ, ac totius naturæ, & æternorum. Si verò dicant in genere cauſæ finalis tantum pendere ideſt conſecutione quadam neceſſaria Mundum reſultare; tunc ſequitur Mundum prodire in eſſe potuiſſe ab æterno abſque cauſa efficiente, quod repugnat, nedum rationi, ſed Ariſtoteli ipſi, qui ſupponit vbique Mundum fieri non poſſe abſque cauſa efficiente; ergo falſum eſt Mundum potuiſſe produci in eſſe (productio enim in eſſe eſt quidam motus) abſque pręuia actione primi efficientis. Quod autem Ariſtoteles ſupponat motum requirere cauſam efficientem, patet ex prima ratione, quam facit 8. Phyſic. pro Mundi æternitate, quā ſupra adduximus in hac diſputatione. Nam aſſumit ibi, quod motus non poteſt fieri ſine mouente, & mobili; & quod mouens priuſquam *5. Ratio. Ratio oſtenſiua.*

moueat eſt in potentia ad mouere actu; neque poteſt mouere niſi deducatur de potentia ad actum, ac illa potentia tollatur; ergo Ariſt. ſupponit omnem productionem requirere efficiens. Et certè eſt omnino contra rationem dicere Mundum habere cauſam finalem, & non habere cauſam efficientem; quia nihil poteſt ordinari finaliter ad aliud niſi in ſua entitate ab illo pendeat, vt in Phyloſophia naturali Scoti Theorem. 50. oſtendi. Adde quod tunc cauſa finalis eſſet efficiens, & coincideret, quod eſt propoſitum noſtrum.

6. Ratio. 65 Sextò. Præterea ſic arguo. Deus eſt cauſa prima, & eſt cauſa libera; ergo immediatè a ſe producit aliquid, & liberè, & contingenter illud producit; ergo poteſt producere in tempore Mundum. Antecedens quoad primam partem patet ex rationibus Scoti adductis in Philoſophia naturali Theorem. 56. cum enim ſit prima cauſa, ſi cauſat, immediatè cauſat, quia nulla alia cauſa ſecum cauſare poteſt; quia tunc non eſſet prima cauſa; ſiquidem egeret alia cauſa ſecum cauſante. Neque in illa prima cauſatione cauſat ex aliquo ſubiecto vel materia; quia illud ſubiectum, ſeu materia eſſet tranſmutabilis ad formas, & conſequenter non eſſet neceſſe, ſed corruptibilis, & conſequenter non haberet eſſe à ſe, ſed ab alio; ergo penderet in eſſe à primo efficiente. Secunda pars ſcilicet quod ſit cauſa contingens, probatur; quia dantur contingentia in rebus; at ſi Deus cauſaret neceſſariò, non daretur contingentia in rebus: quoniam ſi primum mouens neceſſariò moueret, moueret neceſſariò cauſam ſibi proximam, & illa aliam ſibi proximam, & ſic deinceps, vnde omnes cauſæ ſecundæ neceſſariò mouerent; ergo omnes effectus neceſſariò euenirent, & ſic tolleretur contingentia, quia totus motus, & quælibet eius pars eſſet neceſſaria. Vnde Ariſtoteles ſuſtinens dari contingentiá in rebus, vt ſuſtinet lib. 2. Perhierm. cap. de futuris contingentibus, cogitur aſſerere Deum agere, & mouere contingenter, non neceſſariò; vel ſibi apertè contradicit. Nam ſuſtinet cauſas ſecundas agere in hæc inferiora, & conſequenter agere in hominem: ex hoc autem ſequitur ſecundum eum agere in voluntates humanas; ergo illæ neceſſariò agerent, & mouerentur, quod tamen ipſe aſſerit eſſe abſurdum: quia non oporteret negotiari, quæ conſiliari, quæ ſunt apertè abſurda. Quod ſi quis dicat Ariſtotelem non conceſſiſſe Deum agere in voluntatem humanam. Contra, cauſa prima cum cauſis ſecundis eſt vniuerſalis cauſa; ergo agit in omnes effectus, qui in rerum natura producuntur: alioquin non eſſet cauſa vniuerſalis: quia non ad omnes effectus ſe extenderet; neceſſe eſt ergo quod concurrat ad cauſalitatem effectuum qui cauſantur à voluntate hominis. Præterea voluntas eſt cauſa efficiens, & cauſa ſecunda, vel ergo cauſaret in virtute primæ, vel ſe ſola: ſi primum, habeo

Ratio oſtenſiua.

habeo intentum, quia ſi influxus illæ cauſæ primæ eſt neceſſarius, neceſſariò cauſat: ſi verò non; ergo voluntas eſt cauſa prima, non ſecunda, quia non dependet à prima in ſua cauſalitate, quod repugnat ſeriei, & ordini eſſentiali cauſarum poſito ab Ariſt.

Solutio rationum pro æternitate Mundi. Caput Quartum.

TErtiò principaliter probatur Mundum fuiſſe productũ in tempore per ſolutionem rationum Ariſtot. & aliorum pro æternitate Mundi. Ad primam ergo rationem, quæ multos turbat, & difficilior videtur. Reſpondetur neque Deum inuidũ eſſe, neque otioſum. Nam inuidia in eo cadere non poteſt, qui eſt ſummè bonus, & feliciſſimus non carens aliquo bono, ſed omnibus alijs bonitatem tribuens. Inuidia enim oritur ex deſplicentia boni alterius, cui illud nos nolemus. At nemo habet bonum inuito Deo, cum quicunque qui habet bonum, illud à Deo habeat, qui & illud eripere nullo negotio poſſet, ſi nollet eum illud habere. Neque ſi Deus non creaſſet hunc Mundum eſſet otioſus: quia ſui ipſius contemplatione eſt beatus; Neque alio, extra ſe eget vt ſit beatus: quoniam eſt infinitus; & ſic continet omne bonum. Neque creando, & conſeruando Mundum laborat; quia hoc oritur ex ſuperabondantia ſuæ fœlicitatis, & bonitatis, quam alijs vult communicare propter eorum vtilitatem non autem ipſius Dei. Si enim principes terreni cum communicant diuitias, & dignitates alijs, id non faciunt ex indigentia, ſed ex ſuperabundantia, & copia bonorum, quanto magis Deus facit communicationem ſuorum bonorum ex ſuperabundantia, non ex indigentia?

Ad primam rationem.

In Deo non poteſt cadere inuidia, neq; otiũ, & cur.

Inuidia vnde oritur.

67. Cur autem Deus ab æterno non produxerit Mundum, & hanc ſuam bonitatem creaturis non communicauerit, eſt quæſtio nimis curioſa; procedit autem ex falſa imaginatione, vt optime obſeruauit D. Auguſtinus lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 5. & ſequentibus. Nam vana eſt hæc imaginatio, quod ſpatia, & ſpatia temporis infinita præterierint ante Mundi creationem. Nam tempus, & duratio ipſa rerum cum rebus ipſis incępit, nimirum cum Cœlo, & Mundo ipſo. Et hoc fatentur nedum Plato in Timeo vt ſupra vidimus cap. 1. ſed Ariſt. ipſe 4. Phyſicorum tex. 101. diffiniens enim tempus, dixit, *tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius*; & tex. 133. aſſerit eſſe numerum motus primi mobilis; ſi ergo tempus eſt numerus motus primi Cœli, ante Cœlum non erat tempus.

Quare Deus non creauerit Mundum ab æterno.

Falſa imaginatio quod tempus precesſerit Mũdum, & quare.

68 Et ratio ipſa hoc oſtendit. Quia tempus ſine motu non eſt, quia tempus eſt menſura eius: Vnde ſi omnia quieſcerent, nullum eſſet tempus, quia nulla circulatio, quæ menſuraret, daretur. Vnde eſt illud

fabulo-

Digitized by Google

fabuloſum apud Ariſtot. 4. Phyſicorum tex. 59. de ijs qui quingentis annis dormierunt in Sardo; quando enim à ſomno ſurrexerunt, mirabantur res eſse mutatas, & putabant nullum tranſiſse tempus. Et hinc eſt quod in rebus incorruptibilibus duratio earum non differt ab eſſentia earum, vt æuum in Angelis, & æternitas in Deo, vt patet de æuo Angelorum. Immo etiam motus primi mobilis non habet tempus, quia non habet motum alium priorem ſe, quo menſuretur. Vnde ſi menſuretur, neceſse eſt, quod menſuretur per partes ſuas, quod in eo veritatem habere poteſt, quia licèt ſecundum ſe totum ſit incorruptibile ex Ariſtotele, & nullam habeat ſucceſſionem, tamen illam habet ſecundum partes. Primus autem Angelus, qui non habet ſupra ſe ſuperiorem Angelum non habet nec æuum, nec tempus, quo menſuretur eius duratio, diſtinctum à ſe, ſed eius duratio eſt idem quod eius eſse, & eſsentia. Cum ergo ante creationem Mundi non eſset tempus, falſa eſt illa imaginatio, quod præceſserit infinitum tempus.

In rebus incorruptibilibus duratio nō differt ab eorum eſſentia, et quare.

Ratio D. Auguſt. ad idē.

69 Diuus Auguſtinus hanc imaginationem eſse falſam probat à ſimili. Inquit enim, ſicut imaginamur ante creationem Mundi tranſiſse infinita ſpatia, & ſæcula; ita poſsumus imaginari eſse infinitum ſpatium locale extra Mundum, in quo poſſint infiniti Mundi creari. Poſset ergo quis quærere; quare Deus creauit hunc Mundum in hoc loco, & non in alijs locis, & ſpatijs, quæ ſunt infinita? Qui ergo habēt pro inconuenienti, quod Deus in infinito interuallo temporis quieuerit à creatione, & operatione, debent quoque habere pro inconueniēti, quod dentur infinita ſpatia localia imaginaria & in illis Deus non creauerit diuerſos Mundos. Nam Mundus iſte, etſi ſit magnus, eſt tamen finitus; & conſequenter habent dicere, quod Deus produxerit infinitos Mundos cum Epicuro: Et nulla alia differentia aderit, niſi quod Epicurus poſuit innumerabiles Mundos caſu, & fortuito factos; iſti autem habent dicere ſimul à Deo ab ęterno fuiſse productos; ſicut ergo falſa eſt iſta imaginatio, quod extra Cœlum ſit ſpatium infinitū, & infinita loca, ſeu imaginaria, ſeu realia; ita falſum eſt, quod ante creationem Mundi fuerint infinita ſpatia temporum. Et ſicut extra Cœlum nihil eſt, ita ante creationem Mundi, motus, & temporis, nullum erat tempus, nec duratio creata, ſed ſolus Deus ipſe. Et ſicut verum eſt Deum nullibi, ſeu nullo loco fuiſse, antequam Cœlum, & corpora crearentur, ita falſum eſt Deum fuiſse per infinitum tempus, antequam tempus crearetur. Et ratio eſt, quia ſpatium illud imaginariū extra Cęlum eſt nihil, & proinde in illo non poteſt eſse aliquid, ita ante creationem temporis duratio illa imaginaria nihil eſt; ideo ante creationem Deus in illa eſse non potuit. Quod ſi dicas, poſset aliquis eſse extra Cęlum, & extendere ibi brachium, ergo ibi eſt ſpatium verum,

Deus non potuit fuiſſe per infinitum tēpus antequā tempus crearetur, et quare.

Quomodo extra Cœlū ſit nihil.

rum, & vacuum. Reſpondetur ſi aliquis conſtitueretur extra Cęlum, ſiue ſit corpus, ſiue Angelus, ibi non eſset tanquam in loco; quia ibi non eſt aliquod corpus ipſum continens: neque enim eſt aer; ideo illud eſset in ſeipſo, non in aliquo loco; Et cum dicitur, poſset extendere manum. dico quod illa extenſio fieret conſiderando manum, & brachium in ordine ad corpus, non in ordine ad aliquem ſitum in ſpatio; quia ibi nullum eſt ſpatium vacuum: de qua re diffusè in 1. ſent. diſt. 38. diſp. 52. tota ergo cauſa iſtius falſæ imaginationis eſt, quia cū continuo ſimus & verſemur in tempore, loco, & motu, neſcimus res imaginari ſine tempore, loco, & motu; & quia ſcimus Deum eſse immortalem; & qui apud nos diù viuit tranſit plus tempus, & motum, quā ille, qui minus viuit; ideo exiſtimamus Deum tranſiuiſse ſpatium infinitum; imaginatio tamen eſt falſa.

70 Ad ſecundam rationem reſpondetur eam procedere ex eadem falſa imaginatione, quod Deus per infinitum tēpus quieuerit, & fuerit otioſus. Diximus enim non præfuiſſe tempus ante creationem rerum; ſed cum illis creatum fuiſſe; Deum autem ſemper in ſeipſo fuiſſe, nec vllum tempus, nec motum extitiſſe in ipſo, ſed tempus, & motum extra ipſum Deum creatum fuiſſe, & infixum fuiſſe rebus creatis, cum quibus ipſum motum & tempus creauit; Ideo Aduerſarij, & Ariſtoteles ipſe decepti ſunt per hanc imaginationem: quia extra res iſtas temporales, & corporeas poſuit motum, & tempus, & imaginatus eſt Deum & exiſtentiam Dei illis menſurari, ſicut res corporeę eo menſurantur. Quæ imaginatio eſt falſa etiam ſecundum doctrinam eius: quia ablatis rebus corporalibus mutabilibus non adeſt tempus vllum, nec duratio diuerſa ab exiſtentia, & eſſentia Dei, & rei ſpiritualis æternæ: motus enim eſt paſſio corporum naturalium non Dei, & ſubſtantiarum abſtractarum. Exemplum illud Ariſtotelis de his qui dormierunt in Sardo rem explicat ſi attentè conſideretur. Nam ſi imaginemur motum non eſſe, cognoſcemus quod nemo ſeneſcet, nec veteraſcet, nec in re vlla ſucceſſio erit, ſed ſimpliciter permanens erit; & ſic nullum erit tempus: quia tempus non eſt ſine motu, & ſucceſſione, neque ſine priori & poſteriori: Ad propoſitum ergo ſi imaginemur Deum ſemper eſſe ſine vllo motu, in illo non erit ſucceſſio, nec prius, nec poſterius, & conſequenter nullum tempus; ſed motus ſucceſſio, & tempus erunt extra Deum in rebus corporeis creatis tantū; Non ergo valet argumentare ſic. In rebus temporalibus eſt prius, & poſterius, & tempus, ergo eſt quoque in Deo; eſt enim fallacia, quia ſit tranſitus à rebus corporalibus, in quibus eſt motus, ad ſpiritualia & permanentia in quibus non eſt motus, & conſequenter non eſt prius, nec poſterius, nec tempus. Ex hoc ergo patet illam propoſitionem eſſe

Ad ſecundā rationem.

eſſe vanam; quod nos ponamus Deum per infinitum tempus quieuiſſe, & poſtea quaſi à ſomno excitatus cęperit operari: quia in Deo nulla eſt inceptio, quia in eo non eſt prius nec poſterius, iſtę enim ſunt paſſiones temporis; tempus autem non eſt in Deo; quia in Deo non eſt motus, cum motus ſit paſſio corporis naturalis. Et certè ſi quis conſideret hanc ſolutionem, & abſtrahat à Deo motum, vt neceſſe eſt ſecundum omnes abſtrahere, facile diſcernet deceptionem Ariſt. & eorum qui tenent Mundi æternitatem; & rationes pro illa in hac falſa imaginatione fundari: ponunt enim tempus, prius & poſterius, in quo tamen non cadit, cum ſit numerus motus, & non ſit ſine motu, qui tamen motus non eſt in Deo vt dictum eſt.

Ad tertiam. 71 Ad tertiam. Reſpondetur hanc rationem conſtare ex duabus propoſitionibus, quarum vna eſt verè Platonica, & eſt iſta; Quod Mũdus ſit factus ad exemplum ſeu ad imitationem ideæ Mundi, quæ eſt æterna. Secunda eſt ipſorum Platonicorum, quam tamen multi negant eſſe Platonis, & eſt hæc; Quod eſſentia, vis, & natura ideæ & exempli Mundi ſit, vt ſecundum eſſentiã, ſit exemplum: patet autem quod prima propoſitio eſt valdè dubia: eam enim vt falſam reijcit Ariſtot. vt patet pluribus in locis, vbi ideas iſtas Platonis inſequitur, & rationibus reuera efficacibus, & proinde hæc ratio falſo innititur fundamento. Præterea, dato quod ideæ Platonis admittantur, falſa eſt ſecunda propoſitio, quod eſſentia, & vis idearum ſit vt ſint exẽplum. Nam ſecundum Platonem ideæ ſunt ſubſtantiæ, immo maxime ſubſtantiæ, quia ſunt æternæ; ſubſtantiæ autem iſtæ generabiles, & corruptibiles ſunt vmbrę ſubſtantiarũ; patet autem id quod eſt ſecundum ſe ſubſtantiam, & eſſentiam non poſſe eſſe ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam exemplum; quia exemplum eſt relatio, quod eſt in diuerſo prædicamento à ſubſtantia: Et ſic ruit conſequentia Procli, & Platonicorum; quod Mundus ex eo quod eſt vi, & natura ſua exemplum ſequatur Mundum debere ſemper ei coexiſtere, & conſequenter ſi exemplum eſt æternum Mundum quoque debere eſſe æternum. Tandem admiſſo, quod ideæ ſint ſecundum ſuam rationem exemplaria, non tamen ſequitur, quod ſi exemplum ſeu idea ſit æterna, imago eius quoque ſit æterna. Nam verum eſt quidem, quod ſi imago, & ideatum eſt, ſequi prototipum, & ideam eſſe: at non ſequitur, eſt idea & prototipus; ergo imago illius eſt. Adeſt enim idea domus in mente artificis, antequam domus ſit, & ſic de alijs. Vnde vana eſt hæc ratio.

Ad quartã. 72 Ad quartam. Hæc ratio, quàm ſit abſurda ex eo patet, quia ſi concluderet, ſequeretur debuiſſe Deum facere lapides, arbores, animalia, bruta ſibi ſimilia, ideſt intellectualia, beata, immortalia, & ſimilia: nã eſſent ſic ſimiliora Deo, quàm modò ſint: hoc autem quàm vanum

num ſit,nemo eſt, qui non videat; dicendum eſt ergo quod cum Deus ſit bonus, debuit facere creaturas modo congruenti ipſis creaturis, non autem ſimiles omnino ſibi. Ratio eſt, quia ſicut Dei eſſentia eſt diuerſa à creaturis; ita conditiones, & attributa creaturarum debent eſſe diuerſa. Cum ergo Deus ſit æternus, & infinitus ſecundum eſſentiam, creaturæ debent eſſe temporales, & finitæ; quia hoc congruit eorum naturæ.

73 Ad quintam quæ eſt Ariſt. 8. Phyſicorum hæc ratio procedit ex ſuppoſitione diffinitionis motus vt patet: ſupponit enim Ariſt. quod omnis motus ſit actus mobilis in quantum mobile; & ex hac ſuppoſitione deducit aliam ſuppoſitionem, quæ eſt quod in omni motu præſupponitur nedum mouens, ſed etiam mobile, quod tranſeat de potentia ad actum: Ex hoc enim deducit, quod ante primum motum, ſit alius prior motus ſcilicet ille, quo mobile primum moueatur; & ſic in infinitum: falſum eſt autem quod hæc diffinitio competat omni motui, accipiendo motum largo modo ſcilicet pro productione alicuius rei: datur enim aliud genus motus, ſeu mutationis, quo aliquid producitur in eſſe totaliter abſque eo, quod tranſeat à potentia in ſubiecto ad actum; ſeu in quo præſupponatur mobile quoad aliquid, & quo ad aliud ſit in potentia; ſiue quod ſit partim actu, partim potentia: datur enim emanatio, quæ eſt modus producendi res ſecundum totale eſſe nullo præſuppoſito ſubiecto potentiali. *Ad quintã.* *Motus & emanatio diuerſa ſunt.*

74 Quod autem talis emanatio detur, probatur etiam ſecundum Ariſt. (nam ſecundum Theologos ipſam dari nulli dubium eſt) quoniam Ariſtot. ponit duplicem actionem, alteram imperfectam, & hæc eſt motus. Vnde diffinitur. *motus eſt actus entis in potentia ſecundum quod huiuſmodi.* Alia eſt actio perfecta ſcilicet qua totum omninò de repente, & in inſtanti abſque vlla mutatione facta in ſubiecto aliquid fit. Huius generis ſunt illuminatio; item actio ſenſus, vt viſio; item actus intellectus, vt productio intellectionis: iſta enim fiunt in inſtanti; ideo tota ſimul producuntur, neque vllum iſtorum prius eſt partim in potentia, & partim in actu, ſed tota ſimul producuntur. Nam ex. gr. viſio ipſa, qua Petrũ mihi de repente oblatum ante oculos video, non eſt diuiſa, vt ex parte ſit potentia, & ex parte actu; ita quod ex ea parte, qua ſit potentia tranſeat ad actum, ſicut cum Sortes ex calido fit frigidus, iam eſt actu homo, & actu calidus, ſed potentia frigidus, & à potentia frigido tranſit ad frigidum actu; nam viſio tota actu fit. *Emanationẽ eſſe diſtinctã à motu propriè accepto probatur.*

75 Confirmatur. Quia cum dicitur in diffinitione motus, motus eſt actus entis in potentia, ibi potentia accipitur paſſiuè; illud enim mouetur, quod eſt in potentia paſſiua ad actum; ergo quod producitur abſque eo quod ſit in potentia paſſiua, ſiue abſque eo quod ſit ſubie-

ctum aliquod receptiuum formæ alicuius, neceſſariò alia actione producitur, quàm per motum; ſic eſt illuminatio: illa enim eſt tota ſimul, & tota ſimul producitur in corpus diaphanum; ſic viſio; ſic intellectio, cum ſint formæ ſimplices, quæ non conſtant ex ſubiecto, & forma aliqua; ergo earum productio non eſt motus, ſed alius, qui dicitur emanatio.

76 Confirmatur. Quia vulgata eſt illa diſtinctio de potentia remota, & potentia proxima: ſciens antequam recipiat habitum ſcientiæ eſt in potentia ad actum ſciendi, ſed remotè: quando autem eſt iam in habitu factus, eſt in potentia proxima ad exeundum in actum; productio habitus, ſeu progreſſio à potētia ad habitum primo, eſt motus, quia ſciens recipiendo habitum ſcientiæ mutatur, & tranſit de potentia ad actum; at ex habitu exire in actum ſpeculandi non eſt motus, quia non eſt vlla mutatio in aliquo ſubiecto ex quo educatur actus, ſed eſt abſoluta, & totalis productio actus ipſius intelligendi; datur ergo aliud genus actionis productiuæ diuerſum à motu: Vnde Ariſt. 2. de Anima tex. 35. & 36. apertè dicit quod actio, quà quis à potentia remota tranſit ad habitum, eſt actio vno modo; Actio verò qua quis ex habitu exit in actum primum eſt actio alio modo: quia prima eſt motus, & alteratio quædam, ſecunda verò nequaquam. Et redit rationem, quia non tranſit à contrario ad contrarium. Vnde tex. 58. concludit his verbis. *quo circa non rectè ſe habet dicere ſapientem, cum ſapit alterari, ſicut nec ædificatorem, cum ędificat*. Et denique concludit eſſe duas ſpecies actionis, qua quis à potentia tranſit ad habitum, & qua ab habitu tranſit ad actum, & ſecundam non eſſe alterationem, neque motum, ſed primam.

77 Ex hoc ergo concluditur poſſe Deū producere Mundum abſque aliquo motu; atque in primo motu nō requiri mobile pręexiſtens, quod per motum priorem fiat, poteſt enim illud mouens per aliam actionem, quæ non ſit motus, producere. Vnde ſicut nos facti in habitu producimus intellectionem, quę eſt entitas realis, licèt ſit accidens, ita non eſt inconueniens dicere, quod Deus abſque motu potuerit per ſuam voluntatem producere Cœlum, materiam primam, & tempus, quæ ſunt prima entia mobilia, & Mundum ipſum.

Ad ſextam. 78 Ad ſextam. Ratio illa ſupponit quod agens primum agat per motum, quæ iam reiecta eſt. Secundò, aſſumit quod omne agens agendo moueatur, & mutetur: inquit enim quod non poteſt agere niſi ſit diſpoſitum; debet ergo diſponi, & ſic ſi prius non agebat, & poſtea agit neceſſariò, diſponitur, & mutatur. At hæc propoſitio eſt falſa, quod omne agens, quod prius non agebat, & poſtea agit, mutetur; quoniam iam ipſe Ariſt. dixit quod ſciens exiſtens in habitu, & exiens

in actum

in actum,non mutatur;quia non alteratur; ergo ex ipſo Ariſt.propoſitio aſſumpta eſt falſa. Præterea ratio ipſa id manifeſtat: cum enim qui eſt in habitu,& exit in actum,vt cum ædificator ædificat,mutatio eſt in re extra ſcilicet in re quæ producitur, vt in domo, quæ de non eſſe ad eſſe tranſit & in intellectione, & ſenſatione, quæ de non eſſe tranſit ad eſſe;mutatio ergo tota eſt ex parte rei productæ;alioquin,ſi eſſet in agente, agens agendo pateretur, quod eſt ridiculum; ſic ergo Deus cum aliquid producit ad extra ſe, tota mutatio eſt ex parte rei productæ, non in ipſo producente.

79 Quod ſi quis dicat, mutatur, quia haberet modò vnum velle, modò aliud, & quandoque vellet, & quandoque nollet, quod eſt mutari,patebit ex reſponſione ad octauum argumentum.

Ad ſeptimam reſpondetur conſiſtere in duabus propoſitionibus. Prima eſt. Illud eſt agens actu, quod actu agit; quod ſi actu non agit eſt agens tantum in potentia; & ſimiliter duplex eſt actus, primus,& ſecundus. Secunda. Quod eſt agens in potentia non poteſt fieri agens actu, niſi ab alio deducatur ad actum. Prima autem propoſitio eſt diſtinguenda. Nam duobus modis aliquid eſt in potentia,vt ſupra dicebamus ſcilicet in potentia remota, & in potentia proxima. Quod eſt in potentia remota, & non in habitu, nec in actu primo vt homo antequam acquirat ſcientiam non poteſt deduci ad potentiam proximam, & ad habitum, & ad actum primum niſi ab alio agente eum mouente,ſed qui eſt in potentia proxima, & in habitu, ſeu in actu primo poteſt exire in actum abſque eo, quod ab alio deducatur ad actũ, vt ſuperiori reſponſione diximus.Nam cum habens ſcientiam deſcendit in actum ſpeculandi non mutatur;nec ædificator,cum exit in actũ ædificandi, mutatur; ideo ſecunda propoſitio eſt falſa de potentia proxima, vera de potentia remota. Ex hoc etiam habetur non eſse neceſsarium,quod agens exiſtens in habitu, ſeu in actu primo ſimul ſit in actu ſecundo, & operetur; nam ſciens habens habitum ſcientiæ nõ ſemper ſpeculatur; nec ædificator ſemper actu ædificat: ideo non eſt inconueniens,quod Deus ab æterno ſit opifex actu primo,ſeu in habitu,& poſſit operari quando vult, & tamen non exeat in actum ſecundum niſi quando ſibi placeat; & in exeundo in actum ſecundum non eſt neceſſe, quod mutetur, ſicut nec ſciens exiens in actum ſpeculandi mutatur, vt vidimus ſupra.

Ad ſeptimã.

Duobus modis al.q.d eſt in potentia.

80 Ad octauam reſpondetur ex eodem fundamento, qui enim ab actu primo tranſit ad actum ſecundum ſiue à potentia proxima tranſit ad actum non mutatur,vt exemplis ſupra manifeſtauimus: & ratio docet,quia exiſtens in habitu exit in actum ſecundum immediatè ſine vllo tempore intermedio, & producit actum; ergo in illo medio cum

Ad octauã.

non ſit tempus non poteſt eſse motus; non ergo agens hoc modo operans mutatur; quia in ſe nullam formam nouam recipit, ſed nouitas eſt extra in re producta. Deus enim ſua voluntate omnia producit, quæ eſt ex ſe in actu primo nullo alio indigens; neque enim eſt vt artifices creati, qui non poſſunt operari, niſi mediantibus inſtrumentis, ideo in tempore operantur.

Quare Deus creãdo de nouo non mutatur. 81 Quod ſi dicas prius voluit creare, deinde creauit; ergo mutatus eſt, ſi in tempore creauit, & non prius. Reſpondetur. Si hæc ratio valeret, ſequeretur Deum continuo mutari: quia res eaſdem aliquando vult, vt cum homines particulares ſunt; aliquando non vult, vt cum deſinunt eſſe per mortem; item concurrit cum cauſis ſecundis influendo in illas; cum ergo illæ continuò mutẽtur, mutabitur quoque Deus. Nec valet dicere id efficit cum cęlo, & cauſis ſecundis, quia licèt hoc ſit verum, tamen magis Deus influit, quàm cauſę ſecundæ in res ipſas: Hoc autem eſt abſurdum; ergo dicendum quod Deus antiqua voluntate quæcunque vult, voluit ab æterno, non quidem pro æterno, ſed pro diuerſis partibus temporis. Vide in 2. ſent. diſp. 3. num. 3.

Ad nonam. 82 Ad nonam multa diſputant Ioannes Grammaticus, & Simplicius 8. Phyſicorum, an hæc ratio cõcludat, ſed illis dimiſſis, facilè eius imbecillitas ſic demonſtratur. Ratio conſtat ex duabus propoſitionibus, vt diximus. Prima conceditur ſcilicet quod motus, & tempus ſint connexa. Secunda autem eſt falſa, & petit principium. Qui enim dicunt tempus eſſe creatum, ſeu genitum cum cœlo, vt Plato teſte Ariſtotele ipſo in 8. Phyſic. tex. 10. ni fallor, negaret durationem omnem conſtare ex priori, & poſteriori. Nam antequam tempus crearetur, non erat tempus; ergo in illo inſtanti quo creatum fuit, non fuit verũ dicere tempus prius fuit; quia tempus non erat. Vnde licèt quis dicat, tunc fuiſſe prius, quia verum fuiſſet dicere, in illo priori antequã crearetur, erat prius, ergo erat tempus, hoc nihil eſt; quia illud prius non eſt tempus verum, ſed imaginarium, ſicut cum dicimus extra cœlum nihil eſt, illud extra ſignificat ibi eſſe locum, & tamen reuera extra cęlum nullus eſt locus. Hæc ergo ratio non concludit ante creationem temporis eſſe prius, & tempus verum, ſed imaginarium, & ſic ratio in falſa imaginatione fundatur.

Aliorũ declaratio prædictæ reſponſionis. 83 Sed id quod decipit in hac ratione eſt vt alij explicant communi modo loquendi ſe accomodantes; quia duplex eſt tempus, ſcilicet, naſcens, & ſubſecutum in tempore creato, & ſubſequuto eſt prius, & poſterius non in tempore naſcente; nos autem abſolutè imaginamur non poſſe eſſe prius, & poſterius niſi ſit tempus: hoc autem eſt falſum in tempore naſcente. Ratio enim, propter quam in tempore eſt prius, & poſterius, eſt, quia tempus eſt connexus motui, quia eſt numerus motus

Digitized by Google

motus, vt ſupra dictum eſt, & quia in motu eſt prius, & poſterius, ideo etiam in tempore ponimus prius, & poſterius. At ſi ſeiũgamus motum à tempore, in tempore non cernemus prius, & poſterius: tota hæc doctrina deſumitur ex Ariſt. vt ſupra diximus. Nam 4. Phyſicorum dixit, quod ſine motu non percipitur tempus. exemplum eſt de ijs, qui dormierunt in Sardo quingentis annis: quia enim non perceperũt motum ideo neque nouerunt tempus; falſum eſt ergo abſolutè prius, & poſterius eſſe differentias temporis proprias, ita quod vbi eſt prius, & poſterius neceſſariò ibi ſit tempus. Et conſequenter eſt falſum quod valeat hæc conſequentia. Si motus eſt creatus; ergo prius non erat; ergo in illo priori erat tempus, quia prius eſt pars temporis: quia illud prius non eſt pars temporis naſcentis, ſed ſubſequuti, & licèt dicatur ante tempus natum erat prius, illud prius eſt quid imaginarium: cum enim non eſſet motus, neque verè poterat eſſe prius, & poſterius, quia hæc habet tempus à motu. Fit ergo tranſitus à tempore ſubſecuto quod eſt iſtud tempus noſtrum connexum motui ad têpus naſcens, ſiue ad inceptionem temporis, quæ eſt extra motum verum.

Exemplo res declaratur. Si quis ſtans in ripa fluminis videns aquã continuo fluentem, ſic argueret. Aqua iſta, quam nunc oculis meis video eſt media inter aquam præteritam, & futuram; ergo aqua iſta fluminis huius conſtat ex aqua præterita, & futura; ergo flumen iſtud nõ habet principium; Certè hæc argumentatio eſſet nulla: quia patet, quod etſi aqua illa conſtet ex aqua præterita, & futura: tamen non ſequitur illam non habere principium. Vnde ergo oritur hæc fallacia? oritur ex hoc; quia ille imaginatur quod eo modo, quo aqua ſe habet in proſpectu oculi ſui, ſic ſe habeat in toto flumine; hoc tamen eſt falſum: quia ſi progrediatur ad principium à quo oritur flumen videbit aquam habere principium, & futurum, ſed nullam præteritam; quia aqua ibi incipit. Ita tempus iſtud, quoniam creatum eſt cum cęlo, & Mundo, habuit principium, ſed apud nos, qui ſumus in fluxu illius, nec videmus eius principium, dicimus tempus habere prius, & poſterius, & ſemper ante primum tempus fuiſſe aliud prius ſic in infinitum. & ſic patet quod ratio Ariſtotelis, quam putabat demonſtrationem eſſe nullius momenti.

84 Per hoc idem reſpondetur ad confirmationem de nunc. Concedimus, quod tempus non poteſt eſſe ſine nunc; ſed ſecunda propoſitio, quod nunc ſit finis præteriti, & principium futuri, & quod ideo non poſſit eſſe nunc quin ſit finis præteriti, eſt falſa. Patet eodem exemplo. Nam licèt aqua fluminis præſens oculis mei ſedentis in ripa fluminis ſic ſe habeat, quod eſt finis præteritæ, & principium futuræ, tamen hoc non eſt verum de omni aqua fluminis: nam aqua, quæ à *Ad confirmationẽ quę eſt 10. ratio.*

R 3 prin-

principio fluminis oritur, eſt tantum principium futuræ aquæ, non autem finis præteritæ; quia nulla aqua ante erat producta.

Ad 11. 85 Ad vndecimam, poſſent multa afferri, ſed hoc ſufficiat, quod licèt Cœlum non conſtet ex contrarijs, neque extra ſe contrarium aliquod habeat à quo corrumpatur; non tamen ſequitur ex ſe ipſo eſſe incorruptibile abſolutè. Ratio eſt, quia conſtat ex finitis viribus, & proinde niſi à virtute infinita conſeruaretur, deficeret. Quam ſententiam tenet Proclus ipſe in eo opere, quod inſcribitur, Obſeruationes eorum, in quibus Platonis Timeo contradixit Ariſt. Plato enim dixit Mundum ipſum, & Cœlum eſſe corruptibile, quia eſt genitum, Ariſt. autem probauit eſſe incorruptibile, quia non conſtat ex contrarijs, nec habet contrarium; quidquid autem fit, & corrumpitur à contrario fieri dixit. Quæ propoſitio eſt inſufficiens ſecundum Proclum, & Platonem: quia quod eſt finitum, etſi nullum habeat contrarium propter vires finitas eſt corruptibile.

Ad 12. 86 Ad duodecimam, multa dicit Ioannes Grammaticus contra Proclum argumento 9. & 11. vt hoc argumentum diſſoluat, breuiter dicimus falſam eſſe illam propoſitionem, quidquid gignitur ex ſubiecto aliquo gignitur. Omitto illas rationes, quod natura eſt præſtantior arte, ideo cum natura minus præſupponat in productione rerum, quam faciat ars; ars enim præſupponit compoſitum perfectum in quod inducit formam artificiatam; natura autem præſupponit ſolum materiam informem; ergo Deus nullum ſubiectum præſupponere debet; ideo quæ à Deo immediatè producuntur, non eſt neceſſe, vt ex alio ſubiecto fiant. Omitto etiam aliam rationem, quæ eſt ſatis euidens, neque ita facilè diſſolui poteſt; formæ continuò producuntur in materia, & corrũpuntur, nec tamen ex aliquo ſubiecto fiunt. Nam non fiunt ex materia; quia materia non conuertitur in formas, ſed ipſa incorruptibilis manet ſecundum Ariſt. neque ipſæ formæ componuntur ex materia; quia ſunt ſimplices; ergo ex nihilo producuntur licèt in materia ab efficiente.

87 Sed ratio principalis eſt: quia fundamentum illius propoſitionis eſt vanum. Nam eius fundamentum eſt, quod in hac continua generatione videmus, quidquid generatur ex alio generari non autem ex nihilo: hoc autem fundamentum non eſt idoneum ad probandum vniuerſaliter quidquid gignitur ex alio generari: Quia aliud eſt loqui de generationibus continuis compoſitorum ex materia, & aliud loqui de productione materiæ. Verùm eſt quidem continuam generationem fieri ex alio: at non ſequitur ob hoc quod materia prima ſi fieret deberet fieri ex alia materia: quod declaratur exemplo. Ex auro nunc fiunt diuerſæ res artificiales, & generatio vnius eſt corruptio alterius,

terius, & eadem materia auri ſemper eadem manet: tamen non ſequitur ex hoc, quod compoſita omnia ex auro fiunt ex auro alio, & quod cum aurum ipſum generatur fiat ex auro alio; vel quod ipſum ſit ingenerabile: patet enim quod gignitur, & non gignitur ex auro, ſed ex non auro, ac perinde quaſi ex nihilo; quia id, ex quo fit, non eſt aurum. ergo licèt compoſita, quæ fiunt ex materia, ſemper ex alio gignantur; non tamen ſequitur, quod ſi materia prima generaretur, illa fieret ex alia materia, ſed ipſa fieret ex non materia, & conſequenter ex nihilo. Et fundamentum huius rationis eſt, quia hæc eſt veriſſima, nihil fit ex ſe ipſo, ſed ex contrario: domus ex non domo &c. ergo ſi materia gigneretur, non gigneretur ex materia, ſed ex non materia: non materia autem eſt idem quod nihil.

88 Confirmatur. Quia Mundus à Deo conſeruatur, conſeruatio eſt continua productio rei conſeruatæ in eſſe. ergo ſi omne quod fit ex alio fit, neceſſe eſt, quod Mundus continuò fiat ex alio, ſeu ex alia materia; quod eſt abſurdum: quia tunc materia prima, ex qua conſtat Mundus, non eſſet ingenerabilis, & incorruptibilis, ſed illa continuo fieret, & corrumperetur ex alio in aliud.

Accedit, quod modus producendi per emanationem, non requirit materiam ex qua quid educatur; datur autem hic modus producendi res, vt ſupra vidimus; ergo non eſt neceſſarium, quod quidquid fit ex alio fiat, vt intellectio, viſio, illuminatio, &c.

89 Ad tertiamdecimam iam dictum eſt oppoſitum eſſe verum. *Ad* 13. Tex. 22. ſecundũ Auerroem.
nam Barbari, ſeu Ægyptij, & Babylonij quos Simplicius 1. de Cœlo, com. 28. aſſerit à quinque millibus annis obſeruaſſe, eoſdem eſſe motus cœlorum, neque vnquam aliquod aſtrum corruptum, vel genitum eſſe, &c. concludit quidem cœlum eſſe incorruptibile actu: at nõ concludit fuiſſe ſic à Deo creatum, vt non corrumpatur à principio, neque concludit quod ex ſe ſit incorruptibile: oſtendimus enim ſupra omnes antiquos vſque ad Platonem aſſeruiſſe Mundum voluntate diuina creatum eſſe, ex ſe quidem corruptibile, & voluntate ſua tamen incorruptibile manere.

90 Ad quartamdecimam patet reſponſio ex dictis ſupra ad quartam. *Ad* 14.
Dictum eſt enim diffinitionem illam motus traditam ab Ariſt. 3. Phyſic. motus eſt actus mobilis, non continere omnia genera mutationis, & motus accipiendo motum large pro omni actione productiua; ſiquidem datur productio per emanationem, etiam ſecũdum Ariſtotelem, per quàm multa entia producũtur in eſſe; huiuſmodi potuit eſſe prima productio Mundi à Deo: ideo Deus potuit pro libito in tempore producere primum mobile, & Mundum. *Reſponſio cõfirmatur ratione.*

Quod præter rationes ſupra in reſponſione ad quartam adductas

probo adhuc ex Ariſt. Nam 1. de generatione tex. 14. poſtquam aſſignauit cauſam efficientem per motum, & mutationem, ſeu ex ſubiecta materia, dixit pertinere ad primum Philoſophũ ſcilicet ad Meta. diſtinguere de immobili principio; ergo ex Ariſt. principium efficiens immobile non eſt vnius rationis tantũ; ergo præter principium agens per motum debet dari aliud principium efficiens de quo tractari debet Metaphyſ. hoc non poteſt eſſe aliud niſi principium efficiens per modum emanationis. de hoc vide Theorem. 56. cap. 6.

Efficiens ex Ariſt. eſt duplicis generis, aliud per motũ, aliud per emanationem.

Ad 15. 91 Ad quintamdecimam reſpondetur Ioannem Grammaticum contra Proclum in confutatione 13. argumenti enixè probare, cęlum ex ſententia Platonis non eſſe quintam eſſentiam, ſed conſtare ex elementis. Sed hoc dimiſſo, quia Ariſtoteles proculdubio hoc aſſeruit. Reſpondetur verum eſſe generationem per motum, & mutationem, quæ contingit in his ſublunaribus fieri ex elementis, & in his generationem omnem eſſe ex elementis, vel eſſe elementorum. At iam nos diximus dari aliud genus productionis rerum, quam per generationẽ ſcilicet per emanationem, ſeu ſimplicem productionem rei in eſſe, & non ex alio, vt ſupra ad quartam oſtenſum eſt ex Ariſt. multis alijs in locis; ideo nõ eſt vera vniuerſaliter illa propoſitio Ariſtotelis nullam eſſe generationem ſine ſenſibilibus corporibus, vt dictum eſt.

Ad 16. 92 Ad ſextamdecimã patet ex eodem fundamento, procedit enim ex eodem principio ſcilicet quod non detur alius modus producendi res quàm per motum, & mutationem; oſtenſum eſt autem hoc eſſe falſum etiam in principijs Ariſtotelis, ideo reliquis cõceſſis, argumentum non concludit.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVARTA.

Vtrùm myſteria principalia fidei Chriſtianæ ſolo lumine naturali poſſint cognoſci, & cognita fuerint Gentilibus, & antiquis Philoſophis. Vbi oſtenditur omnem Philoſophiam à diuina reuelatione ortam eſſe, & ad poſteros, ſe ſemper magis, ac magis vitiatam, & corruptam deſcendiſſe; ex quo doctrina fidei magis roboratur.

Auctoritates ex antiquis Philoſophis, & Scriptoribus, quibus ipſos myſterium Trinitatis, & alia arcana fidei Chriſtianæ nouiſſe videntur. Caput Primum.

QVicunque perſcrutari voluerit Philoſophias, ſeu doctrinas antiquorum Philoſophorum, & Scriptorum Gentilium, certè inueniet pronunciata non pauca, quæ ita propè accedunt ad fidem noſtram Chriſtianam, vt meritò iudicare poſſit, myſteria noſtræ fidei præcipua etiam Trinitatis, non omninò illos latuiſſe, ſed immò nouiſſe, & deprędicaſſe, licèt procedentibus temporibus magis huiuſmodi cognitio obſcurata ſit. Alexander Alenſis p.p. q.2. m.1.art.3. D.Thomas p.p. quæſt.32.art.1. & alij adducunt quædam teſtimonia ex antiquis, vt illum ex Triſmegiſto Dialogo 4. qui inſcribitur, Monas. *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflectit ardorem.* per quod videtur inſinuari generatio filij, & ſpiratio Spiritus ſancti: ego autem hoc non lego in Pimandro, neque in Monade, qui habetur in operibus Marſilij Ficini ſaltem ſub his verbis, ſed forſan habetur in alijs libris, quos plures compoſuiſſe Triſmegiſtum, fertur; ſed ad nos non peruenerunt. Alex. Alēſis.

Proferuntur etiam alia plura teſtimonia ab Eugubino in lib. perennis Philoſophiæ, quę difficilè eſt inuenire in his auctoribus quos citat, cum nec librum, nec caput citet, ego adducam aliqua, quæ in proprio fonte vidi, vt patebit, & alia ex Eugubino, & alijs ſubijciam.

2 In primis autem ſupponendum eſt, Antiquiores ſapientes fuiſſe Chaldæos, à quibus Hebræi (Hebræi enim ab Abraham venerunt, Abraham autem fuit Chaldæus) deinde Ægyptij, Phenices, tandem Græci, & nouiſſimè Romani nati ſunt; hoc enim poſteriores Plato, & Ariſtoteles fatentur ſcilicet ſapiētiam ab Ægyptijs ad Græcos deſcendiſſe, à Græcis deinde ad Latinos tranſiuiſſe clarum eſt. Princi-

pes

Digitized by Google

pes autem Chaldaicæ Sapientiæ fuerunt Magi, & Sapientes ipſorum, nimirum ij, qui res geſtas Regum ſcribebant, atque ſecretiora ipſorū nouerunt. Hi enim ſoli quandam cognitionem rerum diuinarum habuerunt, quam alij ignorabant, ſed ſimul cum iſta magicam artem, ſeu euocationem Dæmonum colebant, qua portenta mira edebant, & ideo in magna exiſtimatione habebantur apud homines. De numero horum fuiſſe Balaam ex Sacra ſcriptura habemus. Nam lib. Numeri cap. 22. habetur. Balac Regem Moab euocaſſe Balaam, ac ei promiſiſſe munera magna ad hoc vt malediceret populum Hebræum, putabat enim, Balaam ſua maledictione potuiſſe perdere populum.

Balaam fuit de numero Magorū Gentilium.

3 Hic autem, vt habetur ex Sacra ſcriptura ibidem, & ex D. Auguſtino ſerm. 103. de tempore, verum Deum cognouit, & eum adorauit, ac de Chriſto, & Meſſia venturo multa prophetauit, vt habetur eodem lib. cap. 23. & 24. & teſtatur D. Auguſt. eodem ſermone; & tñ magicæ arti incumbebat: quod etiam eſſet Chaldæus, elicitur ex eo, quod Moyſes vbi ſupra dixit, quod habitabat ſuper fluuium filiorum Amon, ideſt ſuper Eufratem, qui eſt in Chaldæa. De numero horum Magorum quoque fuit Zoroaſtres, ſeu Zoroaſter, & multo tempore præceſſit Balaam: hic enim fuit Rex Bactrianorum, vt teſtatur Euſebius lib. 10. de pręparatione Euangelica cap. 3. & D. Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 14. & artis magicæ perhibetur inuentor, quæ tamen ars magica nihil illi profuit, cum à Nino Rege Aſſiriorū, cum quo bellauit victus, & Regno ſpoliatus fuerit. Vixit autem tempore eodem cum Abraham, & ab ipſo cæteri Magi Chaldæi prodierunt. Ad propoſitum in dictis horum Magorum a Zoroaſte deſcendentium habetur hęc propoſitio relata ſincerè in ſcriptis Græcorum. *Omnia perfecit pater, ac menti tradidit ſecundæ, quam vocat primam omne hominum genus.* Ex hac propoſitione videtur elici eos voluiſſe innuere primam, & ſecundam perſonam Trinitatis. Primam enim aperte ponunt, dum vocant eam patrem, vt nos Theologi Chriſtiani eam appellamus; ponunt quoque ſecundam perſonam, & eam appellant mentem; dicunt enim patrem eſſe creatorem omnium; dicunt verò omnia tradidiſſe menti, quaſi vellent dicere Patrem omnia per mentem, & Verbum, qui eſt filius, creaſſe; quæ mens & filius reſpectu Patris dicitur ſecunda; quia eſt ſecunda perſona Deitatis à Patre producta; Reſpectu verò omnium aliarum rerum productarum tàm viſibilium, quàm inuiſibilium dicitur prima, quia eſt principium efficiens omnium illarum; & propter hoc dixerunt ab omnibus hominibus vocari primam; quia eſt principium, & fons omnium rerum. Subiungunt alij vt Numenius, hos Sapientes dixiſſe, omnes homines vocaſſe mentem primam, ſeu primum principium omnium rerum; quia ignorabant

Primus locus ex dictis Magorum Chaldęorū.

Numenius.

bant eam habere genitorem & Patrem. Ideo iſti Sapientes notificauerunt per hanc aſſertionem id quod homines communiter ignorabant, & ſolum Sapientes ſciebat ſcilicet mentem hanc, quæ eſt principium omnium rerum, habere genitorem Patrem; qui eidem menti ſecundæ tradidit omnia ideſt eandem poteſtatem, & vim, quam ipſe habet cõicauit, quod eſt illud, quod nos Theologi dicimus Patrem creare auctoritatiuè & à ſe, filium ſubauctoritatiuè & à Patre creare.

4 Confirmatur hanc fuiſſe veram aſſertionem Chaldæorum. Quia Philoſophi poſteriores Græcorum hanc aſſertionem in ſuis ſcriptis poſuerũt. Anaxagoras enim, Heſiodus, & alij, quos poſtea videbimus poſuerunt mentem eſſe principium omnium rerum; & denique Plato ipſe, qui eſt compendium antiquorum poſuit bonum eſſe primum, & mentem eſſe ſecundum principium: quod eſt ponere Deum Patrem eſſe primum, mentem ſeu Deum filium eſſe ſecundam perſonam; & ſic habemus Patrem, & filium in Diuinis, & Patrem generare filium, & communicare ei eandem potentiam, & conſequenter eandem eſſentiam, & ſic habemus hucuſque nouiſſe duas perſonas Trinitatis.

Secundus locus ex Sibyllæ cõfeſſione.

5 Aliud aſſertum valdè euidens, quod Gentiles non obſcuram, ſed claram cognitionem nedum Trinitatis, ſed Aduentus Chriſti habuerint, eſt aſſertum Sibyllæ Erithreæ (quæ ex ſerie Magorum Chaldęorum ipſa quoque fuit, & ex Euſebio in vita Cõſtantini vixit ſæculo. 6. à Diluuio, & ſecundum D. Auguſtinũ lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. eodem tempore vixit quo regnauit Oſeæ Rex Iſrael, & Romulus Romam ædificauit, quod fuit circa 6. ſæculum poſt Diluuium, quæ etiã Sibylla Babylonica dicitur, quia orta eſt Babyloniæ; de qua cum alijs Sibyllis ſermonem facit Lactantius Firmianus lib. 1. de falſa Religione cap. 6. vbi ex Marco Varrone de omnibus decem Sibyllis verba facit. Hæc Sibylla Erithrea in Carminibus ſuis multa clara protulit de Aduentu Chriſti, vt poſtea videbimus; ſed de generatione Verbi æterni poſtquã in ſuis Carminibus de Deo Patre a quo auſpicata fuerat principium Carminis plura dixiſſet, de Verbo profert hæc Carmina, quæ refert Lactantius lib. de falſa ſapientia cap. 5. Græcè, quæ Latinè ſit habent.

Lactantius Firmianus mentionẽ facit de Sibyllis.

Omnium nutritorem, creatoremque, qui dulcem ſpiritum omnibus
Appoſuit: ac principem omnium Deorum fecit
Eum dedit Deus fidelibus viris honorari
Ipſum tuum agnoſce Deum, qui Dei filius eſt.

Quibus Carminibus non obſcurè innuit Deum Patrem feciſſe, ſeu produxiſſe principem Deorum, qui cuncta aleret, & crearet, & daret dulcem vitam homini. At ſupra dixerat Deum Patrem omnia creaſſe; ergo conſtituit duos creatores; hoc autem eſſe non poteſt niſi intelli-

telli-

telligat eos eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, & eſſentiæ, & conſequenter non eſſe eſſentia diſtinctos, ſed ſolum perſonaliter, at eandem potentiam eſſe vtriuſque ſed à patre communicatam eſſe huic duci, & principi, & ſic eſt ac ſi fateretur hunc ducem eſſe filium Dei. Id ergo obſcure dixit, quod nos Theologi poſt reuelationem Euāgelij clare docemus. Diuus Auguſtinus in oratione lib. de quinque hæreſibus cap. 3. producit hoc aliud aſſertum ex Sibylla. *Alium dedit Deus filijs hominum colendum.* Ecce quod aperte fatetur reperiri alterum, qui ſit Deus, ſicut pater Deus, ergo agnouit patrem habere filium, qui ſit ipſe Deus, ac pater.

Sibylla eſt teſtis fidelis.

6 Obſeruandum eſt autem teſtimonia Sibyllarū eſſe fidelia: quia libros Sibyllinos compoſitos à Sibyllis fuiſſe eſt certiſſimum, atque illos ante Chriſti aduentum. Nam Diuus Auguſtinus eodem lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. apertè ait eos libros ſibi oſtenſos fuiſſe à clariſſimo viſo Flacciano, qui etiam Proconſul fuit, & homo facillimę facundiæ, multęque doctrinæ; qui cum aliquando D. Auguſtino colloqueretur de Chriſto, attulit Græcum codicem dicens eſſe carmina Sibyllæ Ærithreæ, & refert carmina ipſa è Græco in Latinum verſa, quæ infra adducemus. Et Lactantius Firmianus de falſa Religione cap. 6. de his libris habet hæc verba. *Omnes igitur hæ Sibyllæ vnum Deum prędicant, maximè tamen Æritbrea, quæ celebrior inter cęteras, ac nobilior habetur; ſiquidem Feneſtella diligentiſſimè ſcriptor de XV. viris dicens ait, reſtituto Capitolio retuliſſe in Senatum C. Curionem Conſulem, vt legati in Æritbream mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent: itaque miſſos eſſe P. Gabinum, M. Octocinium, L. Valerium, qui deſcriptos à priuatis verſus circa mille Romam deportarunt. In ijs ergo verſibus, quos legati Romam attulerunt de vno Deo hæc ſunt teſtimonia, &c.*

Teſtimoniū Ciceronis.

Cicero etiam lib. 2. de diuinatione mentionem facit de verſibus Sibyllæ: ſed quia in illis continetur quod cito naſciturus erat Rex Romanorum, quem ſi adoraſſent ab omni malo liberati fuiſſent, & ipſorum interpres quidam illud intellexit de Rege homine; Cicero deſpiciens hanc interpretationem, eo quia Romani non poterant audire, quod Rex temporalis eſſet dominaturus Romæ, protulit hæc verba. *Quorum inquit carminum interpres nuper falſa quadam hominum fama dicturus in Senatu, putatur eum, quem reuera Regem habebimus, appellandum eſſe Regem, ſi ſalui eſſe vellemus.*

Ciceronis teſtimoniū valde efficax: qa concordat cū D. Auguſtino quoad verſus Sibyllæ.

7 Verùm, quia Ciceronis teſtimonium eſt magni ponderis, & optimè deſcribit quinam eſſent verſus Sibylle, & cum D. Auguſtino maximè conuenit, & noſtram ſententiam mirificè confirmat, adduco totam ſententiam ex verbis ipſius Ciceronis. Diſputat ibi aduerſus diuinatores omninò contendens nullam eſſe diuinationem, & poſtquā diſpu-

Digitized by Google

diſputauit contra omnes alias ſpecies diuinationis Aruſpices, Fulguratores, Interpretes oſtentatorum, Augures, Sortilegos, Chaldæos, ſeu Aſtrologos, diſputare incipit contra vacinatores, & diuinatores. Vaticinium autem fiebat per Sibyllas Bacchas, & qui furore diuino inſtigati prædicebant futura, & habet hæc verba. *Quid verò habet auctoritatis furor iſte, quem diuinum vocatis, vt quæ Sapiens non videat, ea videat inſanus, & is qui humanos ſenſus amiſerit, diuinos aſſecutus ſit? Sibyllæ verſus obſeruamus, quos illa furens fudiſſe dicitur: quorum interpres nuper falſa quadam hominum fama, dicturus in Senatu putabatur, eum, quem reuera regem habebamus appellandum quoque eſſe regem, ſi ſalui eſſe vellemus. Hoc ſi eſt in libris, in quem hominem & in quod tempus eſt? callidè enim qui illa compoſuit perfecit, vt quodcunque accidiſſet, prædictũ videretur, hominum, & temporum definitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, vt iidem verſus aliàs in aliam rem poſſe accomodari viderentur; Non eſſe autem illud carmen furentis, cum ipſum poema declarat, (eſt enim magis artis, & diligentiæ, quàm incitationis & motus) tum verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis verſus litteris aliquid connectitur, vt in quibuſdam Ennianis.* Q. ENNIVS FECIT. *Id certè magis eſt attenti animi quàm furentis, atque in Sibyllinis ex primo verſu cuiuſque ſententiæ primis litteris illius ſententiæ carmen omne prætexitur. hoc Scriptoris eſt, non furentis; adhibentis diligentiam, non inſani. Quãobrem Sibyllam quidem ſepoſitam & conditam habeamus, vt, id quod proditum eſt à maioribus, iniuſſu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quàm ad ſuſcipiendas religiones: cum antiſtibus agamus, vt quiduis potius ex illis libris, quam regem proferant: quem Romæ poſthac, nec Dij, nec homines eſſe patientur.* Hæc Cicero. Cum ergo tam apertis teſtimonijs hi libri nitantur, non eſt dubium fuiſſe compoſitos ab his Sibyllis, quibus tribuuntur, quæ fuerunt mulieres fatidicæ, ſiue Sacerdotes Apollinis, & Deorum falſorum.

Notandum magni momenti.

Loquitur de illis verbis Ieſus Chrĩs filius Dei Saluator, de quibus infra nume. 42.

8 Adeſt etiam teſtimonium egregium Conſtantini Imperatoris in Oratione de Religione Chriſtiana, quem infra adducemus, cum ex eadem Sibylla adducemus alia, quæ de Chriſto Domino prædixit.

Teſtimoniũ Conſtantini Imperatoris.

9 Tertio loco ſit aſſertio, & confeſſio Sapientum Aegyptiorum, qui mirabiliter cum Chaldæis conſentiunt. Nam Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro in primo commentario, qui reperitur apud Marſilium Ficinum de Deo habet hæc verba. *Ait ergo Pimander lumen illud ego ſum mens, Deus tuus antiquior, quam natura humida, quæ ex vmbra effulſit, mentis verò germen lucens Dei filius.* Et paulò infra habet hæc alia verba. *Meus autem Deus vtriuſque ſexus fæcundiſſima fæcunditate pleniſſimus, vita, & lux cum verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atque ſpiritus numen.* D. Auguſt. libro de

Tertia auctoritas ex Aegyptijs, ſcilicet ex Triſmegiſto.

quinque

quinque hæreſibus cap.3. adducit ex Mercurio eodem libro Pimandro,qui eſt idem,quod de Verbo, ſeu Sapientia hæc verba. *Dominus omnium factor Deorum ſecundum fecit Dominum.* Et poſt pauca ſubiungit Mercurius. *Quoniam ergo hunc fecit primum,& ſolum,& vnum:bonus autem ei viſus eſt,& pleniſſimus omnium bonorum.* Ex his verbis habemus ita apertam confeſſionem productionis ſecundæ perſonæ Trinitatis,vt ferè nihil apertius habeatur in ſacris litteris. Hic enim habemus duas mentes ſicut Chriſtiani habent duas perſonas; habemus etiam quomodo mens prima generet ſecundam, quam dicit eſſe filiū Dei,quia ſe appellat lumen gignens,quod eſt illud,quod nos Chriſtiani dicimus cum Euangeliſta *lumen de lumine.* Et Paulus appellat Chriſtum candorem lucis æternæ.

Mercurius agnoſcit perſonam Spiritus ſancti.

10 Mercurius ibidem paulò infra tertiam perſonam, quæ eſt Spiritus ſanctus,ab vtraque mente Patre,& Filio productam explicat his verbis. *Mens autem Deus vtriuſque ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita, & lux cum verbo ſuo mentem alteram Opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atque ſpiritus numen.* Hic habemus primam mentem, quæ eſt lux cum ſuo verbo,quam germen mentis lucens ſupra appellauerat, & filium Dei dixerat, producere aliam mentem, quæ ignis, & ſpiritus eſt; quæ eſt tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis. Non eſt autem mirandum quod dicat mentem primam eſſe pleniſſimam fœcunditate vtriuſque ſexus,quaſi velit dicere,quod in Deo ſit ſexus maſculinus, & fœmininus; quia hoc dixit quaſi rem diuinam per exempla carnalia explicans. Nam nos hic videmus generationem oriri ex ſexu maſculino,& fœminino, nec ferè alio modo generationem fieri poſſe intelligimus; ideo vt oſtenderet in Deo eſſe fœcunditatem ad generandum,licèt alio longè diuerſo modo, quam hic apud creaturas, vſus eſt eo modo loquendi,quod Deus eſt pleniſſimus fœcunditate vtriuſque ſexus. Profert alia teſtimonia ex Mercurio Eugubinus in lib. 1. perennis Philoſ. cap.23.24.& alijs. Sed iſta in fonte ipſo inueni ego.

Prædicta teſtimonia verè eſſe ſcripta à Mercurio, non à poſterioribus conficta.

11 Non eſt autem vt aliquis dubitet hæc non eſſe ſcripta à Mercurio, ſed ab aliquibus poſterioribus conficta. Notiſſimum enim eſt doctrinam huius viri laudatiſſimam eſſe à tota antiquitate,atque eum propter admirabilem,& diuinam doctrinam appellatam fuiſſe ter maximum. Huius doctrinam ferè totam hauſit Plato, & in ſuis libris inſeruit. Vnde cum videmus Platonem aliqua ad noſtram Theologiam accedentia dicere non à Moyſe eum accepiſſe, ſed à Mercurio dicendum eſt. Iamblicus id teſtatur in principio ſui operis de myſterijs Ægyptiorum his verbis. *Ægyptij Scriptores omnia inuenta eſſe à Mercurio, ſuos libros Mercurio inſcribebant. Mercurius præeſt ſapientiæ, & eloquio. Pitagoras, Plato, Democritus, Eudoxus, & multi ad Sacerdotes*

Iamblici teſtimoniū de Mercurio.

dotes Ægyptios acceſſerunt. Dogmata huius libri ſunt Aſſiriorum, & Ægyptiorum ex columnis Mercurij. Pitagoras, & Plato didicerunt Philoſophiam ex columnis Mercurij ex Aegypto. Et confirmatur, quia Plato hæc ferè omnia dicta Mercurij in ſuis ſcriptis poſuit, vt infra videbimus, & in Philebo, & Phedro eum adeò comēdat, vt dicat propter eius ſapientiam habitum fuiſſe pro Deo, & quod ei ſacra eſſet auis Ibis. Eiuſque teſtimonio vtuntur Lactātius Firmianus ſępiſſimè, ſed præſertim libro de ira Dei cap. 11. his verbis. *Idem ait Hermes ſcilicet vnum ſolum eſſe Deum, quem Cicero ait in numero Deorum ab Aegyptijs haberi, eum ſcilicet, qui ob virtutem multarum artium ſcientiā Triſmegiſtus nominatus, & erat non modò Platone, verū etiā Pitagora, ſeptēq; illis Sapientibus longè antiquior.* Et D. Aug. lib. de quinque hęreſibus, vt ſup. dixi, honorificè vtitur eius teſtimonio aduerſus Paganos, qđ profectò nō faceret niſi ſciuiſſet eius auctoritatē eſſe autēticā.

Plato omnia ferè ex Mercurio accepit

Lactātij Firmiani teſtimonium de Mercurio.

D. Auguſt.

12 Quarto loco fit auctoritas Græcorum Sapientum. Ex his plures poſſunt adduci auctoritates quæ eodem modo procedunt, quo ſuperiores adductæ ex Chaldæis, & Aegyptijs de Deo, & mente ab eo genita; ex quibus ſemper magis confirmatur, eam doctrinam fuiſſe eorum Sapientum, ſiquidem ſemper à poſteris eorum diſcipulis repetitur. Primo loco fit Orphæus, quem D. Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum Manichęum cap. 18. ſupponit cū Sibylla, & Mercurio Triſmegiſto multa de Deo, & Verbo eius ſcripſiſſe, vt proinde non ſit dubitandum Orphæum hæc ſcripſiſſe, Hic habet hos verſus.

Quarta auctoritas ex Gręcis, et primò ex Orpheo.

Teſtimoniū Orphei.

Inque Dei verbum aſpiciens, huic ſemper adeſto.
Defigens animi altas luces, perge, viamque
Rectam, factoremque vnum nate aſpice Mundi,
Immortalem, quem patrum fert fama piorum
Vnum, perfectumque ſibi, tum perfici ab illo
Cætera, cumque illis verſari, non tamen vllis
Cerni animis hominum, ſed ſola mente videri.

Ecce Orphæum ſtatuentem Dei Verbum factorem vnum immortalem eſſe Mundi ex teſtimonio patrum piorum ſcilicet Triſmegiſti, & aliorum ſupra adductorum; atque hunc non cerni niſi animo, licèt ſit in omnibus rebus; & hunc eſſe ad orandum, & ſuſpiciendum. Et ruſus alijs Carminibus.

Te Cælum obteſtor ſapiens opus omnipotentis,
Vocem te Patris adiuro, quam protulit ipſe,
Primum conſilijs eius cum conſiſtit orbis.

Vocat hic ſecundam perſonam Trinitatis, & Dei filium, vocem, quod idem eſt quod Verbum, atque aſſerit Patrem per hoc Verbum, ſeu filium Mundum creaſſe.

Sed

Quintum teſtimoniū ex Platone, & ſectatoribus

13 Sed dimiſſis alijs auctoribus Græcis, quos longo ſermone refert Eugubinus in opere de perenni Philoſophia, accedamus ad Platonem, & eius ſectatores, qui diffusè de his myſterijs locuti ſunt, & quæ antiqui dixerunt ipſi repetiuerunt, licèt multa deinde falſa miſcuerint. Certum eſt Platonem poſuiſſe tres eſſe cauſas rerum æternarum ſcilicet bonum, mentem, & animam Mundi: hæc autem tria vidētur eſſe tres perſonæ in Deo, quas nos Chriſtiani aſſerimus, quod declaratur ſic. Nam Plato in Philebo diſputans de principijs rerum, & Mundi huius parum a principio in perſona Socratis habet hęc verba. *Omnes ſiquidem Sapientes ſe ſe extollentes conſentiunt intellectum eſſe cœli, terræque Regem, ac fortè rectè loquuntur; quod ſi vis hoc genus diffuſius examinabimus*. Reſpondet Protacchus. *Dic arbitratu tuo ò Socrates, nihil prolixitatem veritus, neque enim moleſtus eris*. & paulò infra Socrates exorditur his verbis. *Vtrum ò Protacche dicendum eſt Vniuerſum hoc agi ab irrationali, quadam temerariaque, & fortuita poteſtate. An cōtra quemadmodum maiores noſtri ſenſerunt, ordine quodā mentis, & ſapientiæ mirabilis gubernari?* Rn̄det Protacchus, & affirmat, ſentiendum eſſe cum maioribus Vniuerſum à mente, & ſapientia ordine quodam maximo regi, & gubernari, & qui aliter ſentiunt errare: Socrates ſubiungit. *Vis ne igitur, quod à priſcis aſſertum eſt nos item confiteamur? hæc videlicet ita ſeſe habere, nec modò putemus alia ſine periculo proferri non poſſe, verum etiam vnà cum illis vituperationis periculum ſubeamus, ſi quando cur aliquis durus ac vehemens iſta non ſcit, ſed ſine ordine fieri contenderit*. & reſpondens Protacchus his verbis. *Quid ni velim?* proſequitur Socrates his verbis. *Age igitur quod ſequitur contemplare*. Et deinde adducit rationes, quibus probat omnia fieri, & gubernari à mente, & ſapientia, atque ab anima Mundi, & tandem paulò poſt concludit in hæc verba. *Quamobrem rationem illam vlterius proſequentes licebit aſſerere ea quæ ſæpenumero prædicauimus. Infinitum prorſus in omni conſiſtere ſufficientemque terminum, cauſamque illis haud ignobilem ſemper adeſſe ornantem, diſponentemque horas, & menſes, & annos, mentem, & ſapientiam merito nuncupatam*. Reſpondet Protacchus. *Merito*. ſequitur Socrates. *Sapiētia vero atque mens abſque anima nunquam eſſent*. Reſpondet Protacchus. *Nunquam certè*. ſequitur Socrates. *ergo in Iouis ipſius natura regiam animam, regiamque mentem ineſſe propter vim cauſæ confiteberis; & in alijs item alia pulchra, vt illorum cuique dici placet*. Reſpondet Protacchus. *Maximè*. ſequitur Socrates. *Præcedentem ſermonem, ò Protacche nequaquam temere inductum putes; his enim qui olim mentem omni Mundo præſidere oſtenderunt adminicula præbet*. Reſpondet Protacchus. *præbet ſanè*. ſequitur Socrates. *Meę vero petitioni reſponſum porrigis, quod Mens eſt progenies*

Trinitas apud Platonem.

Diſcurſus Platonis de Deo factore & gubernatore Mundi.

Anima Mūdi eſt de natura Dei.

omnium

Digitized by Google

omnium cauſa, quæ vnum quidem ex quatuor his, quæ relata ſunt aſſeris, habes igitur iam noſtram expoſitionem. Ecce quod Plato apertè aſſerit mentem eſſe progeniem cauſæ omnium: cauſam autem omnium dixit eſse Iouem, ſeu Deum.

14 Vbi eſt obſeruandum aliquos Platonicos, qui dicunt ſecũdum Platonem mentem, & animam Mundi eſſe realiter ſeparatas à Deo, quod bonum infinitum, & prima cauſa à Platone vocatur, errare. Nam in verbis alatis aperte patet Socratem aſſerere mentem, & animam eſſe in ipſius Iouis natura. Verba enim Socratis ſunt iſta. *ergo in Iouis ipſius natura regiam animam, regiamque mentem ineſſe propter vim cauſæ confiteberis.* Si ergo ſunt in natura Iouis, non ſunt ab illo realiter diſtincta; licèt ergo Plato in multis differat à Theologis, quia multa falſa miſcuit, tamen in hoc conuenit, quod ponit in Deo mentem, & animam eiuſdem eſſentiæ, & naturæ cum Deo.

Auctor Academicarũ cõtemplationũ lib. 2. c. 1.

Mens & anima Mundi non ſunt realiter ſeparata à Deo, vt aliqui male putant.

15 Quod autem ait mentem eſſe vnum ex his quatuor, non vult ſignificare, quod in Deo ſint quatuor principia; ſed illud quartum intelligit de termino, ſeu vmbra Idearum, quam dicebat produci à mente, & ab anima Mundi in rebus ipſis, & eas in eſſe conſtituere quæ ob hanc cauſam dicitur principium rerum, ſed non eſt principium immortale, & incorruptibile, & æternum, ſed corruptibile veluti formæ apud Ariſtotelem, vt patet ex dictis à Platone ibidem paulò ſupra. Ex his habemus Platonem comprobare ea, quæ à Mercurio Zoroaſtre, & alijs antiquis dicta ſunt de mente, & ſpiritu in Deo.

Plato in multis conuenit cum Theologis, licèt multa falſa miſcuerit.

Plato approbat dicta à Mercurio Triſmegiſto, & aliis antiquis de Trinitate ĩ Deo.

16 Eandem ſententiam, quod mens producatur à Deo habet Plato in 7. de Rep. ferè in principio, licèt non ita clarè, vt in Philebo his verbis. *Nempè arbitror in ordine ipſo intelligibili boni ipſius ideam ſupremam exiſtere, vixque videri; ſi autem viſa fuerit, aſſerendum eam omnibus omnium rectorum, atque bonorum, cauſam eſſe: cum ipſa in loco viſibili lumen creauerit, & luminis auctorem; in ipſo verò intelligibili regnet ipſa, veritatemque & mentem protulerit.* Hic vides apertè Platonem aſſerere ideam boni in ipſo vero intelligibili, qui eſt Deus regnare, & producere veritatem, & mentem.

Aliud teſtimoniũ Platonis ex 7. de Rep.

17 Sed clarius teſtimonium videtur haberi in Epiſtola 2. ipſius Platonis, quæ eſt ad Dionyſium. Plato enim interrogatus à Dionyſio, vt ei explicet diſtinctè naturam Dei, reſpondet per quædam verba, quæ licèt ſint enigmatica, tamen ipſum Deum eſſe trinum oſtendunt. Verba Platonis ſunt hæc. *Illud autem precioſius, & diuinius de quo per illum me interrogas omninò ipſi eſt oſtendendum. Ais enim, vt ille fert, non ſufficienter tibi à me de prima natura demonſtratum fuiſſe. Dicendum eſt igitur nunc tibi per enigmata quædam, vt ſiquid huic tabellæ vel mari, vel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non valeat. eſt autem*

Aliud teſtimonium ex Epiſtola ad Dionyſium.

Trinitas apud Platonem.

ita. Circa omnium Regem cuncta ſunt; ipſius gratia omnia ſunt, ipſe pulchrorum omnium cauſa; circa ſecundum ſecunda; circa tertium tertia. & quia reuera verba iſta, quibus explicat diuinam naturam, quæ ſunt illa vltima, *circa omnium Regem, &c.* ſunt enigma quoddam, ſubiungit Plato. *Humanus animus affectat qualia illa ſint intelligere aſpiciens in ea, quæ ſibi cognata ſunt, quorum nihil ſufficienter ſe habet, ſed in Rege ipſo, & in his, quæ dixi nihil tale eſt. Quod autem poſt hoc eſt, animus dicit.* Quibus verbis vult ſignificare quod ex his ſenſibilibus non poſſumus venire in cognitionem illius enigmatis, & naturæ diuinæ, ſed ſolum per animi puri contemplationem. Verùm licèt hoc enigma ſit obſcurum, nihilominus hoc eſt clarum, quod ait in natura diuina eſſe tria, ſcilicet Regem ipſum; eſſe ſecundum; & eſſe tertium. Videtur autem velle, quod in rebus ſit triplex gradus. Primus eſt auctor, & cauſa rerum. Secundus eſt creatio earumdem rerum. Tertius eſt viuificatio, & ſuſtentatio earumdem. In primo gradu eſt Auctor, & cauſa prima & pater, cui principaliter, & fontaliter aſcribuntur omnia; quia eſt genitor mentis, quæ eſt opifex rerum earumdem; eſt primum eſſe, & prima origo, & prima dignitas. In ſecundo gradu eſt ſecundum eſſe, ſiue ſecundum exiſtens, quod eſt proles eius ſcilicet mens à qua eſt ſecunda origo, ſeu ſecunda exiſtentia rerum. In tertio gradu eſt tertium eſſe, ſeu tertium ſubſiſtens, quod eſt anima Mundi, tertiam rerum exiſtentiam ſuſtinens, ſeu viuificans res ipſas. Sunt ergo tres origines tanquam vna, tres habentes, ac ſuſtinentes rerum exiſtentia tãquam vnam. Cum ergo dicit *circa omnium Regem cuncta ſunt, ipſius gratia omnia ſunt, ipſe pulchrorum omnium cauſa*, Vult ſignificare, quod in Patre tanquam in prima cauſa eſt omnis virtus ſecundi, & tertij ideſt mentis, & animæ, ſeu ſpiritus; & eſt prima origo, & fons omnium. Cum dicit. *Circa ſecundum ſecunda*, eſt ac ſi dicat, circa mentem, & prolem creatricem & ſecunda rerum origo. Cum dicit circa tertium tertia. eſt ac ſi dicat circa animam eſt tertia origo, tertium eſſe. Et ſic vt patet videtur ſignificare id quod nos Theologi de diuinis perſonis dicimus, licèt obſcuro modo, neque cũ ea puritate, quã tenemus nos.

Confirmatio dictorum. 18 Hoc confirmatur: Quia ſpiritus Latinè eſt idem quod anima Græcè: Nam Anemos Græcè, idem eſt quod ventus; ſpiritus autem & ventus idem ſunt; ergo anima & ſpiritus idem ſunt. Quem ergo diuinæ ſcripturæ appellant ſpiritum, vt Moyſes in Geneſi, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, veteres dixere modò animam Mundi, modò ſpiritum. Habemus ergo Trinitatem apud Platonem.

Confirmatur ex Plotino, & Porphyrio. 19 Confirmatur hanc fuiſſe mentem Platonis ex ſuis ſectatoribus. Primò ſit Plotinus qui lib. de tribus rerum originibus ſic habet. *Bonum ideſt Pater gignit mentem, mens gignit animam.* Porphyrius exponens

nens quaſi Platonem, & Plotinum exponit omnia eſſe circa omnium Regem. Secundò, omnia eſſe circa Deum ex illo Rege. Tertiò, omnia eſſe circa Deum ex iſto. Vnde tres quaſi Deos, ſeu tria Numina demonſtrant, quæ alterum ex altero naſcantur.

20 Confirmatur ex Numenio adducto à Proclo ſuper Timeum. *Numenius celebrat, & laudat tres Deos, primumque vocat Patrem, ſecundum creatorem; ipſum Opificium ideſt Animam Mundi tertium.* Et in libro de tribus intelligentijs refert dictum hoc Amulij Platonici celeberrimi. *Amulius triplicem facit Opificem, & mentes tres, & Reges tres. Eum qui eſſe; eum qui habet; eum qui aſpicit: differunt autem hi quoniam Prima mens verè eſt: Secunda eſt quidem intellectuale quod eſt in ipſo; habet autem ante ſe, & participat omnino ipſum, & propter hoc eſt ſecunda: Tertia verò eſt quidem & ipſa quod in eo intellectuale; omnis enim mens conſociata intellectuali eadem eſt. Habet autem quod eſt in ſecundo, & videt primam. Quanto enim fit maior diſceſſus, tanto id quod habet eſt obſcurius.* Poſtquam hæc recitauit Proclus addit ipſe. *Has igitur tres mentes, & Opifices ſtatuit Amulius, & qui ſunt apud Platonem tres Reges; & qui apud Orphęum tres Phanes Vranos eronos.* Hæc Proclus. ex quibus apparet etiam Platonem, & antiquos ſecundum Proclum de natura diuina idem ſenſiſſe, ac Trinitatem ſubſiſtentium poſuiſſe in eo.

Confirmatur ex Numenio.

21 Plotinus inſuper lib. contra Prognoſticos ſic habet. *Quoniam apparuit nobis boni natura ſimplex, & prima: Omne enim quod non eſt primum non eſt ſimplex, & nihil habens in ſe ipſo alia vnum eſt quid.* & infra. *Non eſt igitur cur ad alia principia eatur, ſed hoc præſuppoſito deinceps mens eſt ſtatuenda, & id quod primo intelligit; deinde Anima poſt mentem: is enim eſt ordo ſecundum naturam neque plura hic in intellectuali, neque pauciora. ſi enim pauciora, aut Animam, & mentem idem dicent, aut mentem, & ipſum primum, ſed quod alia ſint ab inuicem oſtenſum eſt ſæpenumero.* Poſſem multa alia ſimilia adducere, ſed iſta ſufficiant.

Aliud teſtimonium ex Plotino.

22 D. Auguſtinus etiam lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 29. probat Porphyrium quem Platonicorum maximum ſæpe vocat nouiſſe, & confeſſum eſſe cum ſuis Trinitatem Dei, licèt incarnationem Verbi diuini nollent agnoſcere. Verba eius ſunt. *Prędicas Patrem, & eius Filium, quem vocas paternum intellectum, ſeu mentem, & horum medium, quem putamus te dicere Spiritum ſanctum, & more veſtro appellatis tres Deos. Vbi & ſi verbis indiſciplinatis vtimini, videtis tamen qualitercunque, & quaſi per quędam tenuis imaginationis vmbracula, quo nitidum ſit. ſed incarnationem incommutabilis filij Dei, qua ſaluamur, vt ad illa, quæ credimus, vel ex quantulacunque parte intelligimus, peruenire poſſimus, non vultis agnoſcere.* Quod autem Diuus Auguſtinus ait hic Porphy-

Teſtimonium Diui Auguſtini, quod Porphyrius Platonicus nouerit Trinitatem.

rium noluiſſe confiteri incarnationem Verbi, oſtendit idolatras Platonicos inimicos Religionis Chriſtianæ myſterium incarnationis noluiſſe confiteri, non autem quod hoc myſterium etiam non fuerit aliqualiter notum ipſis Gentibus, vt videbimus ex Sibyllis, & alijs.

De vnitate Dei.

23 Diximus de myſterio Trinitatis, quod eſt difficilius; nunc de reliquis principalibus articulis facilius eſt comprobare Gentiles habuiſſe cognitionem. Et quidem cognouiſſe quod vnus tantum ſit verus Deus, licèt multos coluerint Deos, certum eſſe videtur. Nã quod ſpectat ad Platonem, & Platonicos, vt colligitur ex auctoritatibus ſuperius adductis apertè faſſi ſunt vnicum eſſe verum Deum creatorem omnium. Nam cum dixerint mentem eſſe filiam Boni, & à patre genitam, & eum Patrem eſſe omnium creatorem, & fontem, & etiam eſſe Deorum factorem apertè confeſſi ſunt vnum eſſe Deum verum; ille enim eſt verus Deus, qui à nullo dependet, & omnia ab ipſo ſunt. Vnde Plato in Epiſtola 2. ad Dioniſium ſupra adducta hoc ſignificauit, dum dixit. *Circa omnium Regem omnia ſunt, ipſius gratia omnia ſunt, ipſe pulchrorum omnium cauſa.* dixit. *circa omnium Regem,* non dixit Reges: ergo vnum Deum agnouit verum. Deinde Plato in Timeo explicans generationem Mundi eam à Deo vero vno factam eſſe diſertiſſimè dixit. Nam habet hæc verba. *Dicamus igitur quam ob cauſam ille rerum auctor generationem, & hoc vniuerſum conſtituit.* Ecce quod vnum auctorem Mundi, non plures ponit. & paulò infra. *Itaque cum vellet Deus bona omnia fore, nihil verò quoad natura pateretur malum, quidquid erat, quod incernendi ſenſum, cadere poſſet, aſſumpſit, &c.* Ecce quod ſemper loquitur de Deo in numero ſingulari; & hoc eodem modo ſemper loquitur in explicatione illa generationis mundi. Et paulò infra habet iſta verba. *Dij Deorum, quorum Opifex ego & pater ſum, hæc attendite. Quæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt, &c.* Ex quibus habetur ſecundum Platonem vnum eſſe Deum creatorem tam rerum ſublunarium, quàm ipſorum Deorum, ſiue intelligentiarum, ſeu Angelorum, & Dæmonum. Præterea in Epiſtola 3. quæ eſt ſecunda ad Dioniſium in principio habet hæc verba. *Tu quidem, vt aiunt hi, qui tecum in Delphis affuerunt Deum ipſum blande alloqui, ac ſimiliter ſcribere conſueuiſti. Gaude, vitamque Tirrani iocundam ſerua. Ego autem neque Deum hoc modo, neque hominem ſalutarim. Non Deum: quia contra illius naturam loqueris. Nam procul à moleſtia, & voluptate diuinitas. Non hominem, quia ſæpius detrimentum, & dolorem affert ſibi voluptas, hebetudinem in animo, & obliuionem, inſipientiam, & petulantiam pariens.* Et in Protagora Plato, quod ante ipſum Ehilò dixerat, aſſerit ſolum Deum eſſe incommutabilem, & bonum his verbis. *bonum quidem virum fieri difficile eſſe, licèt tamen*

Platonici cõfeſſi ſunt vnũ eſſe ſolũ Deũ verum.

ad ali-

ad aliquod tempus eſſe;ſed cum fueris in hoc habitu permanere, virumque bonum eſſe impoſſibile, & non humanum, ſed Deus, hoc habeat decus.

24 Alia multa adduci poſſent ex antiquioribus Poetis, & Philoſophis, Platone, vt ex Simonide, Sophocle, Calimaco, Mercurio, & alijs, quos refert Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianũ; & Eugubinus de perenni Philoſophia ex ipſo, & alijs decerpſit. Sufficiant hæc. Sophocles de Deo hæc Carmina ſcripſit auctore D. Cyrillo aduerſus Iulianum Apoſtatam lib. 1. *Teſtimonia Sophoclis de vnitate Dei.*

Vnus vero duntaxat vnus eſt Deus
Pontique lętos fluctus, ventorumque impetus
Mortales autem multa, animo vagi.
Erreximus erroris, & cladis animi
Deorum ſimulacra è lapidibus materięque
Siue conſtructa auro, vel ebore
His ſacrificia feſtoſque celebrauimus Dies
Sic pietatem ratione credimus.

25 Orphæus etiam teſte D. Cyrillo eodem lib. primo contra Iulianum, cum prius compoſuiſſet odas, & hymnos falſis Dijs, errata ſua corrigens pallinodiam recantauit his carminibus. *Pallinodia Orphęi ꝺ pluribus Dijs.*

Dicam quibus fas eſt, ianuas ocludite prophani.
Omnes ſimul, tu vero audito Lucifere Mercuriæ fili.
Muſeæ effabor enim vera, neque te ea, quæ prius
In pectoribus apparent dulci ſęculo priuent,
Sed ad diuinum verbum ſpectans illi aſſide
Dirigens cordis mentalem profunditatem. Bene autem incede.
In via ſolumque intuere Mundi Regem
Vnus eſt per ſe exiſtens, vnius progenies omnia facta ſunt.
Ipſe autem in illis melior eſt. Neque illam quis
Intuitus eſt ex mortalibus, ipſe vero omnes videt.

Et poſt alia iterum.

Ipſe enim firmatus eſt in aereo Cęlo
Aureo in throno, ſuper terram autem pedibus vadit
Manumque dexteram ad fines Oceani
Vndequaque extendit: tremunt enim in circuitu monteſque magni.
Et flumina, ciuitates, profundumque iocundi Maris.

Ex his conſpicitur Orphæum aſſerere vnum eſſe Deum Regem vniuerſi, à quo omnia facta ſunt, qui in Cœlo reſidet, & habet terram ſub pedibus ſignificans incircumſcriptam naturam eius.

26 Pithagoras apud D. Cyrillum eodem lib. cap. 1. inquit, *Deus quidem vnus, & ipſe non, vt quidam ſuſpicantur extra Mundi gubernationem, ſed in ipſo toto circulo omnes generationes conſiderat contemperatio* *Teſtimoniũ Pithagoræ ꝺ vnitate Dei.*

exiſtens omnium ſeculorum, & lux ſuarum virtutum, & operum principium omnium, lumen in Cœlo, & pater omnium, mens, & animatio omnium, omnium circulorum motio.

Teſtimoniũ Mercurii Triſmegiſti, de vnitate Dei.

27 De Triſmegiſto Mercurio multa adducuntur ab alijs, ego hoc ſolum profero ex Pimandro cap. 1. in fine. Vbi cum Mercurius intellexiſſet totam viſionem à Pimandro gratias agit Deo ſub his verbis. *Hæc mihi contigerint ex mente haurienti ideſt ex Pimandro diuinæ potentiæ verbo, vnde ipſe diuino afflatus ſpiritu veritatis compos effectus ſum, quamobrem omnibus animi viribus Patri Deo gratias ago. Sanctus Deus Pater omnium. Sanctus Deus cuius voluntas à proprijs poteſtatibus adimpletur. Sanctus Deus qui ſuis familiaribus innoteſcit. Sanctus es, qui verbo cuncta conſtituiſti. Sanctus es, cuius imago eſt omnis natura. Sanctus es, quem nunquam natura creauit. Sanctus es omni poteſtate validior. Sanctus es omni excellentia maior. Sanctus es omni laude melior. excipe verborum ſacrificia ſancta ab animo, & corde debito tibi manantia ineffabilis ſolo ſilentio prædicantibus ab eo, qui fallacias veræ cognitioni contrarias declinauit. Annue, corrobora me, atque huius gratiæ participes effice eos, qui in ignorantia verſantur cognatione mihi quidem fratres, tibi autem filij. Etenim tibi fidem præſto, teſtimonium de te perhibeo; in vitam, ac lumen aſſurgo; ipſe Pater es venerandus, homo autem tuus ſanctitate vna tecum potiri deſiderat, cum poteſtatem illi omnium arbitriumque conceſſeris.* Hęc Mercurius ille ter maximus antiquitati, & omnibus Philoſophis, & Sapientibus adeò admirabilis, & venerabilis. His autem verbis patet non ſolum aſſerere vnum Deum, ſed etiam omnia prædicata ferè, quę Theologi illi attribuunt explicaſſe.

Ex Theophraſto adducto à Simplicio 1. Phyſicorũ tex. 6.

28 Sed adducamus teſtimonium omnibus notum, quod antiqui Philoſophi vt Parmenides poſuerit Deum eſſe vnum, atque principiũ omnium rerum; hoc autem ſit teſtimonium Simplicij 1. Phyſic. tex. 6. vbi parum à principio recenſens opinionem Parmenidis dicit Theophraſtum aſſerere Parmenidem per vnum principium intellexiſſe Deum, non aliquod creatum. Verba Simplicij ſunt. *Vnum autem principium, ſiue vnum quod eſt, & vniuerſum, omneque neque finitum, neque infinitum, neque motum, neque quieſcens Xenophanem Colophonium Parmenidis præceptorem ſtatuiſſe Theophraſtus refert, qui dum mentionem de hac opinione facit, eius ſententiam potius ad alias enarrationes, atque hiſtorias, quàm ad naturalem ſpectare fatetur. Nam hoc vnum, & Vniuerſum, omneque Deum eſſe Xenophanes dixit, quem vnum eſſe oſtendit, eo quod omnium optimus, ac imperio præſtantiſſimus eſt. Nam inquit, cum multa ſint ea, quæ ſunt ſimiliter neceſſe eſt cunctis rebus imperium, atque optimum principatum eſſe, Deus autem eſt imperio omnium præſtantiſſimus, atque optimus.* Hæc Simplicius, & vlterius proſequitur declara-

re

re quomodo Xenophanes poſuerit Deum eſſe ingenitum, item neque infinitum, neque finitum, neque mutabilem; & deinde confutat opinionem Ioannis Damaſceni, & Alexandri, qui dixerũt Xenophanem poſuiſſe Deum, ſiue illud primum principium eſſe finitum.

29 Hoc idem apertè faſſus eſt Ariſtoteles. Nam cum 12. Met. tex. 52. oſtendiſſet dari vnum primum principium Vniuerſi, & illud declaraſſet exemplo familiæ, & exercitus, oſtendit in textibus ſequentibus quàm rationabilius præ alijs antiquis ipſe poſuerit, & declarauerit hoc principium, à quo omnia pendent, & fiũt; & quia aliquis obijcere potuiſſet etiam Anaxagoram ante ipſum Ariſtotelem poſuiſſe hoc primum principium, quia poſuit mentem, ſeu intellectum vnum eſſe omnium principium, Reſpondet tex. 55. quod Anaxagoras rectè fecit ponendo primum principium eſſe mentem, & intellectum primum, tamen defecit, quia hoc non bene declarauit: Abſolutè enim hæc ſententia prolata eſt falſa; quia ſi primus intellectus mouet, non poterit eſſe primum principiũ; quia omne quod mouet propter aliud mouet; ergo illud primum principium haberet aliud principium ante ſe; & ſic non eſſet primum. Subiungit deinde Ariſtoteles, quod ſi Anaxagoras intellexiſſet, vt intelligit ipſe Ariſtoteles, quod primus intellectus moueat non propter aliud diſtinctum à ſe ipſo, ſed moueat propter ſemetipſum, ita quod intellectus ille primus ſit mouens, & finis, rectè dixit Anaxagoras; Et Ariſtoteles dat exemplum de Medicatiua Arte, quam, dicit, efficere ſanitatem, & eſſe quodammodo ſanitatem ipſam; adeò q̃d ipſa in ſe eſt efficiens, & finis: quia efficit propter ſanitatem. Vnde Alexander Aphrodiſeus inquit ibi in Commentario, quod ſi Anaxagoras in hunc modum de intellectu primo diſſeruit, vt faciat idem mouens, idem cuius gratia mouet, & omne quod mouet gratia ipſius rem motam mouere dicat, rationi conſentanea dicere poſſe videtur. Verba Ariſtotelis, etſi obſcura, ſunt hæc. *Anaxagoras autem, quod bonum principium, intellectus enim mouet, quare alterum excepto, vt nos dicimus. Nã medicatiua eſt ſanitas quodammodo.* & tex. 56. inquit, quod tàm illi Philoſophi, qui poſuerunt duo principia, quàm illi, qui poſuerunt ideas, coacti ſunt ponere aliud principium prius: quia non poteſt haberi quomodo materia fiat particeps idearum; niſi ſit aliquod principium efficiens, quod moueat materiam, & defluxum à formis in materiam. Illud autem primum principium ait Alexander Aphrodiſeus ibidem ex Ariſtot. eſt hic primus intellectus, qui eſt principium primum. Præterea verbis ſequentibus inquit, quod niſi ſtatuatur vnum primum principium incorporeũ, & intelligibile, non poterit ſaluari ordo Vniuerſi, neque generatio, neque corpora cœleſtia erunt, quia dabitur proceſſus in infinitum in principijs, quod eſt

Ariſt. teſtimonium, de vnitate Dei.

Diſputatio Ariſt. aduerſus Anaxagorã de primo prĩcipio.

Ariſt. aduerſus Platonicos de primo principio.

abſurdum. Verba Ariſtotelis ſunt. *Amplius ſi non erunt præter ſenſibilia alia non eſt principium, & ordo, & generatio, & cæleſtia, ſed ſemper principij principium, vt Theologis, & Phyſicis omnibus.*

Ariſt. aduerſus Pitagoricos, de primo principio.

Tandem in eodem tex. vltimo reprehendit Pitagoricos, eo quia poſuerunt numeros eſſe principia rerum: quia ſi illud eſſet verum, non eſſet vnum principium omnium rerum, ſed multa, & diuerſa. Vnde neque res poſſent vniri inter ſe in Vniuerſo; neceſſe eſt ergo ponere vnum principium omnium, & illud eſſe primum intellectum, vt poſuit Ariſtoteles, quia entia nolunt malè diſponi; vnus ergo princeps. Verba Ariſtotelis ſunt. *Dicentes autem numerum mathematicum, & ſic ſemper aliam habitam ſubſtantiam & principia cuiuslibet; alij inconnexam ipſius mundi ſubſtantiam faciunt. Nihil enim alia; Alii confert aut ens, aut non ens, & principia multa: entia verò nolunt malè diſponi, vnus ergo princeps.* Verba ſunt difficilia, ſed hic eſt ſenſus. Pitagorici poſuerunt numeros eſſe principia rerum; & poſuerunt diuerſos ordines principiorum; primus erat numerorum, ſecundus magnitudinum, & ſic deinceps, aliam, & aliam eſſe ſubſtantiam rerum. Cuiuslibet ordinis etiam ponebant vnum diuerſum principium ab alio; & ſic conſequenter cogebantur dicere ſubſtantias ipſas eſſe diuerſas nullam habentes inter ſe connexionem, & hoc tàm de entibus inter ſe, quàm de entibus, & non entibus inter ſe. cum autem plura principia prima nullum habentia ordinem inter ſe ſint cauſa confuſionis, & ordo Vniuerſi ſit rectè diſpoſitus; dicendum eſt vnum eſſe principium Vniuerſi à quo omnia proueniunt, & hunc eſſe intellectum, & mentem, quã Deum appellamus. Ex his habemus etiam Ariſtotelem nouiſſe hunc articulum eſſe vnum Deum.

Philoſophos cognouiſſe creationẽ tẽporalẽ Mundi.

30 Ex teſtimonijs, & confeſſionibus Philoſophorum hucusque adductorum videtur haberi non ſolum ipſos lumine naturali nouiſſe Deum eſſe trinum in perſonis, vnum tantum in eſſentia, ſed etiam eſſe productorem, & creatorem Mundi; atque de ijs, qui præceſſerunt Ariſtotelem videtur eſſe apertum, licèt Ariſtoteles, & ſui ſectatores Trinitatem non agnouerint, neque creationem temporalem, vt in alia quæſtione, An Mundus ſit æternus diximus. Vbi etiam alias auctoritates ex antiquis adduximus, quibus probauimus eos poſuiſſe Mundum in tempore eſſe creatum à Deo. Ideo quo ad hunc articulum non occurrit amplius laborare.

Philoſophi cognouerunt plura vera prædicata de Deo.

31 Aliud myſterium principale noſtræ Theologiæ eſt vera prædicata de Deo cognoſcere; At iſta optimè ijdem Accademici nouiſſe videntur. Deum enim vnum eſſe, & ſingularem faſſi ſunt, quem appellarunt vnitatem excellentiſſimam, à qua cuncta emanaſſe volunt, rurſum eum appellarunt immobile principium; appellarunt ipſum

eſſe;

eſſe; ipſum vniuerſum; ipſam infinitatem creatorem Deorum ideſt creatorem ſubſtantiarum abſtractarum, eas enim Deos appellabant; dixerunt eum eſſe inſcrutabilem, quod neminem pecantem eum lateat; quod omnia proſpiciat. At iſta omnia prædicata ſunt ea, quę de Deo in ſacris litteris habemus.

32 De Angelis, & Dæmonibus non exigua pars eſt Theologiæ noſtræ, at de his non eſt dubium Accademicos diſeruiſſe; quos enim ſæpiſſimè Plato in Phedone Deos vocat, ac inquit præpoſitos eſſe rebus humanis, fęlices, & beatos eſſe, non poteſt aſſerere eſſe veros Deos, cũ iam ipſe vnum tantum Deum aſſerat creàtorem Deorum, Mundi, & omnium rerum; cum vnitate autem Deitatis non poteſt ſtare pluralitas Deorum. Intellexit ergo ſpiritus Cœleſtes, quos Nos Theologi cum Sacra ſcriptura appellamus Angelos. Hos etiam aliquando Ariſtoteles dixit non ſolum voluere orbes Cœleſtes, ſed eſſe extra Cœlum, extra tempus, extra locum, & ſempiterno æuo frui, vt in primo de Cœlo tex. 100. & licet in duodecimo Metaph. aliter ſenſerit, tamen loco citato hanc fuiſſe opinionem antiquorum aſſerit, & eam ibi laudat.

Plurima de Angelis, & Dæmonibus nouerũt Philoſophi.

Sententia Ariſt. de ſubſtantiis ſeparatis.

33 De creatione hominis, & quantum ad corpus, & quantum ad animam nemo poteſt negare agnitam fuiſſe antiquis. Apertiſſima enim eſt ſententia Architæ Tarentini, qui præcipuus fuit Pitagoricus apud Iamblicum, qua directè & creationem Mundi eſſe à Deo, & dona indita ipſi Mundo dixit: omitto ea, quæ Plato in Timeo, & alij paſſim ſcripſerunt.

De creatione hominis, opinio Architæ Tarentini.

34 Ad extremum ne per cuncta myſteria Theologica vagando alicui ſim faſtidio, ſi quæ ad religionem, & cultum diuinum dogmata ſpectant conferantur cum antiquis in vnum ferè conuenire videbimus. Omnia eorum ſcripta in hanc concluſionem colimant. Rerum humanarum finem eſſe pietatem, primumque pietatis gradum eſſe, *Deum agnoſcere, eum colendum eſſe, ac bonis noſtris factis ad meliorem, ac fœliciorem vitam, quàm hæc mortalis ſit peruenire, & malis ad vitam pœnalem.* Hoc probatur, quia fuit celebre illud Pitagoreorum dictum apud Iamblicum lib. de eorum placitis. *omnis vita ad id ordinata eſt, vt ſequaris Deum.* Vnde illud inualuit ſequere Deum. Hanc ſententiã deinde multis proſecutus eſt Plato in Teeteto, & alij Platonici dum hortantur ad fugam huius vitæ: fuga enim huius vitæ nihil aliud eſſe poteſt, quàm recolectio mentis in Deum, & in eius ſequellam. De futura autem vita, de animorum immortalitate clara ſunt, quæ inter alios docuit Plato in Apologia, dum definiens mortem; dixit, mors eſt quaſi hinc in alium demigrare locum, & eodem loco Socrates miris laudibus extulit, dum dixit *nil melius contingere vnquam poſſe,*

Phi. quid nouerint de rebus moralibus, & ſpectantibus ad Religionem.

Antiquorũ ſcripta ad pietatem tendebant.

Dictum celebre Pitagoreorum, ſequere Deum.

De animæ immortalitate.

Definitio mortis ex Platone.

poſſe, quàm cum ſapientiſſimis, iuſtiſſimiſq.e viris verſari, quos Græcorum optimos fuiſſe ſcirent omnes. Denique de præmijs bonorum, malorumque pęnis poſt hanc vitam, quod eſt ſcopus vltimus Theologiæ Chriſtianæ præter alios, Plato ipſe vbi ſupra protulit illa verba. *Nefas eſt ad gentem diuinam aſpirare cuiquam, qui Philoſophatus non fuerit, puruſque ex hac vita prorſus non abierit. ob quam cauſam viri Philoſophi ab omnibus cupiditatibus corporeis ſe continent, neque ſeipſos eis dedunt vnquam.*

Sentẽtia Platonis de præmijs, & pœnis poſt hanc vitam.

De myſterio ĩcarnationis quid D. Auguſt. repererit apud Gentiles.

35 De myſterio incarnationis propter eius altitudinem eſt maior difficultas, an Gentiles illud nouerint. Diuus Auguſtinus lib. 7. confeſſionum cap. 9. dicit ſe legiſſe quendam librum Platonicorum, in quo principium Euangelij D. Ioannis inuenit, licèt non in eijſdem verbis, præterquam illud *& Verbum caro factum eſt*, & illud quod *mortuus ſit pro nobis*, & quædam alia. Verba D. Auguſtini ſunt hæc. *Procuraſti mihi* (loquitur ad Deum) *per quemdam hominem immaniſſimo typo turgidum quoſdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinum verſos: & ibi legi non quidem his verbis, ſed hoc idem omninò multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus. Quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in eo vita eſt, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima quamuis teſtimonium perhibeat de lumine non eſt tamen ipſe lumen; ſed Verbum Dei Deus eſt lumẽ verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; & quia in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum nõ cognouit; quia verò in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius; credentibus in nomine eius ibi non legi. Item ibi legi. Quia Deus Verbum non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt. Sed quia Verbum caro factum eſt; & habitauit in nobis ibi non legi. indagaui quippè in illis litteris variè dictum, & multis modis, quod ſit filius in forma Patris non rapinam arbitratus eſſe æqualem Deo, quia naturaliter idipſum eſt. Sed quia ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Deus exaltauit illum à mortuis, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genuflecteretur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris, non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora, & ſupra omnia tempora incommutabiliter manet vnigenitus filius tuus coæternus tibi, & quia de plenitudine*

eius

eius accipiunt. animæ vt beatæ ſint, & quia participatione mentis in ſe ſapientiæ renouantur vt Sapientes ſint, eſt ibi. quod autem ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt, & filio vnico tuo non pepercisti, ſed pro omnibus nobis tradidiſti eum, non eſt ibi. Abſcondiſti. n. hęc à Sapientibus, & reuelaſti ea paruulis, &c. Hæc D. Auguſtinus, ex quibus apparet Gentiles multa myſteria de Verbo cognouiſſe, licèt de myſterio incarnationis, & mortis Chriſti ibi non inuenerit D. Auguſtinus.

36 Tamen ex alia parte videtur apertè Chaldæos illud nouiſſe. *Chaldęi nouerunt myſteriū incarnationis.* Nam Chaldæorum Magi prædicabant aliquando futurum eſſe, vt Filius Dei, mens illa progenies æterni Regis ventura eſſet in Mundū facturam ſe hominem. Vnde Sibylla Aerithrea ſeu Perſica, cuius libros aliquos, vt ſupra retuli, Romani diligentiſſimè conquiſiuerunt, & aſſeruauerunt, apertè prophetauit de Aduentu iſto Chriſti in illis Carminibus, deinde a Virgilio recantatis. *Teſtimoniū Sibyllarū de ĩcarnatione.*

Iam noua progenies cælo demittitur alto. *Carmina Sibyllę recitata a Virgilio.*

& alio loco Bucolicorum.

Sicęlides Muſæ paulò maiora canamus.

Vltima Cumeæ iam venit Carminis ætas.

& iterum.

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.

Iam reddit & Virgo; iam redeunt Saturnia regna.

Certum eſt Virgilium his Carminibus alludere ad Carmina Sibyllæ, quam Cumanam vocat, quia dubium erat an illa Carmina eſſent Ærithreæ, vel Cumanæ Sibyllæ: quia libri integri illarum Sibyllarum non habebantur, & aliqui dicebant illos eſſe Ærithreæ, & aliqui Cumanæ, vt apertè ſentit Conſtantinus Imperator, vt eſt videre apud Euſebium in eius vita, & Diuum Auguſtinum oratione contra paganos cap. 15. Tomo Sexto, licèt Virgilius horum Carminum verum ſenſum non ſit aſſecutus (de qua re Marſilius Ficinus lib. Chriſtianæ religionis cap. 34.) ſicut nec Cicero, qui de his carminibus teſtimonium clarum perhibuit, vt ſupra diximus. Nam Virgilius illa voluit applicare filio Polionis nuper nato. Cicero verò lib. 2. de diuinatione dicit interpretem Carminum Sibyllæ prædictorum intellexiſſe de Rege vero Romanorum, quem ipſa diceret eſſe adorandum, vt Deum, ſi vellent eſſe ſalui: quam interpretationem intelligentes de Rege mundano reſpuebant; non intelligebat autem Sibylla de Rege aliquo homine, ſed de Chriſto filio Dei, qui paulò poſt Ciceronem natus eſt. Et fortaſſe Sibylla deſcripſerat tempus, quo Chriſtus erat naſciturus, & Cicero intellexit illud eſſe proximum, & quia Romani putabant, & curabant Rempublicam nunquam debere ſubijci Regi temporali, ſubiungit. *Cum Antiſtibus agamus vt quiduis po-*

Carmina Sibyllę nō verè intellecta à Virgilio, neque à Cicerone.

tius

tius ex libris, quam Regem proferant, quem Roma poſthac nec Dei, nec homines patientur.

37 Colligitur adhuc Chaldæos, & Gentiles cognouiſſe Chriſtum venturum; ex eo quod vt teſtatur Suetonius in Veſpeſiano Tito fama erat in toto oriente Filium Dei venturum eſſe in Mundum; oſtendendumque eſſe ſignum in Cœlo Magis ſui Aduentus; & hac de cauſa Magi diligenter obſeruabant huiuſmodi ſigna futuri Regis, & fortaſſe prædixerat Sibylla ſignum illud futuram eſſe ſtellam nouam & præceperat, vt illam deberent ſequi, quia eos duxiſſet ad Regē hunc, atque eum debere adorare, muneribus honorare. Nam vt ait Diuus Ioannes Chryſoſtomus homil. 2. Tomo 2. relatus à D. Thoma 3. par. quæſt. 36. art. 5. ad 4. in quibuſdā ſcripturis Apocryphis legitur, quod quædam gens in extremo Orientis iuxta Oceanum habebat quādam ſcripturam ex nomine Seth, in qua de ſtella orta in Natiuitate Chriſti ſermo habebatur, & de muneribus huiuſmodi offerendis, quæ gens diligenter obſeruabat huius ſtellæ exortū poſitis exploratoribus duodecim, qui certis temporibus de nocte aſcendebāt in montem, in quo poſtmodum eam viderunt habentem in ſe quaſi formam paruuli, & ſuper ſe ſimilitudinem Crucis: hoc autem eſt ſignum, eas gentes notitiam habuiſſe de Natiuitate Chriſti.

De Sibylla, & Magis.

38 Præterea. Balaam, qui erat Gentilis Chaldæus, vt ſupra diximus, vt habetur Num. cap. 24. prædixit ſtellam nouam, quæ in Natiuitate Chriſti apparuit futuram eſſe ſignum natiuitatis Regis Iudęorum Chriſti, vt habet D. Auguſtinus in quæſtionibus veteris, & noui teſtamenti quæſt. 39. citatus a D. Thoma 3. p. quæſt. 36. artic. 5. ad 4. Balaam enim vt loco prædicto habetur, cum non voluiſſet maledicere populo Iſrael, ſed illum benedixiſſet iuxta præceptum Domini, & vellet diſcedere à Rege Balac in ſuam regionem, & Balac eſſet iratus aduerſus eum; quia non maledixerat, ſed benedixerat populum Iſrael contra voluntatem ſuam, Balaam proſequens laudes populi Iſraelis, inter alia eum populum commendauit, quia ex illo erat naſciturus Meſſias, qui inimicos Iſraelis (intellige ſpirituales) erat deſtructurus, & habet hæc verba. *Reſpondit Balaam ad Balac*; poſt pauca; *Verumtamen pergens ad populum meum dabo tibi cōſilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* ſequitur Sacer textus. *ſumpta igitur parabola rurſum ait dixit Balaam filius Beor; dixit homo, cuius obturatus eſt oculus; dixit auditor ſermonum Dei; qui nouit doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis videt; qui cadens apertos habet oculos.* his verbis parabolicis oſtendit ſe ea quæ dicit non litteraliter, ſed ſpiritualiter intelligenda eſſe, deinde ponit Prophetiam, dicens. *Videbo eum, ſed non modo intuebor illum, ſed non prope. orietur ſtella ex Iacob, & conſurget*

De prędictione Balaā ad uentus Chriſti.

virga

virga de Iſrael; & percutiet duces Moab. vaſtabitque omnes filios Seth, & erit Idumaea poſſeſſio eius,&c. & ſuperiori cap.23. dixerat Balaam ſimiliter prophetans de futuro Meſſia. *temporibus ſuis dicetur Iacob, & Iſrael quid operatus ſit Deus. Ecce populus vt laena conſurget,& quaſi leo erigetur; Non accubabit donec deuoret prædam,& occiſorum ſanguinē bibat.* Ex his conſpicitur, quod etſi Magus fuit Balaam; tamen fuit quoque Propheta ex ſpeciali reuelatione Dei in hoc myſterio incarnationis Verbi Dei. Vnde partim eſt laudandus, partim vituperandus, vt ait D. Auguſtinus ſerm. 103. de tempore.

39 Confirmatur: quia Nabucdonoſor Danielis 3. erat Gentilis, & idolatra, & tamen cognouit Deum habere Filium. vnde dixit. *Nonne tres viros miſimus in medio ignis compeditos?* Reſpondentes autem Satrapæ eius dixerunt. *Verè Rex.* Reſpondit autem Rex, & ait. *Ecce video viros quatuor ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quaſi ſimilis Filio Dei.* Cognouit ergo Nabucdonoſor, quod ille quartus erat ſimilis Filio Dei, ergo habebat aliquam priorem cognitionem de Filio Dei, alioquin non potuiſſet ſcire illum quartum ſimilem eſſe Filio Dei; hoc teſtimonium profert Diuus Auguſtinus oratione contra Paganos cap.15. Et Marſilius Ficinus profert teſtimonia de Chriſto ex oraculis Apollinis, & Ecate, vbi ſupra. & D. Auguſtinus lib.19. de Ciuitate Dei cap.23. quæ omitto. *Teſtimoniū Nabucdonoſor.*

40 Præterea. Geneſi cap.14. habemus Melchiſedech fuiſſe Sacerdotem Dei Altiſſimi,& benedixiſſe Abraham; & tamen non erat ex ſtirpe, & ex generatione Abraham, cum eodem tempore cum illo vixerit; ergo erat Gentilis,& tamen habuit cognitionem veri Dei; & fuit Sacerdos eius; & in ſuo ſacrificio figurauit ſacrificium noſtrum Altaris. *Teſtimoniū Melchiſedech.*

41 Præterea. Iob non fuit ex populo Hebræo, ſed ex Idumæa,& fuit Gentilis teſte D. Auguſtino lib.18. de Ciuitate Dei cap.47. & D.Thomas 2.2. quæſt.2. art.7. ad 3. & tamen ſcimus myſterium incarnationis nouiſſe: dixit enim. ſcio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Et D.Thomas 2.2. quæſt.2. art.7. ad 3. dicit in hiſtorijs Romanorum haberi quod tempore Conſtantini Imperatoris, & Helenæ eius matris inuentum fuit quoddam ſepulchrū, in quo iacebat homo habens auream laminam in pectore, in qua ſcriptum erat Chriſtus naſcetur ex Virgine,& ego credo in eum. *Teſtimoniū Iob, qui erat Gentilis.*

42 Denique eſt Prophetia Sibyllæ tota clara Aduentus, Incarnationis, Mortis, Reſurrectionis, & aliorum myſteriorum Chriſti addu cta à D.Auguſtino lib. eodem orationis contra Paganos; de qua Prophetia *Teſtimoniū Sibyllæ, de incarnatione filij Dei.*

phetia Sibyllæ non eſt dubium eſſe veram:ea enim Prophetia,& verſus, vt vidimus ex Cicerone, & Conſtantino Imperatore, & Lactantio Firmiano reperiebantur apud Romanos ante Aduentum Chriſti multo tempore;ideo non poteſt eſſe ſuſpicio,quod ab aliquo Chriſtiano compoſiti fuerint. Verſus autem ſunt iſti apud D. Auguſtinum ea oratione contra Paganos adducta,& lib.18.de Ciuitate Dei cap.23.

Iudicij ſignum, tellus ſudore madeſcet.
E Cælo Deus adueniet per ſecla futurus.
Scilicet in carne præſens, vt iudicet orbem.
Vnde dum cernent, incredulus, atque fidelis.
Celſum cum Sanctis, æui iam termino in ipſo.
Sic animæ cum carne aderunt quas iudicat ipſe.
Cum iacet incultus denſis in vepribus orbis.
Deijcient ſimulacra viri cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis, pontumque polumque.
Inquirens, tetri portas effringet auerni.
Sanctorum, ſed enim cunctæ lux libera carni,
Tradetur, fontes æternaque flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit, & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur ſolis iubar, & chorus interit aſtris.
Voluetur Cælum, lunaris ſplendor obibit.
Deijciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum ſublime, vel altum.
Iam æquantur campis montes, & cerula ponti.
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Et tuba nunc ſonitum triſtem demitet ab alto.
Orbe gemens facinus miſerum, variosque labores,
Tartareumque Chaos monſtrabit terra dehiſcens.
Et coram Domino reges ſiſtentur ad vnum.
Decidet è Cælo, ignisque & ſulphuris amnis.

Ex his Carminibus elicitur Chriſti Natiuitatem, Paſſionem,& Reſurrectionem, atque ſecundum eius Aduentum ad Iudicium, nota fuiſſe Sibyllis, & conſequenter Gentilibus; Et eo maximè, quia iſta Carmina ſunt ita in Græco compoſita, vt ſiquis capitales litteras horum verſuum in Græco compoſitorum obſeruet, inquit D.Aug. vbi ſupra,& confirmat Cicero lib.2. de Diuinatione, vt vidimus ſupra hoc capite,nu.7.inſpiciet ſignificari hæc verba IESVS CHRISTVS FILIVS DEI SERVATOR. quod non inſpicitur

in ipſis

in ipſis in Latinum translatis apud D. Auguſtinum, quia Græcarum litterarum proprietas non potuit adeò plenè obſeruari, vt eædem litteræ in principio cuiuſquę verſus in Latina lingua ponerẽtur. Verùm quia eadem Carmina in Latinum verſa apud Sixtum in Bibliotheca Sancta accomodatius illas litteras capitales habent, hìc ea ſubiungere decreui. ſunt autem iſta.

Iudicij in ſignum tellus ſudore madeſcet,
Et rex æternus ſummo deſcendet olympo,
Scilicet vt carnem, mundumque vt iudicet omnem,
Vnde Deum fidi, diffidentesque videbunt
Summum cum Sanctis in ſæcli fine ſedentem.
Corporeum animas hominum quò iudicet, olim.
Horribit totis cum denſis veporibus orbis,
Reijcient ſimulacra viri, gazasque repoſtas;
Exuretque ignis terras, cœlumque ſalumque;
Incendetque fores anguſti carceris orci;
Sanctorumque omnis caro libera reddita lucem
Tunc repetet; ſemper cruciabit à flamma ſceleſtos;
Vtque quis occultè peccauerit, omnia dicet;
Sub lucemque Deus reſerabit pectora clauſa:
Dentes ſtridibunt; crebreſcent vndique luctus,
Et lux deficiet; ſolemque nitentiaque aſtra,
Inuoluent tenebræ, tum lunæ ſplendor obibit:
Foſſas attollet, iuga deprimet ardua montis;
Impedietque nihil mortales amplius altum.
Longa carina fretum non ſcindet, montibus arua
Ipſa æquabuntur. nam fulmine torrida tellus,
Vnaque & ſicci fontes, & flumina biabunt;
Sidereisque ſono triſti tuba clanget ab oris.
Stultorum facinus mærens, mundique dolores,
Et Chaos oſtendet, & tartara terra dehiſcent;
Regesque ad ſolium ſiſtentur numinis omnes;
Vndaque de Cœlo fluens ignea ſulphure miſto;
Atque omnes homines ſignum præſigne notabit
Tempore eo lignum, cornu peramabile fidis
Oppoſitus mundo caſus, ſed vita piorum,
Reſpergendo lauans duodeno fonte necatos.

Subiungit deinde D. Auguſtinus quoſdam alios verſus Sibyllinos Chriſti Paſſionem apertius demonſtrantes, & ſunt iſti.

In manus iniquas, & infidelium poſtea veniet.
Dabunt Deo alapas manibus inceſtis.

Et oribus imundis expuent ſaliuas venenoſas.
Dabit autem in verbera omnino inuocans dorſum.
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat.
Quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur.
Et coronam portabit ſpineam.
In cibum autem fel, & ad ſitim acetum dederunt,
In hoſpitalitatis hanc monſtrabant menſam.
Ipſa enim ſtulta, Deum tuum non cognouiſti.
Ludentem mortalibus mentibus, ſed ex ſpinis
Coronaſti Corona, horridumque fel miſcuiſti.
Templi verò velum ſcindetur, & die
Media non tenebroſa nimis tribus horis.
Et mortis factum finiet trium dierum ſomno ſuſcepto,
Et nunc à mortuis regreſſus in lucem venit.
Primus Reſurrectionis initium reuocatus oſtendit.

Poſteriores iſti verſus adeò clarè Paſſionem Chriſti deſcribunt, vt nihil clarius.

In quo conueniant Theologi in propoſita difficultate, & in quo diſcrepent. *Caput Secundum.*

43 *Primum in quo cōueniūt Theologi.*

COmmuniter Theologi ad hanc quæſtionem reſpondent eſſe impoſſibile lumine naturali venire in cognitionem diſtinctam Trinitatis diuinarum perſonarum. Aſſerunt enim Philoſophos non habuiſſe, nec potuiſſe habere cognitionem diuinarum perſonarum ſecundum propria: potuiſſe tamen habere, & habuiſſe de facto cognitionem diuinarum perſonarum quo ad appropriata; & ſic habuerunt cognitionem quandam confuſam, & obſcuram Trinitatis, & longè diuerſam ab ea, quam habent Theologi. Vnde cum Ariſtoteles 1. de Cœlo celebrat numerum ternarium, & ait nos honorare Deum numero ternario, non vult aſſerere Deum eſſe trinum, vt Theologi dicunt, ſed vult dicere, quod in numero ternario eſt quædam perfectio, propter quam applicatur ſacrificijs. Quod etiam Triſmegiſtus dixit. *Monas genuit Monadem*, inquiunt non referendum eſſe ad generationem filij, vel productionem Spiritus ſancti, ſed ad productionem Mundi; voluit enim dicere, quod Deus produxit Mundum propter ſui ipſius amorem. Et Platonici cum poſuerunt Patrem, mentem, & animam, non voluerunt hæc tria eſſe vnam numero ſubſtantiam, ſed tres eſſētialiter diſtinctas, quarum primam appellabant Patrem, quia omnia ab illo pendent. Hæc D. Thomas 1. par. quæſt. 32. art. 1. ad primum. vbi etiam aſſerit per rationem naturalem eſſe impoſſibile peruenire

Ariſt. cum celebrat numerum ternarium non vult aſſerere Deū eſſe trinum et vnū.

D. Thomas.

uenire ad cognitionem Trinitatis diuinarum perſonarum, idem habet Scotus in quolib. 14. per totum. Alenſis 1. par. quæſt. 2. m. 4. art. 3. Diuus Bonau. 1. diſt. 3. quæſt. 4. Durandus in Prologo quæſt. 1. & alij Doctores in primo diſt. 3. & alibi.

Scotus. Alenſis. D. Bonau. Durandus.

44 Conueniunt etiam in alio conſequenter, quod qui habuerunt cognitionem diuinarum perſonarum Trinitatis, & aliorum articulorum hoc habuerunt ex reuelatione, & traditione aliqua. Differunt verò aliquo modo in explicando rationem propter quam non potuerunt naturaliter peruenire ad cognitionem diuinarum perſonarum; & quomodo per reuelationem Gentiles illam cognitionẽ habuerint.

Secũdum in quo cõueniũt Primum in quo differũt. Secũdum in quo differũt.

45 Quantum ad primum in quo differunt. Diuus Thomas vbi ſupra adducit hanc rationem, homo non poteſt venire in cognitionem Dei, niſi per creaturas, quæ ſunt effectus Dei: creaturæ autem non ducunt in cognitionem Dei quatenus eſt trinus, ſed ſolum quatenus eſt vnus Deus; quia omnes creaturæ proueniunt à Deo, quatenus eſt vnũ principium; actiones enim Dei ad extra creatio, cõſeruatio, & huiuſmodi ſunt communes toti Trinitati; & proinde ex his effectibus non poteſt homo venire niſi in cognitionem vnitatis Dei, non autem Trinitatis diuinarum perſonarum. Scotus etiam quolib. 14. art. 4. ferè hac eadem ratione vtitur, licèt diuerſo modo, vt poſtea videbimus explicando modum, quo probat hominem ex puris viribus naturalibus nõ poſſe cognoſcere Trinitatem diuinarum perſonarum. Verùm Diuus Thomas vbi ſupra ſubiungit, quod qui vellet probare Trinitatẽ perſonarum naturali ratione derogat fidei dupliciter. Primò derogat fidei dignitati. Nam dignitas fidei eſt quod ſit de rebus inuiſibilibus, quæ rationem humanam excedunt. Vnde Apoſtolus ad Hebr. ij. dicit, quod fides eſt de non apparentibus; & prima Corinth. 2. ait. *Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principium huius ſæculi, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ eſt abſcondita*. Secundò quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes cadit in irriſione infidelium. Credunt enim quod huiuſmodi rationibus humanis innitamur, & propter eas credamus. Vnde concludit non eſſe tentandum probare ea, quæ ſunt fidei, niſi per auctoritates his, qui auctoritates ſuſcipiunt; his verò qui auctoritates non ſuſcipiunt ſufficit, defendere non eſſe impoſſibile quod prædicat fides.

Ratio D. Thomæ propter q̃ Philoſophi naturaliter non potuerũt cognoſcere Trinitatem.

In quo D. Th. et Scotus differunt. Velle probare Trinitatẽ rõnibus naturalibus facit iniuriam fidei, ait Diuus Thomas.

46 Scotus autem in 2. ſentent. diſt. 1. quæſt. 3. in q. an Mundus potuerit produci ab æterno ſoluendo ſecundam rationem Diui Thomę has duas rationes vltimas Diui Thomæ, quod ſiquis tentaret probare rationibus naturalibus Deum eſſe trinum, & alios articulos deroga-

Scotus reijcit allatam opinionẽ D. Thomæ.

ret dignitati fidei, & conſequenter euacuaretur meritum fidei, confutat. Quia D. Auguſtinus, Diuus Anſelmus, & alij Sancti, & Doctores, qui laborauerunt rationibus oſtendere, & comprobare articulos fidei contra Paganos, & Infideles non putauerunt ſe derogare dignitati fidei, & meritum fidei amittere, ſed in hoc ſtudio mereri. Vnde ſi poſſit quis aliquas rationes neceſſarias adducere pro confirmatione alicuius articuli, non eſt periculoſum illas adducere, vt contingit in probatione articuli vnitatis Dei. Nam Scotus ipſe in primo diſt. 1. efficaciſſimis, & demonſtratiuis rationibus probat Deum eſſe vnum tantum, ideo tẽtare inuenire huiuſmodi rationes neceſſarias pro alijs articulis, ſi fieri poſſet, non eſt inutile, nec vanum. Vnde Eſaias 7. dicebat, *niſi credideritis non intelligetis*. Vnde D. Auguſtinus, D. Anſelmus, & alij Catholici quærunt ſcire per rationes, quod fide credũt.

Ad fundamentum rationis D. Thomæ.

47 Ad auctoritatem ergo ex D. Paulo poteſt dici eam concludere, quod ſtando præcisè in lumine naturæ non eſt poſſibile venire in cognitionem Trinitatis, & aliorum articulorum difficillimorum, vt eſt myſterium Incarnationis, & ſimilium; tamen præmiſſo lumine fidei laborando, fortaſſe non eſſet impoſſibile reperire aliquas rationes neceſſarias iuxta illud Eſaiæ allatum, *niſi credideritis non intelligetis*. quaſi dicat, ſi credideritis, intelligetis. Vnde articulus de vnitate Dei videmus eſſe clarè probatum contra pluralitatem Deorum, quę inualuerat in Mundo, vt demonſtratiuè ſit concluſa. Vel poſſumus dicere non eſſe inutile laborare in quęrendo rationes pro articulis fidei, quia licèt non poſſint demonſtratiuè probari, poſſunt tamen rationes multæ probabiles valdè adduci, quibus ipſi articuli perſuadeãtur, licèt non demonſtrentur. Nam neque etiam omnes concluſiones Philoſophicæ demonſtratiuè probantur. Vnde videmus eſſe tot contentiones inter Philoſophos. Adde eſſe quodammodo impoſſibile probare articulos fidei non includere repugnantiam, niſi aliquo modo probetur eſſe poſſibiles.

48 Quod ſi dicas, ſiquis demonſtratiuè probaret articulos fidei, amitteret meritum fidei. Reſpondetur ex Scoto in 3. diſt. 24. in reſponſione ad primum, & ſecundum principale, quod ſic ſciens non amitteret meritum fidei, quia iam haberet habitum fidei, quo crederet ſi non haberet ſcientiam; Quia autem ſcientia ſuperuenit, ceſſat per medium fidei cognoſcere, & cognoſcit per medium ſciẽtiæ: ideo non ſequitur, quod ceſſet meritum fidei, licèt per illum habitum actu non crederet; quia crederet per illum, niſi ſcientia ſuperueniſset; vt patet de duobus Apoſtolis Petro, & Ioanne, qui viderunt Chriſtum crucifigi, & tamen ille eſt articulus fidei; cum ergo vnus ſit habitus fidei omnium articulorum, dicendum eſt etiam illos Apoſtolos de illo arti-

Cognoſcẽs articulum fidei aliter quam per fidem nõ amittit meritum fidei.

articulo habuiſſe fidei habitum, ſed illum tunc in illis non habuiſſe actum, quia ſuperueniente viſione, quæ eſt medium alterum cauſans to taliter eundem effectum, ille effectus cognoſcendi non potuit prouenire ab habitu fidei.

49 Secunda ratio D. Thomæ reijcitur à Scoto: quia non eſt periculoſum quantum ad infideles tentare demonſtrare articulos fidei: quia ſi rationes neceſſariæ poſſent haberi, patet hoc fore vtile: quia conuincerentur infideles; ſi autem rationes neceſſariæ haberi non poſſunt, habeantur autem rationes ad probandum poſſibilitatem articuli, etiam eſſet vtile illas adducere contra infidelem: Quia per hoc aliqualiter perſuaderetur infidelis, ne reſiſteret talibus creditis, ſicut impoſſibilibus. Adducere tamen ſophyſmata pro demonſtrationibus periculoſum eſſet apud infideles; quia tunc fides exponeretur deriſioni, & ita eſt in omni materia alia, vt in geometria &c. nam melius eſt ignorantem ſe ſcire ignorare, quàm propter ſophyſmata opinari ſe ſcire. *Reijcitur ſecunda ratio D. Thomæ.*

50 Redeundo ad principalem difficultatem omnes conueniunt non poſſe viribus puris naturalibus creaturam rationalem cognoſcere myſterium Trinitatis. Scotus autem inter alios Theologos hoc explicat diffusè quolib. 14. cuius doctrinam cap. ſequenti explicabimus. Ideo ad ea quæ adducta ſunt cap. præcedenti ex ipſis eſt dicendum quod Gentiles, qui de myſterijs fidei locuti ſunt, in duplici differentia ſunt. Quidam non explicant diſtinctè ipſa myſteria fidei, ſed aliquo modo illa tangunt, vt patet de Zoroaſtre, Mercurio Triſmegiſto, Orphæo, & Platonicis, qui myſterium Trinitatis quadam ſub vmbra tetigiſse videntur. Quidam verò diſtinctè myſteria fidei noſtræ explicarũt, vt patet de Sibyllis, quæ Carminibus expreſſis incarnationem, mortem, paſſionem, iudicium vltimum, & multa explicauerunt. Idem de Iob, de Balaam, & ſimilibus, qui de Chriſto Domino Prophetauerunt vera. De primis poſſet dici cum Diuo Thoma, & alijs in principio huius capitis adductis eos illa dixiſſe ex quibuſdam rationibus naturalibus, quod non eſt impoſſibile: quia non eſt cognitio clara myſterij Trinitatis, & aliorum ſed obſcura, & illi ad ea aſſerta comprobanda quaſdam rationes naturales adduxerunt, quæcunque illæ ſint: ſed de ſecundis hoc nullo modo dici poteſt. Ideo melius de vtriſque eſt dicendum, quod id habuerunt ex reuelatione diuina. Non quidem quod Deus ſemper illis immediatè fecerit hãc reuelationem, ſed quia ſi non habuerunt illam immediatè à Deo, vt Sancti Prophetæ, habuerunt illam ex prædicatione, & ſcripturis Prophetarum; & hoc maximè verum eſt de ſecundis. Hoc apertè tradit D. Thomas. 2.2. quæſt. 2. art. 7. ad tertium quod comprobat exemplo Iob, & aliorũ, & idem

Gentiles non potuerunt cognoſcere myſteria fidei lumine naturali puro.

Philoſophi, & Gẽtiles q. de myſterijs fidei locuti ſunt, duplicis generis ſunt.

Prima reſponſio.

Philoſophi, et Gẽtiles habuerũt ex reuelatione cognitionem q̃ de myſterijs fidei tradiderunt, & quo modò ex reuelatione habuerint.

habet Alenſis vbi ſupra prima parte quæſt.2.m.1.art.3.ad 2.& idem alij dicunt, vel ſupponunt. Et hoc ante illos aſſeruit D. Auguſtinus lib.1.de conſenſu Euangeliſtarum cap.20.Vbi loquens de Sibyllis, & alijs vatis Gentilium, quæ myſteria de Chriſto Domino pronuntiarunt, habet hæc verba. *Omitto enim dicere, quod ea, quæ in illorum libris leguntur pro noſtra, hoc eſt, Chriſtiana Religione teſtimonium dicunt, quod à Sanctis Angelis, & ab ipſis noſtris Prophetis audire potuerunt, ſicut & præſertim in carne Chriſtum etiam Dæmonia coacta ſunt confiteri.*

Alia reſponſio probabiliſſima.

51 Verùm etſi indubitatum ſit, quod ait Diuus Auguſtinus hæc myſteria Gentiles potuiſſe didicere ex reuelatione Angelorum Sanctorum, & ex Prophetis: tamen videtur certum eſſe Zoroaſtrum, & Triſmegiſtum præceſſiſſe Prophetas, vnde ab illis non potuerunt didicere ea, quæ ſcripſerunt. Poſſumus ergo dicere cum Eugubino in libro ſuæ perennis Philoſophiæ notitiam myſteriorum noſtræ fidei Chriſtianæ ad gentiles perueniſſe per reuelationem factam Adæ à Deo, & ab Adam deinde per traditionē ad poſteros deueniſſe vſque ad Accademicos, & ad Platonicos, ſed ſemper quo magis à fonte primo Adam elongabatur magis impuram, & pluribus implicatam erroribus; ita quod tandem vltimi Gentiles vix vmbram diuinorum myſteriorum attigerint. Nam cum Adam perfectiſſima cognitione Dei Angelorum, totius Mundi rerum contentarum in ipſo, creationis ſui ipſius, ſui vltimi finis, fœlicitatis, pœnæ æternæ, & aliorum myſteriorum diuinorum, & humanorum in ſua creatione repletus fuerit; quippe qui vidit Deum, eius præſentia, & colloquio dignus fuit, atque hæc omnia noſtra myſteria fidei Chriſtianæ, vel ipſe quaſi viderit, vel ex ore Dei intellexerit non eſt veriſimile tantarum rerum memoriam poſteris non reliquiſſe. Vixit autem Adam mille annos demptis ſexaginta, quo tempore innumerabiles homines licèt pauci numerentur, neceſſe eſt fuiſſe procreatos, qui Adam ipſum Patrem generationis humanæ viderūt; & hæc myſteria ab eo audierunt, quæ alijs ſuis poſteris tradidiſſe vſque ad diluuiū credibile eſt. Noe aūt qui diluuiū plus quingentis annis præceſſit, & multis annis cum Matuſalem verſatus fuit, & poſt diluuium trecentis annis vixit, hæc ſimiliter nouiſſe, & eadem poſteris ſuis tradidiſſe potuit. Antequam autem Noe moreretur natus eſt Abraham, vt patet ex Cronico Euſebij: Nam Abraham natus eſt anno Mundi. 3185.& Noe mortuus eſt anno Mūdi. 3253.ita quod Abraham erat annorum 69.quando Noe mortuus eſt. Cum ergo Abraham eſſet Deo gratiſſimus, & futurus eſset princeps ſelecti populi Dei, omnia iſta optimè potuit ſcire, & poſteris tradere, & ea ſcriptis mandare ſincerè, & purè; Hinc factum eſſe potuit, vt etiam ab Abraham ad alias gentes quoque iſta peruenirent,

Ab Adam per traditionem cognitionem myſteriorum fidei perueniſſe ad Philoſophos, ſed impurā.

ſed

ſed cum terrenis cupiditatibus, curiſque mortalibus occuparentur, peruenerunt quidem, ſed vt ſolet euenire cum veritas à ſuo fonte dilongatur, minus acuratè, & multorum errorum admixtione. Vnde ſincera veritas horum myſteriorum eſt obliterata, & ſola falſa quædā atque obſcura imago veritatis fabuloſis vulgi rumoribus ſimilis, per omnes gentes dimanauit. Nationes tamen illæ, quæ priores fuerunt natæ, & in quorum terris res geſtæ ſunt, horum myſteriorum clariora monimenta retinuerunt; quæ verò magis remotè pauciora, & cum pluribus mendatijs admixta. Hinc eſt, quod plura, & clariora de iſtis myſterijs habemus apud Chaldęos, vt apud Sibyllā Ærithreā dictam, quæ Chaldęa, ſeu Perſica fuit, vt ferunt. Nam iſta myſteria Theologię noſtræ Trinitatis, & præſertim Incarnationis Verbi Dei, mortis eius, extremi iudicij, vitæ futuræ immortalis, & pœnæ æternæ damnādorum adeò clarè explicauit, vt ſupra vidimus quod tempore Euangelij nata fuiſſe videtur. A Chaldęis ad Ægyptios hæc reuelatio peruenit, ſed magis obſcura, immo pluribus erroribus aſperſa, & præſertim idolatriæ admixta. Vnde Moyſes, vt gentem Hebræā ab hac Ægyptiorum impietate auerteret, ſcripſit Geneſim, & alios libros, ac veritatem ipſam ſinceram in lucem edidit, vt pura perſeueraret, & conſeruaretur. Quod etiam faſſus eſt Strabo lib. 16. ſuæ Geographiæ, vt ſupra retulimus. Tandem ab Ægyptijs ad Græcos, & denique ad Platonem, & Accademicos peruenit notitia horum myſteriorum diuinorum, ſed adhuc minus pura, & fabulis pluribus ſimilis; quo factum eſt vt Philoſophi poſteriores, vt Ariſtoteles, & eius ſectatores Accademicorum doctrina ſpreta de rebus diuinis, & humanis alia via Philoſophari cœperint: nimirum ſpreta traditione antiquorum viribus luminis naturalis ſolis de ijs diſquirendo, & docendo; & proinde alia multa dogmata diuerſa tradiderunt de omnibus rebus diuinis, & humanis, vt eſt videre in eorum operibus.

Sibylla Ærithrea vnde cognitionem myſteriorum fidei noſtræ habere potuerit tam claram.

Cōfeſſio Strabonis.

52 Vnde hæc ſit firma concluſio, & reſponſio ſolida ad rationes adductas ſuperiori capite, quidquid veteres Accademici, & alij antiquiores ſcripſerunt, & intellexerunt de noſtris myſterijs ea ex reuelatione à primo parente Adam per ſucceſſiones, & traditiones cōtinuas accepiſſe; ſed tandem ita admixta erroribus ad poſteriores perueniſſe, vt nullam rectam intelligibilitatem habeant niſi ex iam reuelato Euangelio, & Theologia noſtra explicentur.

Ad rationes & teſtimonia adducta ſuperiori capite vera reſponſio.

53 Sed aliquis dicet quomodo potuerunt Sibyllæ, & Philoſophi illi antiqui, vt Zoroaſter, quos Magos fuiſſe conſtat, & Idolatras, & Sacerdotes, & Vates Dæmonum. Sibyllæ enim erant vates, & ſagæ Deorum falſorum illa nouiſſe de Chriſto, cum conſtet, quod deinde errabant in fide, & non colebant verum Deū, ſed idola, & dæmones?

Cur Sibyllæ cū cognouerint Chriſtū nō coluerint verum Deū.

T 3 (Diuus

(Diuus tamen Auguſtinus vbi ſupra dicit illam Sibyllam quæ tã præclara prædixit fortaſſe pertinere ad Ciuitatem Dei, ſed quidquid ſit cum Marcus Varro Gentilis, & non Sacra ſcriptura videtur dicendũ fuiſſe idolatras.)

Solutio. Apoſtolus ad Rom. 1

Reſpondetur. Hoc eſſe fortaſſe illud, quod ait Apoſtolus ad Romanos 1. cum loquens de Philoſophis gentium, & eorum Sapientibus dixit. *Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor eorum inſipiens: dicentes ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum, &c.* Certũ eſt Balaam habuiſſe cognitionem veri Dei, vt patet ex ijs, quæ diximus ſupra ex libro Numeri, & tamen erat idolatra: ideo puto dicendum accidiſſe Sibyllis, Zoroaſtro, & alijs prioribus Sapientibus, & Philoſophis, quod accidit inter Chriſtianos magicæ artis, & incantationibus incumbentibus. Hi enim cum ſint Chriſtiani cognoſcunt Deum verũ, & Chriſtum Dominum eſſe adorandum, & colendum; ipſi tamen vt ſuis deſiderijs ſatisfaciant ſemper verum cultum Deo ſoli debitum impendunt dæmonibus, & à vero Deo auertunt ſe renuntiantes Baptiſmo, Sacramentis, & ſe Diabolo vouentes, & illum vt Deum adorantes. Sic Sibyllæ, & Magi illi Sapientes, qui veram cognitionẽ Dei habentes, tamen ob deſideria, vt Balaam propter auaritiam, idolatrię, & ſeruituti dæmonum ſe ſe mancipabant; & licèt Deum verum cognoſcerent, nõ tamen vt Deum glorificauerunt, & ſic damnati ſunt; & idolatria, & falſa Religio paulatim inualuit. Vnde niſi fuiſſet veritas ſcripta in veteri teſtamento, & poſtmodum in Euangelio iuxta illud Pauli ad Romanos 1. *ex fide in fidem*, vera cognitio Dei viui obliterata fuiſſet; vt ergo illa ſincerè haberetur, voluit Deus non ſolũ per Prophetas, & Sanctos ſuos illam notificari Mundo, ſed coegit dæmones ipſos, & eorum adoratores ipſam quandoque prædicare, & explanare, vt ſic credentes verum Deum, & eum non glorificantes, vt decet, eſſent ineſcuſabiles, & fideles etiam ex inimicis veræ fidei teſtimonium veritatis haberent.

Balaam habuit cognitionẽ veri Dei, & tamẽ fuit idolatra.

Sibylla, & alii antiqui fuerunt ſimiles profeſſoribus artis magicę iter chriſtianos.

Ex dictis patere poteſt ob quam cauſam antiqui Patres Eccleſiæ magis commendauerint doctrinam Platonis, Stoicorum, & Philoſophorum antiquorũ; Ariſtotelem verò deſpexerint, vt eſt videre apud D. Hieronymum, in Epiſtola ad Dioſcorum, & libro de vera Religione, Gregorium Nazianzenum in inſtitutione hominis Theologi; Epiphanium libro contra hæreſes, Tertulianum libro de proſcriptione aduerſus hæreſes, & alios, ſed prætertim apud D. Auguſtinum libro 8. de Ciuit. Dei per multa cap. pręſertim vero cap. 9. & 12. Cum

enim

enim Plato, & alij antiquiores dogmata Catholica præcipua vt vidimus confeſſi fuerint, licèt admixta erroribus, & præſertim cum aſſeruerint finem boni eſſe viuere ſecundum virtutem, atque Philoſophari eſſe amare Deum, Deum eſſe incorporeum, effectorem omnium; immortalem eſſe animam hominis, & ſimilia, quæ vidimus eſſe conformia fidei noſtræ; Et ex aduerſo Ariſtoteles poſuerit æternitatem Mundi, impugnauerit Platonem quo ad Mundi generationem, de animæ rationalis immortalitati anceps fuerit, de beatitudine hominis in altera vita nihil dixerit, prouidentiam Dei non agnouerit, de generatione æterni Verbi Dei nec tantilum inſinuauerit, & ſimilia, quæ apertè fidei noſtræ repugnat, ſatius duxerunt in primitiua Eccleſia Platonem comendare qui fidei myſterijs quoquo modo faciebat, quā Ariſtotelem qui omninò illis aduerſabatur. Verùm cum doctrina fidei robuſtior euaſit Theologi agnoſcentes errores Platonis, de quo Tertulianus non timuit in libro de Anima proferre illa verba. *Doleo bona fide Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum*, & aliarum ſectarum, & conſiderantes errores Ariſtotelis eſſe manifeſtos, nec ita facilè incautos poſſe decipere; cætera verò in quibus non errauit tàm de Deo, quàm de alijs rebus egregia eſſe: Atque ex doctrina huius viri quē D. Auguſtinus eodem 8. lib. de Ciuitate Dei cap. 12. hominem excellentis ingenij, licèt imparem Platoni vocauit, optimè diſcerni poſſe quouſque lumen naturæ ſe ſe extollat, & vbi diuina reuelatio vera incipiat, Ariſtotelē celebrare Platonē, & alios antiquos deſpicere cœperunt, & iungendo ea quæ lumine naturæ Ariſtoteles cognouit doctrinæ reuelatæ non paruam vtilitatem Eccleſiæ attulerunt in declarandis myſterijs fidei fidelibus confirmandis, Gentilibus docendis, & hæreticis confutandis. Vt patet præſertim in myſterijs Trinitatis, & Incarnationis.

Atque hoc modo Eccleſia Catholica, & Doctores eius incedendo, vt optimè notauit D. Auguſtinus eodem lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 9. per regulam Apoſtolicam ad Coloſſ. 2. *Cauete ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem ſeductionem ſecundum traditionem hominum, & elementa Mundi, & non ſecundum Chriſtum*, errores Philoſophorum deſpexerunt; Et per alteram regulam ad Rom. 1. *Quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit, inuiſibilia enim eius à conſtitutione Mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur ſempiterna quoque eius virtus & Diuinitas*, eorum doctrinam ſanam lumine naturali procedentem maximè Ariſtotelis complexi ſunt. Gratia enim non deſtruit, ſed perficit naturam; Euangelium, & Sacra ſcriptura eſt gratia, quæ iuncta lumini naturali à Deo naturæ humanæ inſerto altiora ad quæ ipſum lumen naturale peruenire non

potuit, nec poteſt, docet, & vbi propter eius imbecillitatem errauit, correxit, & corrigit.

Quod non intelligentes noſtrorum temporum miſeri nouatores Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, omnem Philoſophiam ſpeculatiuam, & practicam altè deſpiciunt, irrident, & poſthabent; & ſicut lumen ſupernaturalis reuelationis, quod eſt lumen fidei Chriſtianæ peruertere tentant, ſic lumen naturæ labefectare contendunt; aduerſus Ariſtotelem, Platonem, & Philoſophos eorum ſectatores, & interpretes debachantur, eos Sophiſticos appellantes; Quaſi lumen naturæ non ſit à Deo, & quidquid Philoſophi eo ducti dixerunt, error ſit; cum tamen Apoſtolus ad Romanos eodem loco apertè dicat *Irã Dei reuelari ſuper* Philoſophos, *qui veritatem Dei in iuſtitia detinent, & cum Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerint*. Ex quo teſtimonio veritatem aliquam cum iniuſtitia Philoſophos habuiſſe clarè conſpicitur; Vnde cum omnis veritas ſit à Deo, neque hæc eſt deſpicienda in Philoſophis. Sed habeant cæci nouatores pro vera ſapientia humaniores quas vocant litteras, Poetas, & Ethnicos authores quorum dictis ſcripta ſua muniunt doctrina vacuuos; Nos interim iuxta regulas Apoſtolicas ex Philoſophis veritates certas libenter depromimus, & errores abijcimus.

Opinio Scoti cur homo viribus naturalibus non poſſit cognoſcere Trinitatem, & myſteria diuina pro hoc ſtatu & rationes Raimundi Lulli confutantur, & explicatur artic. 1. quaſt. 14. quolibetalis in quo diſſeritur de cognitione naturali hominis & Angeli. Caput Tertium.

54 Scotus in quæſt. 14. quolibetali diffusè agit de cognitione, quam homo ex viribus ſuis naturalibus habere poteſt de myſterio Trinitatis, & alijs ſupernaturalibus non ſolum pro ſtatu iſto, ſed etiã pro ſtatu beatitudinis non ex vi beatificæ cognitionis, ſed ex viribus naturæ ſolis, & idem ſimul tractat de Angelis, ideo hic eam breuius, & facilius quam fieri poſſit explicare decreui, quia eſt repleta magna eruditione, quæ ad multas materias inſeruit.

55 Diuiditur igitur iſta quæſtio in tres articulos. In primo agit de cognitione, quam homo ex viribus naturalibus habere poteſt de Trinitate, & alijs myſterijs ſupernaturalibus pro hoc ſtatu, quæ eſt imperfecta. In ſecundo de cognitione perfecta immediata, quam viribus naturalibus habere poterit homo de eiſdem myſterijs in patria extra beatitudinem. In tertio agit de cognitione mediata, ſeu habita in aliquo obiecto medio in quocunque ſtatu.

56 Pro cognitione terminorum eſt obſeruandum quod vires naturæ

turæ humanæ poſſunt conſiderari duobus modis. Vno modo quatenus ſunt vires naturæ habentis perfectionem naturalem ſibi requiſitam ex naturæ neceſſitate. Alio modo ſecundum perfectionem ſupremam naturalem, quam habere poteſt. Nam anima humana, licèt in quocunque ſtatu ſiue naturæ inſtitutæ, ſiue deſtitutæ, ſiue reſtitutæ habeat eandem perfectionem naturalem, quam ex neceſſitate naturæ requirit; tamen in primo, & ſecundo ſtatu non habet ſupremam perfectionem, quam habere poteſt, ſed illam ſolum habet in tertio ſtatu ſcilicet beatitudinis, in quo non ſolum habebit perfectionem naturalem, quæ eſt beatifica, ſed etiam ſupremam ipſius naturæ, quam nec in ſtatu naturæ conditæ, neque in hoc ſecundo ſtatu ſcilicet naturæ corruptæ attingit. Quæſtio ergo iſta tractatur à Scoto ſecundum vires, & perfectionem naturæ, quam ſemper habet, & hoc in primo articulo, & de viribus, ac perfectione ſuprema naturali, ad quã in patria erit reducta, & hoc in 2. articulo. Principaliter autem tractabitur in hoc ſecundo art. an natura ad ſupremam naturalem perfectionem redacta poſſit ſuis viribus cognoſcere Trinitatem diuinarũ perſonarum, & hoc idem de Angelis. *Duplex perfectio naturalis in anima rationali*

57 Secundò, obſeruandum eſt, quod cum anima in noſtra intellectione duplici modo concurrat ſcilicet paſſiuè recipiendo intellectionem de obiecto, & actiuè producendo, & efficiendo intellectionem in nobis, vt aliás dictũ eſt, quæſtio poteſt intelligi vtroque modo. Sed de paſſiuitate nulla eſt difficultas; ideo reſpondet Scotus affirmatiuè ſcilicet animam ipſam poſſe recipere cognitionem myſterij Trinitatis naturaliter. Probat; quia intellectus poſſibilis eſt potentia propria receptiua cuiuſcunque intellectionis, ita quod licèt requiratur aliquod preuium intellectioni, non tamen requiritur tanquam potentia receptiua, vel ratio recipiendi, vt eſt ſuperficies reſpectu colorum; ſed requiritur propter actiuitatem ipſius animæ ſcilicet tãquam inſtrumentum adiuuans animam ad eliciendum illam viſionem, vt eſt lumẽ gloriæ, de quo diximus in 3. diſt. 14. ideo quodcunque ens, ꝙ habet in natura ſua intellectũ poſſibilẽ, põt ex natura ſua cognoſcere quodcũque cognoſcibile, hoc eſt recipere cognitionẽ eius quantũ eſt ex parte ſui. *Secundum notabile.* *Intellectus ex puris naturalibus viribus poteſt recipere cognitionẽ myſterij Trinitatis.*

58 Tertiò, obſeruandum eſt quæſtionem intelligi de cognitione perfecta non ratione intenſionis, ſed ratione obiecti, quæ ſcilicet attingit obiectum ſub ratione propria, & diſtincta ſuæ cognoſcibilitatis, & contradiſtinguitur ab imperfecta, quæ eſt illa, qua obiectum attingitur tantum per accidens, vel ſolum in aliquo conceptu communi, vel confuſo. Ita quod ſenſus eſt. An anima rationalis ex viribus ſuis naturalibus poſſit attingere cognitionem diſtinctam, & perfectam ſub proprio conceptu Dei Trini, & vnius. *Tertium notabile.*

Vlti-

Digitized by Google

Quartũ nota bile.

59 Vltimò. Cognitio de Trinitate poteſt eſſe duplex. Altera immediata, altera mediata. Immediata eſt, quæ attingit obiectum ipſum in ſe abſque vllo medio, in quo cognoſcatur, ſiue abſque medio cognito, non tñ abſque medio, quod ſit ratio cognoſcendi, vel intelligẽdi præcisè. Mediata eſt, quæ habetur in aliquo alio obiecto, quo cognito cognoſcatur, & intelligatur per ſe Deus Trinus. Quæſtio tractatur in primo art. de cognitione imperfecta: in 2. articulo de cognitione perfecta immediata; in 3. articulo de cognitione mediata; & ſemper eſt ſermo de cognitione perfecta, & diſtincta, vt dictum eſt.

Prima conclusio.

60 His explicatis Scotus in primo articulo huius quæſtionis ponit quatuor concluſiones. prima eſt. Homo pro iſto ſtatu poteſt habere cognitionem imperfectam de terminis ſimplicibus iſtis. Deus, & trinus; non autem perfectam. declaratur concluſio; & primò de hoc termino Deus. Nam prima operatio intellectus ex Ariſt. 3. de anima tex. 21. eſt ſimplicium apprehenſio: poteſt autem intellectus in apprehenſione cuiuſcunque ſimplicis termini apprehendere illum ſub proprio, & diſtincto conceptu, vel ſub conceptu communi, vt apprehendere hominem ſub ratione communi entis, vel ſubſtantiæ, & apprehendere illum ſub ratione propria, rationalis. Ita hic terminus, Deus, poteſt concipi ſub ratione communi, & ſub ratione propria, & diſtincta illi ſoli, quatenus eſt Deus, conueniente. Quod poſſit concipi ſub ratione communi probatur. Quia cum Deus conueniat cum creaturis in conceptibus traſcendentibus, vt diximus in primo diſt. 3. quæſt. 1. cum Scoto, vt in ente, vero, & bono: Deus enim eſt ens, eſt verus, eſt bonus, quando intellectus à creaturis cognitis abſtrahit hos conceptus tranſcendentes ſub illis, concipit etiam Deum in confuſo, ſicut qui apprehendit, & cognoſcit animal, apprehendit quoque hominem, ſed ſub ratione confuſa, & communi tantum; cum autem tale tranſcendens in communi intelligitur ſub ratione alicuius ſpecialioris perfectionis, vt ſub ratione ſummi, vel infiniti, habetur conceptus proprius Dei, licèt non ſit conceptus explicans Deum ſub propria ratione, qua Deus, & hæc eſſentia, vt diximus etiam in primo diſt. 3. quæſt. 1. conclu. 4. & ſequentibus; ſed dicitur proprius Dei; quia ſoli Deo, non alicui creaturæ cõpetit; qui à noſtris ſolet dici conceptus proprius ſumptus ex communibus, non autem conceptus proprius ſumptus ex proprijs, de quo hìc loquimur, quando querimus an anima poſſit habere diſtinctam, & propriam cognitionem Trinitatis. Vnde ſi quis concipiat conceptus omnium perfectionum ſimpliciter in ſummo, vt ſi quis concipiat ſummam bonitatem, ſummam ſapientiam, ens infinitum, habebit conceptum proprium Dei ſumptum ex communibus, & hic erit perfectior conceptus, qui poſſit haberi de Deo pro hoc ſtatu,

Quam cognitionem habere poſſit homo de Deo trino pro hoc ſtatu.

Prima aſſertio declaratur.

Digitized by Google

ſtatu, vt dixit etiam Scotus in primo diſtinct. 3. quæſtio. 1. concluſ. quarta.

61 Confirmat hanc aſſertionem Scotus ex doctrina Diui Auguſtini. Nam 8. de Trinitate cap. 3. docet hoc modo veniendum eſſe in cognitionem Dei, ait enim. *Ecce iterum vide ſi potes, non amas certè niſi bonum, quia bona eſt terra altitudine montium, & temperamento colliũ, & planitie camporum; & bonum prædium, amenum, ac fertile; & bona domus, &c. & bonum carmen canorum numeris, & ſententijs graue. Quid plura, & plura? bonum hoc, & bonum illud. tolle hoc, & illud, & videbis ipſum bonum, ſi potes, & ita videbis Deum, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni.* Videmus enim Diuum Auguſtinum in hac argumentatione procedere à bono particulari reperto in quacunque creatura particulari ad abſtractionem boni in communi; deinde abſtrahendo bonum à bonis particularibus, & conſiderando ipſum ſecũdum eſſentiam, & diſtinctum à bonis per participationem, dicere ipſum eſſe Deum. Vnde eodem capite paulò infra habet hæc verba. *Cum itaque audis bonum hoc, & bonum illud, quæ poſſunt alias dici etiam non bona, ſi potueris ſine illis, quæ participatione boni bona ſunt:* perſpicere ipſũ bonum, cuius participatione bona ſunt: *ſimul enim & ipſum intelligis, cum audis hoc, & illud bonum; ſi ergo potueris illis detractis per te, ipſum perſpicere bonum, perſpexeris Deum.* Concludit ergo Scotus, quod ad cognitionem huiuſmodi de Deo ſcilicet in conceptu communi confuſo, vt quod Deus eſt ens, verum, bonum; & in conceptu proprio ſed deſumpto ex conceptibus communibus Deo, & creaturæ per conſiderationem illorum in ſummo, poteſt anima rationalis viribus naturalibus peruenire pro hoc ſtatu, & ſic habere cognitionem ſimplicem iſtius termini Deus. & de hac aſſertione nulla eſt dubitatio.

62 Hoc idem dicẽdum eſt de termino, Trinus, abſtrahendo enim ab hoc vel illo numero diſcreto rationem ternarij in communi concipimus quid ſit ternarius; ſicut abſtrahendo ab hoc, & illo bono rationem boni cognoſcimus, & videmus quid ſit bonum in ſe. Ex his concludit Scotus, quod anima ex puris naturalibus etiam pro hoc ſtatu poteſt aſcendere, & attingere cognitionem Dei Trini, & myſterij Trinitatis quantum ad apprehenſionem ſimplicem terminorum. Quæ tamen eſt imperfecta cognitio, abſolutè loquendo, quia non eſt cognitio iſtius termini Deus ſecundum eius propriam rationem, qua eſt Deus, & hæc eſſentia; ſed dicitur propria, quia non conuenit creaturis, ſed ſoli Deo, vt ſupra dicebamus.

63 Hæc concluſio probatur tribus rationibus à Scoto, licèt ſit per ſe clara. Prima eſt. fidelis, & infidelis contradicentes ſibi de hac propoſitione Deus eſt vnus, & trinus, non tantum contradicunt ſibi de no- 1. Ratio pro allata cõcluſione.

de no-

de nominibus, ſed de conceptibus; ſed hoc fieri non poſſet, niſi vterque haberet in intellectu ſuo conceptum terminorum.

2. Ratio. 64 Secundò, fides, quæ diſtinguit fidelem ab infideli, non docet terminos, ſed præſupponit notitiam terminorum; ergo neceſſe eſt, quod homo ex viribus proprijs poſſit cognoſcere, & de facto cognoſcat naturaliter hos terminos Deus, & trinus, alioquin per fidem non poſſet cognoſcere complexionem illorum terminorum Deus eſt trinus, & vnus, eſſe veram. Antecedens patet, quia fides non eſt habitus inclinans ad aſſentiendum propoſitioni creditæ ex ſimplici apprehenſione terminorũ, vt eſt intellectus, ſed ex reuelatione; ideo neceſſariò præſupponit cognitionem ſimplicem terminorum. Conſequentia eſt euidens: quia cognitio illorum terminorum non habetur ſupernaturaliter per fidem, ergo habetur naturaliter.

3. Ratio. 65 Tertiò, probatur, quia intellectus naturaliter cognoſcit hunc cõceptum, ens ſummum, bonum ſummum, non includere repugnantiam intelligibilitatis, nec deſtruere ſemetipſum, ſicut iſte, *homo irrationalis;* Quomodo Ariſtoteles loquitur de falſo 5. Met. tex. 34. Conceptus ergo iſte eſt intelligibilis naturaliter, ens ſummum, qui eſt conceptus Dei; & ideo hic conceptus poteſt vnico actu apprehendi, & concipi ab intellectu pro hoc ſtatu: ſimiliter iſte terminus, *trinus*, & ſic patet prima concluſio, quod loquendo de cognitione imperfecta ſimplici terminorum, hæc poteſt haberi naturaliter pro iſto ſtatu naturæ deſtitutę, qui eſt imperfectior inter illos tres, de Trinitate diuina.

Quid dicendum de cognitione complexa p hoc ſtatu. 66 Viſo quid ſit dicendum de cognitione ſimplici terminorum, accedit Scotus ad determinandum quid ſit dicendum de cognitione complexa, quæ pertinet ad ſecundam operationem intellectus, quæ eſt compoſitio, & diuiſio. Quantum ad hanc partem diſtinguit Scotus, quod cognitio, & notitia de complexione, ſeu propoſitione iſta. Deus eſt vnus, & trinus, poteſt eſſe triplex ſcilicet credulitatis, ſcientiæ propter quid, & ſcientiæ quia. Videndum eſt quænam iſtarum poſſit haberi de iſta propoſitione. Deus eſt vnus, & trinus. Ideo ponit

Secunda concluſio. hanc ſecundam concluſionem. Loquendo de notitia credulitatis ſaltem acquiſitę poteſt haberi etiam ex puris naturalibus ab homine pro hoc ſtatu notitia huius propoſitionis, Deus eſt vnus, & trinus (& hoc idem dicendum de alijs propoſitionibus de fide.) Hæc concluſio probatur. Viator audita, & intellecta communi doctrina Eccleſiæ de fide, & moribus poteſt illi firma credulitate ita aſſentire, vt apud eum ſit ſcientia euidens. Sed inter ea, quæ docet Eccleſia de fide, & moribus principale eſt articulus de Trinitate; ergo viator puris naturalibus poteſt attingere notitiam, quæ eſt credulitas de myſterio Trinitatis. Maior probatur à Scoto; quia ſecundum D. Auguſtinum 2. de

Ciui-

Ciuitate Dei cap.3.& 15.de Trinitate cap.12. credimus ea,quę remota ſunt à ſenſibus noſtris ex teſtimonio eorum, quos proprijs ſenſibus ea vidiſſe credimus. Credimus enim eſſe Oceanum indubitanter, credimus eſſe terras, & Vrbes, quæ clariſſima fama commendat, & tamen nec Oceanum, nec illas terras, & Vrbes vidimus, ſed ſolum ex teſtimonio aliorum, quibus indubitanter credimus, nouimus. *Abſit,* inquit, *vt ſcire nos negemus, quæ teſtimonio didicimus aliorum, alioquin neſcimus eſſe Oceanum, neſcimus eſſe terras, atque Vrbes, quæ celeberrima fama commendat*. Cum ergo ita firmiter iſta credimus, multo magis credere poſſumus, & debemus ea, quæ etſi nos non vidimus, nec videmus, tamen referuntur nobis à teſtibus multo magis dignis fide, & magis veracibus, quàm ij, à quibus didicimus Oceanum eſſe, &c. qui ſunt Eccleſia Catholica, quæ eſt communitas maximè verax: quia illa maximè veritatem commendat, & mendacium damnat.

Fides humana ex Diuo Auguſtino.

67 Confirmatur per illud Apoſtoli ad Rom. 10. vbi inquit *fides ex auditu* ſcilicet ſanæ doctrinæ Chriſti, de qua ſubdit *auditus autem per Verbum Chriſti*. Et de iſta etiam accipi poteſt illud D. Auguſtini contra Epiſtolam fundamenti cap.4. vel 3. *Ego Euangelio non crederem niſi me Eccleſiæ Catholicæ auctoritas compelleret*. Loquuntur enim iſtæ auctoritates de fide acquiſita.

68 Sed contra hanc aſſertionem Scoti eſt obiectio: Quia ex Diuo Auguſtino contra Pelagianos fides eſt donum Dei, & dicere oppoſitum eſt hæreſis Pelagiana; ergo falſum eſt viatorem pro hoc ſtatu viribus naturalibus poſſe habere fidem de Trinitate, & alijs myſterijs ſupernaturalibus.

Obiectio grauis, quod fides viribus naturalibus haberi non poſſit.

69 Ad hoc dubium patebit ex dicendis. Subiungit enim Scotus, quod vltra fidem acquiſitam habemus fidem infuſam, & ad illam habendam, licèt homo poſſit ſe diſponere ex viribus naturalibus (intellige cum influentia generali, quæ apud Scotum eſt gratia præueniens, quæ omnibus datur vt dixi in quarto agendo de contritione) non tamen ex natura ſua intrinſeca, neque etiam concurrentibus quibuſcunque cauſis naturaliter motiuis intellectus ad eam poteſt pertingere: quia illam ſolus Deus infundit.

Solutio.

70 Ex hoc patet ad dubium propoſitum. Nam fidem eſſe donum Dei contingit duobus modis. Vno modo accipiendo fidem pro aſſenſu fidei acquiſitæ: quod enim quis prædicanti fidem Chriſti aſſentiat, & credat quæ prædicantur eſſe vera eſt donum Dei, quia hic aſſenſus non habetur ſine gratia præueniente Dei, non autem habetur ex puris naturalibus viribus. Vnde cum D. Auguſtinus multo tempore tenuiſſet reliqua opera bona eſſe ex gratia præueniente, fidem autem eſſe ex viribus noſtris puri liberi arbitrij, hanc opinionem tandem retracta-

Quomodo fides ſit donū Dei.

tractauit,& confeſſus eſt etiam fidem eſſe donum Dei. Alio modo accipiendo fidem pro fide infuſa. Hæc enim eſt quæ eſt donum Dei,nō ſimplex fides acquiſita; quia fides acquiſita ſola poteſt eſſe fides,& credulitas mundana; ſicut eſt credulitas, quod Oceanus ſit, vt ſupra diximus, & vt eſt fides, quam habet hæreticus de ijs articulis fidei, quos credit, vt Scotus docet hìc, & obſeruauit quoque Molina 1. par. quæſt. 32. art. 1. Vnde fides quæ eſt in viatore Chriſtiano & eſt neceſſaria ad ſalutem, & ſine qua de lege ordinaria nemo poteſt placere Deo, eſt fides infuſa; non tamen ſola fides infuſa de lege ordinaria ſufficit, ſed requiritur quoque fides acquiſita. Et ratio eſt, quia nemo ex ſola fide infuſa poteſt de lege ordinaria exire in actum credendi. Vnde ſi puer baptizatus nutriretur inter infideles, & nullam haberet doctrinam de credendis nunquam exiret in actum credendi. Requiritur ergo vtraque fides acquiſita, & infuſa ad eliciendum actum credendi; & quando vtraque eſt in anima, vt contingit infideli, actus prouenit ab vtraque, & ſecundum inclinationem vtriuſque, & hæc eſt perfecta fides; & quando actus credendi elicitur ab vtraque eſt ſemper veriſſimus, nunquam falſus; quia fides infuſa non poteſt inclinare niſi ad actum verum; & licèt fides acquiſita quantum eſt ex ſe poſſit errare, tamen cum concurrit cum fide infuſa non poteſt errare; quia actus ad quem inclinat fides infuſa eſt determinatè verus, & eſt impoſſibile non eſſe verum; ideo licèt fides acquiſita quantum eſt ex ſe poſſit errare, non tamen cum concurrit ſimul cum fide infuſa.

Fides hæretici de articulis quos credit qualis ſit. Fides in viatore Chriſtiano neceſſaria quę ſit.

Fides acquiſita cum concurrit cū fide infuſa nō poteſt errare.

Triplex differentia inter fidem infuſā et acquiſitā. Prima differentia.

71 Vnde triplex eſt differentia inter fidem infuſam, & acquiſitã. Prima, quod fides infuſa nunquam poteſt exire in actum ſine fide acquiſita; fides autem acquiſita ſine fide infuſa maximè; vt ſupra dictũ eſt de puero baptizato, & nutrito in ſyluis, vel inter infideles. Ratio huius differentiæ eſt, quia fides infuſa inclinat ad credendum ea, quæ non habent euidentiam ex terminis, nec includit aliquam euidentiã connexionis terminorum; fides autem acquiſita licèt non habeat euidentiam ex terminis, tamen habet aliquam euidentiam nimirum per auditum, & per teſtimonium aſſerentium. Vnde res creditæ per fidẽ acquiſitam dicuntur eſſe aliquo modo præſentes per teſtimonium aliorum, quibus credimus. Secunda differentia eſt, quia fides infuſa ſemper inclinat ad actum verum, nunquam ad falſum: quia dirigitur lumine ſupernaturali, vt dictum eſt fides acquiſita quandoque poteſt eſſe falſa, quia innititur communiter teſti, qui poſſet deficere: frequenter tamen non ſubeſt ei falſum de facto, ſcilicet qñ innititur teſtimonio, cui non poteſt ſubeſſe falſum, vt eſt fides acquiſita Chriſtianorũ. Tertia differentia eſt quod per fidem acquiſitam cognoſcit quis ſe habere fidem, & habere actum credendi, per fidem infuſam nequaquam,

Secunda differentia.

Tertia differentia.

quam,

quam, vt probatum eſt ex dictis ad primam differentiam cum qua iſta ferè coincidit. Et confirmatur à Scoto; quia ſiquis cognoſceret ſe habere actum credendi ſecundum fidem infuſam, cognoſceret actum ſuum credendi eſſe verum: quia ſciret actum fidei infuſæ eſſe determinatè verùm: At nullus quantuncunque habeat vtranque fidem infuſam, & acquiſitam experitur ſe habere huiuſmodi actum credendi infallibiliter verum. Scimus ergo certè, quod fides infuſa inclinat ad actum infallibiliter verum; quis autem ſic per fidem infuſam tendat ad huiuſmodi actum infallibiliter verum, nemo, neque ipſe tendens cognoſcit certitudinaliter.

72 Sed contra hoc eſt auctoritas D. Auguſtini 13. de Trinitate cap. 1. *illud, quod credere iubemur, videre non poſſumus: ipſam tamen fidem quando eſt in nobis videmus in nobis.* Scotus dat duas reſponſiones. Secunda, & facilior eſt hæc, quod D. Auguſtinus ibi non loquitur de fide infuſa, ſed de actu credendi, qui eſt in nobis, hic autem oritur quoque à fide acquiſita, ideo per hunc actum, non poſſumus cognoſcere in nobis eſſe fidē infuſam, vel actum fidei infuſæ. Quod autē D. Aug. loquatur de actu credendi, patet; quia ibidem paulò infra inquit, *Aliquando rebus falſis accomodatur fides, hoc eſt actus credendi.* *Dubium.* *Solutio.*

73 Viſo quid ſit dicendum de notitia credulitatis accedit Scotus ad declarandum quid ſit dicendum de notitia, quæ eſt ſcientia; & primo de ſcientia, quia, & ponit hanc concluſionem, quæ eſt. Nemo ſcientia, quia in hoc ſtatu poteſt viribus naturalibus attingere cognitionem Trinitatis in diuinis. Hæc aſſertio probatur. Demonſtratio quia eſt qua per effectum, vel effectus deuenimus in cognitionem cauſæ. Si ergo demonſtratione quia nos poſſemus pro hoc ſtatu habere cognitionem Trinitatis, hoc eſſet per effectus productos à Deo ad extra. At hoc eſt impoſſibile; ergo Maior eſt euidens. Minor probatur. Effectus deducunt in cognitionem cauſæ ſecundum eam rationē ſecundum quam procedunt à cauſa; at effectus proueniunt à Deo vt eſt vnus non vt eſt trinus; ergo Maior patet: Quia effectus non deducit nos in cognitionem cauſæ niſi ſecundum eam rationem, quæ neceſſariò concurrit ad cauſandum, & qua circumſcripta non eſſet cauſa, non autem ſecundum eam rationem, qua circumſcripta adhuc eſſet cauſa: illam enim reſpicit accidentaliter, & quæ ſunt per accidens non veniunt in conſiderationem. Minor verò probatur: quia circumſcripta Trinitate per impoſſibile, & relicto vno ſuppoſito tantum. ſ. Patre in illo eſſet tota cauſalitas, quæ nunc eſt in tribus perſonis: quia in ea eſſet eſſentia, eſſet intellectus, & voluntas, & ſuppoſitū: & denique principium formale perfectū, vt diximus in 2. ſent. diſt. 1. q. 1. & quæſt. 8. quolib. ergo cauſalitas eſt à Deo vt eſt vnus, non autē trinus. *Quid dicendum de notitia quæ eſt ſcientia.* *Concluſio 3.*

Demum

Quarta concluſio. *Quid de ſciētia pp quid.*

74 Demum loquendo de ſcientia propter quid ponit quartam concluſionem, quæ eſt. Anima ex puris naturalibus non poteſt pro hoc ſtatu attingere ad ſciendum propter quid, Deum eſſe Trinum. Probatur. Notitia proprietatis ſubiecti non continetur virtualiter primo, & euidenter niſi in per ſe, & proprio cōceptu, & diffinitione ſubiecti illius proprietatis: ſed ſic eſt quod eſſe Trinum, & vnum eſt proprijſſimum ipſius Dei; ergo non poteſt ſciri ſcientia propter quid Deū eſſe Trinum, & vnum niſi habito conceptu, & diffinitione per ſe Dei. Subſumit: ſed ſic eſt quod de lege communi conceptus quidditatiuus proprius ipſius Dei non poteſt haberi pro hoc ſtatu de lege communi, vt viſum eſt in prima concluſione huius articuli, quæ fuit de ſimplici notitia terminorum; ergo pro hoc ſtatu non poteſt ſciri propter quid Deum eſſe vnum, & Trinum. Maior primi argumenti probatur. Quia ſi proprium ſcitur de ſuo ſubiecto, aut ſcitur de ipſo propriè, & per ſe concepto, & ſic patet veritas maioris. Aut ſcitur de ſubiecto concepto in vniuerſali, vel indiſtinctè; & tunc etiam propria paſſio neceſſariò ſcitur de illo per proprium conceptum, & quidditatem. Et ratio eſt: quia propria paſſio virtualiter continetur in proprio conceptu, & quidditate ſubiecti; ideo non poteſt vnquam ſciri propter quid, ſiue per cauſam, niſi per propriam diffinitionem ſubiecti; quia illa eſt cauſa proprietatis ipſius ſubiecti. Dat Scotus exemplum. Eſſe primam figurarum eſt paſſio circularis figuræ, quę cauſatur a quidditate circuli; ideo de nulla figura in communi accepta, ſeu de circulo in cōi vt figura accepto non poteſt ſciri niſi per diffinitionem circuli: quia illa proprietas pendet à diffinitione circuli tanquam a cauſa.

Proprietas ſubiecti non pōt ſciri niſi per diffinitionem ſubiecti cuius eſt.

Obiectiones Raimūdi Lulli adducuntur, & reijciuntur.

75 Verùm Raimundus Lullus apud Vaſquez p.p.diſp. 133. & Suarez p.p.lib. 1. de Trinitate cap. ij. vt hanc rationem fugeret adinuenit aliud genus demonſtrationis, quod ipſe appellat non propter quid, non quia, ſed æquiperantiæ, & hoc genere demonſtrationis aſſerit ſe demonſtrare Deum eſſe Trinum; ſed de rationibus eius nunc infra quid ſit dicendum oſtendam.

76 Confirmatur auctoritatibus Sacræ ſcripturæ Paulus 1. ad Corint. 2. inquit. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; ſapientiam vero non huius ſęculi, neque principium huius ſæculi, quam nemo principium huius ſæculi cognouit.* Et Matt. 10. cum Petrus dixiſſet. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* ſubiunxit Chriſtus. *caro, & ſanguis non reuelauit tibi ſed pater meus qui eſt in Cęlis.* & Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.* iſtæ enim auctoritates probant fidem eſſe donum Dei, neque viribus naturalibus quemquam eam aſſequi poſſe, ſed ſola reuelatione, & gratia Dei intrinſecus per fidem infuſam adiuuante.

In hac

Digitized by Google

77 In hac concluſione conueniunt omnes Doctores Scholaſtici, vt diximus ſuperiori cap. & Recentiores, Vaſquez p. p. diſp. 133. Molina p. p. quæſt. 32. art. 1. Suarez p. p. libr. 1. de Trinitate cap. ij. & alij. Obſeruandum eſt ex dictis non ſequi hoc myſterium Trinitatis eſſe contra naturalem rationem, vt nonnulli dixerunt ſenſiſſe Holkot in primo diſt. 3. licèt ibi non ita loquatur; ſed bene eſt aſſerendum eſſe ſupra rationem naturalem, & captum humanum. Nam quod tres perſonæ realiter diſtinctæ ſint in vna eſſentia numero, ita quod ſint vnũ indiuiduum numero, videtur quidem eſſe cõtra rationem naturalem: quia videmus perſonas creatas realiter diſtinctas eſſe etiam plura diſtincta numero, & plura indiuidua. At reuera non eſt contra rationem naturalem: quia non dicit repugnantiam, quod perſonæ, & ſuppoſita multiplicentur in eadem natura, & eſſentia; immò hoc maximè eſt proprium cuiuſcunque quidditatis creatę: quia eſt communicabilis vt quod, & vt quo; perſona vero, & ſuppoſitum eſt incommunicabile vt quod, & vt quo; vt declarauit Scotus in primo diſt. 2. quæſt. illa an cum vnitate eſſentiæ ſtare poſſit pluralitas perſonarum, & nos ibi in diſp. explicauimus.

Myſterium Trinitatis nõ eſt contra rationem naturalem, ſed ſupra.

78 Obſeruandum eſt ſecundò, Raimundum Lullum, vel vt alij dicunt Raimundum Lullium in quodam ſuo libro, quẽ vocat Apoſtrophen, & in alio libro, quem vocat de Demonſtratione æquiparantiæ, & in libro ſententiarum in principio, vt refert Gabriel Vaſquez p. p. diſp. 133. aſſeruiſſe, poſſe demonſtrari euidenter myſterium Trinitatis, ac fieri demonſtrationes, quæ euidenter conuincant Gentilẽ, & Maumethanum, ſi ſemel illas penetrare velit; atque ipſe nonnullas fecit in prædictis libris, quorum tres adducit Vaſquez, qui videtur legiſſe eos libros, quos tamen Suarez vbi ſupra inquit, ſe non potuiſſe reperire. Prima eſt hæc. Vbicunque eſt concordia, eſt etiam pluralitas: in diuina bonitate eſt concordia; ergo in diuinitate eſt pluralitas. Maiorem ſupponit veram. Minorem probat. Vbicunque eſt actus eſt concordia agentis, & acti in ipſo actu; in diuina autem bonitate eſt actus, quem ipſe appellat bonificare; ergo ibi eſt concordia bonificatiui, & bonificabilis cum actu bonificandi. Secunda demonſtratio eius apud Vaſquez illa eſſentia cenſetur eſſe in maioritate actionis, in qua ſufficit vnica actio, vnica paſſio, & vnicus actus (hanc maiorem explicat Vaſquez ſic. Hoc eſt, illa eſſentia eſt perfectiſſima in agendo, in qua tantùm reperitur vnicum agens, ſeu producens; vnicum productum, & vnicus actus) ponit exemplum vt bonificatiuum, bonificabile, & bonificare: ſed diuina eſſentia eſt in maioritate actionis; (exponit Vaſquez hoc eſt, perfectiſſima eſt in producendo;) ergo in illa ea tria tantùm eſſe debent. Maiorem huius demonſtrationis probat:

Raimundus Lullus.

Prima demonſtratio Lulli, ſed vana.

Secunda demonſtratio Lulli.

quia ſi in eadem eſſentia eſſent plures actiones, vna limitaret aliam, quod magnæ eſſet imperfectionis, ac proinde talis natura non eſſet in maioritate actionis.

Confirmatio. Confirmat hanc demonſtrationem alia ineptiori ſic. illa eſſentia nō eſt in maioritate diſtinctionis in qua eſt vnicus diſtinctiuus, generatiuus, & productiuus, vnicus etiam diſtinguibilis, generabilis, & producibilis, & vnicum diſtinguere, perſpirare, & amare. At diuina bonitas eſt in maioritate diſtinctionis; ergo in diuina bonitate illa tria ſufficiunt.

Tertia demonſtratio.

79 Tertia demonſtratio eius eſt apud eundem Vaſquez omne illud cōcedi debet in diuina bonitate per quod bonificatiuus eſt in maioritate actionis, & bonificabile in maioritate paſſionis (exponit Vaſquez hoc eſt, id tribuendum eſt Deo, quod habet perfectiorem modum producentis, & producti) hoc autem fit per paternitatem, & filiationem; ergo in Deo ratione actionis, & paſſionis (hoc eſt exponit Vaſquez, ratione producentis, & producti) eſt pater, & filius; quare hoc bonificatiuum eſt pater, bonificabile erit filius. Minorem probat. Quia perfectiſſimus modus producendi eſt patris reſpectu filij. Debere autem etiam eſſe Spiritum ſanctum in Deo probat: quia omne illud eſt concedendum in diuina bonitate, per quod bonificare eſt in maioritate actus (id eſt exponit Vaſquez per quod eſt perfectiſſimus actus bonificantis, & bonificabilis) hoc autem fit per amare; ergo in diuina bonitate concedendum eſt amare, quod appellamus Spiritum ſanctum. Minorem probat: quia bonificare ſine amare non eſſet infinitum, & proinde non eſſet in maioritate actus.

Doctrina Raimūdi Lulli indigna vt p manus hominum vagetur ob eius ineptiam.

Raimundus Lullus fuit Mercator Catelanus imperitus.

80 Hæ ſunt demonſtrationes Raimundi Lulli, quas ego adduxi, quia audiui quoſdam admirari doctrinam huius hominis, non autem quia exiſtimauerim eſſe alicuius momenti: reuera enim doctrina huius hominis indigna eſt, vt per manus hominum vagetur; cum nihil aliud ſit niſi coaceruatio ſtultarum aſſertionum; vt veriſſimum eſſe appareat, quod Emericus in Directorio Inquiſitorum parte 2. quæſt. 9. dixit. Aſſerit enim hunc Raimundum Lullum fuiſſe Mercatorem quendam Catelanum oriundum de ciuitate Maioricarum laicum, phantaſticum, imperitum, qui quamplures libros, nimirum viginti volumina edidit in vulgari Catalanico, quia totaliter ignorabat grammaticam, & dicebat hanc ſuam doctrinam accepiſſe a Chriſto Domino, quem dicebat ſibi apparuiſſe, crucifixum in quodam monte (putatur autem fuiſſe diabolum, qui in forma crucifixi ei apparuerit, & huiuſmodi doctrinam plenam erroribus, & ineptijs eum docuerit ad decipiendum ſimplices fideles) continebat autem pluſquam quingentos articulos (quorum centum adducit ibi Emericus) erroneos, id eſt

varijs

Digitized by Google

varijs gradibus in fide peccantes, vt habet Pegna in commentario illius quæſtionis, quæ eſt 34. neque enim omnes ſunt hæreſes, ſed plurimi ſunt imperitæ aſſertiones: ibi tamen non fit mentio de hac aſſertione, quod tenuerit poſſe demonſtrari Deum eſſe vnum, & Trinum, nec de his ſuis demonſtrationibus ſermo fit: habentur tamen ibi aliquæ propoſitiones, quæ in his ſuis demonſtrationibus aſſumuntur.

81 Cum ergo hic homo fuerit imperitus, & doctrinam ſeminàuerit plenam erroribus, quæ damnata fuit à Gregorio XI. cuius Bullam adducit Emericus 2. parte Directorij quæſt. 26. non eſt multum curandum de eo; & multo minus eſt mirandum ſi hæ ab eo putatæ demonſtrationes, neque etiam vllius probabilitatis, vel momenti ſint. Quod ex eo in primis liquet; quia inquit Vaſquez, quod Lullus ſupponit has demonſtrationes inniti lumine ſupernaturali, & tamen inquit eſſe efficaces ad conuincendum efficaciter Gentilem, & Maumethanum. Deinde quis non videt in prima demonſtratione, Maiorem illam aſſumptam ad probationem Minoris eſſe ineptam, inquit, vbicunque eſt actus, eſt concordia agentis, & acti in ipſo actu. Concordia enim non ponitur inter agens, & paſſum, ſeu actum, ſed inter agentes, & operantes; ideo ineptè dicitur quod vbicunque eſt actus eſt concordia agentis & acti in ipſo actu. Minor quoque eſt magis inepta: Quia bonificare in Deo non eſt actus, quo pater producit filium, ſed vel eſt actus productus ad extra communicando bonitatem ſuam creaturis. Vel eſt actus formalis, quo Deus eſt formaliter bonus, eo modo, quo dicimus album albificat, ſeu facit album: qui nō eſt actus productiuus, ſed formalis dans eſſe formale, non productum, & effectum.

Reiicitur prima demonſtratio.

82 In ſecunda etiam demonſtratione, niſi propoſitiones explicentur, vt explicat Vaſquez, ſunt inanes, & ineptę; ſed neque etiam explicatæ, vt explicat Vaſquez aliquid concludunt. Maior enim non facit ad rem; quia admiſſo, quod in illa eſſentia ſit vnicum producens, vnicum productum, & vnicus actus, non ſequitur in eſſentia illa eſſe Trinitatem perſonarum diuinarum eo modo, quo fides catholica docet; Quia in Trinitate ſunt duo producentes ſcilicet pater, & filius, & duo producti ſcilicet filius, & Spiritus ſanctus, & duo actus notionales ſcilicet generare, & ſpirare. Deinde qui negat productionem in diuinis, vt Gentilis, & Mahumetanus negaret illam maiorem, & dicere ſufficere ad hoc, vt aliqua eſſentia ſit in maioritate actionis, ſeu ſit per fectiſſima in agendo, ſufficere, quod res ad extra pendeant ab ipſo in eſſe, vel conſeruari. Præterea dicit patrem eſſe bonificatiuum, filium eſſe bonificabilem, & Spiritum ſanctum eſſe bonificare; hoc autem ſtante ſequeretur Spiritum ſanctum non eſſe ab vtroque ſed potius Spiritum ſanctum producere filium: quia bonificatiuum per bonifi-

Secunda demonſtratio reiicitur.

care producit bonificabile, & ſic Pater per Spiritum ſanctum produceret Filium. Deinde ineptè dicitur bonificare eſſe à bonificabili, cum potius oppoſitum eſſet dicendum. Tandem in alia confirmatione aperta abſurda ponit: Nam ait in eſſentia diuina eſſe vnicum diſtinctiuum, & hunc ait eſſe Patrem. Hoc autem eſt falſum, quia vna perſona non eſt diſtinctiua vnius ab altera, ſed diſtinguuntur per proprietates. Falſum eſt etiam diſtinctiuum eſſe vnicum, ſunt enim tres proprietates diſtinctiuæ: falſum eſt etiam eſſe vnicum diſtinguibile, quia ſunt tres perſonæ, quæ diſtinguuntur ab inuicem. Sunt ergo iſtæ rationes non rõnes, ſed ineptiæ, & hoĩs imperiti nugæ; ideo omitto alios defectus.

Reiicitur tertia demonſtratio.

83 Tertia demonſtratio non eſt minus inepta: continet enim eaſdem propoſitiones quas priores. Et inſuper Minor primi argumenti non rectè probatur, quia falſum eſt, quod in humanis filius producatur de tota ſubſtantia Patris: producitur enim de parte non de tota ſubſtantia Patris; neque tota ſubſtantia Patris communicatur Filio ſed pars: in diuinis autem communicatur tota ſubſtantia Filio. Vnde tres perſonæ ſunt vnus numero Deus, & tamen realiter diſtinctę. Deinde Spiritus ſanctus eſt de tota ſubſtantia Patris, & tamen non eſt Filius. Cum etiam vult probare Spiritum ſanctum eſſe in Trinitate: quia bonificare non eſt perfectiſſimus actus, niſi per amare, Aduerſarius diceret, neque bonificare eſſe perfectiſſimum actum ſine ſapere; ergo concluderet ratio, tertiam perſonam non ſolum eſſe amorem, ſed ſapientiam. Denique quod ſumma eſt, omnes iſtæ ſuæ rationes ſupponunt has perſonas bonificabile, bonificare, amare eſſe productas; non autem probant. Vnde ſtultitia eſt conterere tempus circa illarum intellectum, & confutationem.

An anima rationalis pro quocunque ſtatu naturæ etiam perfecto ex perfectione ſua naturali poſſit habere cognitionem perfectam immediatam Trinitatis, & idem de Angelo; in quo explicatur ſecundus articulus quæſt. 14. quolibetalis Scoti. Caput Quartum.

Concluſio Scoti.

84 IN ſecundo articulo illius 14. quæſtionis Quolibetalis tractat Scotus de cognitione perfecta, propria, & immediata Trinitatis; & ponit hanc concluſionem. Siue loquamur de cognitione abſtractiua, ſiue intuitiua, anima pro quocunque ſtatu naturæ, etiam in patria ex perfectione ſua naturali, etiam concurrentibus quibuſcunque cauſis naturaliter motiuis ipſius animæ ad cognoſcendum, non poteſt attingere ad notitiam propriam, & immediatam Dei. Et hoc idem dicendum eſt de Angelo. Hanc eandem concluſionem habet Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. ij. in corpore. Hæc concluſio apertè habetur in hac

quæſt.

Digitized by Google

quæſt.art.2. & 4.lib. loco citato. Vnde valde miror Vaſquez 1.par. diſp.134.cap.1.& 2. & Suarez 1.par. lib.1.de Trinit. cap.ij. & quoſdam alios dicere Scotum in 4.ſent.diſt.49.quæſt.ij.tenere Angelum, & hominem proprijs viribus poſſe habere perfectam cognitionem Trinitatis per ſpeciem aliquam: ſed hoc diſcutiam articulo ſequenti; magis enim hæc diſputatio ad illum ſpectat. Cõcluſio ergo Scoti pro nunc eſt clara,quod anima rationalis (nec Angelus)in quocunque ſtatu,etiam perfectiſſimo,qui erit in patria,in quo anima reducta erit ad perfectionem naturalem ſupremam, non poteſt ex ſua perfectione naturali habere cognitionem perfectam , propriam , & immediatè de Trinitate, loquendo nedum de cognitione intuitiua, ſed de abſtractiua quoque.Cognitio autem abſtractiua,vt habet Scotus in 2. ſentent. diſt.3. quæſt.9. §. *Ad quæſtionem*, eſt cognitio obiecti quatenus abſtrahit ab omni exiſtentia actuali,& præſentia in ſe ipſo, ſed repræſentatur in aliquo alio vt in ſpecie, cuiuſmodi eſt cognitio intellectiua, quam de rebus habemus pro hoc ſtatu.Cognitio verò intuitiua eſt cognitio obiecti quatenus eſt præſens in aliqua exiſtentia actuali ſcilicet propria; (vel eminenti,vt eſt cognitio rerum in eſſentia diuina) Scotus negat Angelum viribus proprijs habere poſſe vllam ex his cognitionibus neque abſtractiuam, neque intuitiuam. Vnde cum cognitio abſtratiua fiat per ſpeciem aliquam, & neget Scotus Animam, & Angelum viribus proprijs poſſe habere cognitionem abſtractiuã Dei trini,& vnius,ſequitur falſum eſſe Scotum aſſerere hominem, vel Angelum ex propria perfectione naturali poſſe cognoſcere Deum trinum per ſpeciem aliquam.

Vaſquez, et Suarez non intelligũt Scotum.

Cognitio abſtractiua & intuitiua quænam ſit.

85 Verùm,quod decepit hos viros eſt, quia Scotus in 2.diſt.3.q.9. tenet potuiſſe creari à Deo ſpeciem repręſentantem Deum diſtinctè in intellectu Angeli in ſua creatione, & tunc per illam ſpeciem virtute naturali potuiſſe cognoſcere Deum diſtinctè; de qua re egimus in 2. ſuper diſtinctione illa. At hoc eſt longè aliud quæſitum ab iſto,quẽ tractamus nunc. Aliud eſt enim quærere, an homo ex perfectione ſua naturali ſuprema poſſit attingere ad cognitionem diſtinctam Trinitatis;& aliud quærere,an Angelus,& homo per ſpeciem concreatam ſibi à Deo repręſentantem diſtinctè Deum, poſſit cognoſcere diſtinctè Deum. Nam primum excludit omnem actionem Dei;hoc ſecundum nequaquam, ſed includit ſpecialem actionem Dei concurrentẽ: ideo hæc non diſtinguere eſt cauſa confuſionis, & erroris.

Vnde deceptio Vaſquez & Suarez oriatur.

86 Allatam ergo concluſionem, quod nec Angelus, nec anima etiam pro perfectiſſimo ſtatu ſuo non poſſit attingere ad diſtinctam cognitionem Trinitatis cognitione abſtractiua, vel intuitiua per ſe propriè, & immediatè probat Scotus hac ratione principali, & fun-

Prima ratio Scoti pro allata concluſione.

damentali. Omnis talis intellectio ſcilicet per ſe propria, & immediata de obiecto abſtractiua, vel intuitiua requirit obiectum ipſum ſub propria ratione obiecti præſens; & hoc vel in propria exiſtentia, puta, ſi eſt intuitiua, vel in aliquo perfecto repræſentante ipſum ſub propria, & per ſe ratione cognoſcibilis, ſi fuerit abſtractiua. At Deus ſub propria ratione diuinitatis non eſt præſens alicui intellectui creato niſi mere voluntariè; ergo anima quantumcunque perfecta viribus ſuis non poteſt attingere ad cognitionem diſtinctam intuitiuam, vel abſtractiuam Trinitatis. Maior ſupponitur vera ex declaratione illius diſtinctionis de cognitione abſtractiua, & intuitiua; & de cognitione per ſe propria, & immediata. Minor probatur à Scoto & primo de præſentia in exiſtentia propria reali, quæ pertinet ad cognitionem intuitiuam, per illud Diui Ambroſij ſuper Lucam. *in eius poteſtate ſatis eſt videri cuius naturæ non eſt videri; ſi vult videtur, ſi non vult non videtur*. Ex hoc elicitur, quod pro tanto naturæ Dei eſt non videri; non quod abſolutè non poſſit videri; ſed quia non naturaliter videtur à creatura: Natura enim eius non eſt cauſa naturaliter actiua huius viſionis; & per hoc etiam probatur, quod nulla natura creata actiua poteſt eſſe cauſa huius viſionis ſiue perfectæ præſentiæ eſſentiæ, & obiecti diuini; quia non poteſt continere in ſe perfectè eſſentiam diuinam ſecundum entitatem ſuam; & cum non poſſit continere ſecundum eſſentiam, neque etiam poteſt continere ſecundum cognoſcibilitatē.

Concluſio probatur quo ad cognitionem abſtractiuā.

87 Ex hoc fundamento probatur etiam de cognitione abſtractiua: quoniam cum nullum creatum contineat in ſe perfectè eſſentiam diuinam non poteſt cauſare aliquod repræſentatiuum proprium, & per ſe diuinitatis ſub propria ratione cognoſcibilis: quia tale repræſentatiuum non poteſt cauſari niſi vel ab ipſomet cognoſcibili, vel ab aliquo perfectè continente ipſum ſub ratione ſuæ cognoſcibilitatis.

Et ſubiungit Scotus, quod licèt Deus poſſit cognoſci per aliquod repræſentatiuum, illud tamen non poſſet cauſari niſi à Deo immediatè, voluntariè illud cauſante. Ex hoc patet, quod licèt Scotus concedat Angelum cognoſcere poſſe Deum diſtinctè, ſi in eo à Deo concrearetur ſpecies repræſentans diſtinctè Deum, vt dicit in 2. Sent. non tamen vult abſolutè, quod Angelus, & Anima poſſint diſtinctè per proprias vires cognoſcere Deum. quod eſt illud, in quo Vaſquez, & Suarez decepti ſunt.

Ratio Scoti contra allatā concluſionē.

88 Contra hanc concluſionem adducit Scotus obiectionem: Quia obiectum adæquatum intellectus eſt ens, ſub quo continetur quoque Deus: potentia autem poteſt in quodcunque contentum ſub obiecto ſuo adæquato. Reſpondet, quod ens eſt obiectum adæquatum ratione inclinationis potentiæ, non ratione attingentiæ; quæ diſtinctio, &

Solutio.

ſolutio

ſolutio explicata eſt in prima quæſtione, prologi in ſolutione primi argumenti principalis; Ratione verò attingentiæ, obiectum intellectus pro hoc ſtatu cum concurſu omnium cauſarum naturalium actiuarum eſt quidditas rei ſenſibilis; quia ſola quidditas rei ſenſibilis eſt attingibilis ab intellectu viatoris pro hoc ſtatu, quia ab illa ſola mouetur intellectus.

89 Contra hanc reſponſionem arguit adducendo opinionem Diui Thomæ p. p. quæſt. 12. art. 4. & quæſt. 85. art. 1. qui aſſerit, quod quidditas rei materialis eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri; & probat ea ratione: quia obiectum debet proportionari potentiæ. Triplex autem eſt potentia intellectiua. Altera ſeparata à materia quo ad eſſe, & quo ad operari, vt intellectus Angelicus; & obiectum eius adæquatum eſt quidditas omnino ſeparata à materia. Altera eſt coniuncta materiæ quo ad eſſe, & cognoſcere, ſeu operari, vt potentia ſenſitiua, & hæc habet pro obiecto ſingulare materiale. Alia eſt coniuncta materiæ quo ad eſſe, ſed eſt ſeparata quo ad operari, & cognoſcere, vt eſt anima rationalis; & hæc habet pro obiecto adæquato quidditatem rei materialis; quæ quo ad eſſe eſt in materia, ſed non intelligitur in materia, ſed vt eſt ſeparata à materia. *Opinio Diui Thomæ.*

90 Eandem opinionem reijcit; quia ſi hæc opinio eſſet vera, ſequeretur, quod beatus non poſſet videre eſſentiam Dei, quod eſt falſum. Conſequentia patet; quia potentia non poteſt in illud, quod eſt extra latitudinem ſui obiecti adæquati; patet autem, quod eſſentia diuina non continetur ſub quidditate materiali. Vel eſſet dicendum, quod potentia Beati mutaretur, nec maneret eadem, quæ eſt in via, quod eſt pariter abſurdum. Nec valet ſi quis dicat, quod eleuatur per lumen gloriæ; quia habitus luminis gloriæ non poteſt habere aliud obiectum, quam obiectum potentiæ, quia tunc non eſſet habitus talis potentiæ; vel mutaret ſubſtantiam, & eſſentiam talis potentiæ, quæ omnia ſunt abſurda. De hac quæſtione egimus contra Thomiſtas in Philoſophia naturali Theoremate 85. & in 4. diſt. 13. quæſt. 8. diſput. 43. ideo hìc ſuperſedeo. *Reiicitur à Scoto.*

91 Concludit ergo Scotus quod obiectum adæquatum intellectus noſtri pro ſtatu iſto eſt quidditas rei ſenſibilis, intelligendo per ſenſibile non ſolum illud, quod eſt propriè ſenſibile, ſed etiam illud, quod includitur eſſentialiter, vel virtualiter in ſenſibili. ſed obiectum adæquatum noſtri intellectus ex natura potentiæ non eſt aliquid ſpecialius abiecto intellectus Angelici; quia quidquid poteſt intelligi ab vno, poteſt intelligi ab alio. Et hoc concedere debet Theologus, qui ponit hunc ſtatum præſentis vitæ non eſſe naturalem, ſed pœnalem ſaltem reſpectu multorum intelligibilium. Quod probat Scotus aucto- *Reſolutio opinionis Scoti.* *Obiectum adæquatum intellectus pro hoc ſtatu, ex natura potētiæ quodnā ſit.*

Digitized by Google

ritate Diui Auguſtini 15.de Trinitate cap. 27. *quæ eſt cauſa cur acie fixa lucem ipſam videre non poſſis, niſi vtique infirmitas? & quis tibi eam fecit? niſi iniquitas.* Et alia multa ſecus ſecundum Philoſophum: qui quoniam alium ſtatum non agnouit, diceret quidditatem rei ſenſibilis eſſe obiectum adæquatum ex natura potentiæ, quod pro hoc ſtatu illi adæquatur: hoc autem eſt quidditas rei ſenſibilis.

92 Verùm, vt magis declaretur principalis concluſio, quæ eſt, quod nec homo, nec Angelus poteſt naturaliter attingere cognitionem Trinitatis, adducit Scotus nonnullas rationes contra eam, & eas ſoluit. Intendit autem probare quod ex eo, quod ens eſt obiectum adæquatum intellectus ex natura potentiæ in communi, ſequitur ꝙ intellectus creatus poſſit naturaliter cognoſcere Deum: quia Deus continetur ſub ente. Prima ergo ratio eſt hæc. Obiectum adæquatum alicui potentiæ ſecundum totam ſuam indifferentiam habet eundem modum mouendi potentiam ſibi adæquatè reſpondentem ſecundum totam ſuam indifferentiam, ita quod mouet eam eodem modo ſcilicet vel naturaliter, vel non naturaliter. At ens illimitatum, quod eſt ſpecies entis in communi, mouet naturaliter intellectum diuinum, qui eſt ſpecies intellectus in communi; ergo debet mouere quemcunque intellectum ſcilicet Angelicum, & humanum eodem modo ſcilicet naturaliter; & ſic naturaliter intellectus creatus poteſt intelligere Deum. Minor eſt clara. Maior probatur primo inductione: quia omnes potentiæ, quæ habent aliquod obiectum primum, & adæquatum eodem modo mouentur ab illo obiecto primo, & adæquato, & ab obiectis per ſe contentis ſub illo obiecto primo. Nam obiectum adæquatum viſus eſt color; eodem autem modo potentia viſiua mouetur a colore in ſe, & ab albedine, nigredine &c. & probatur ratione: quia obiecta contenta ſub obiecto primo reſpiciunt potentiam illam, ſecundum rationem primi obiecti, quod includunt; vt albedo, & nigredo &c. reſpiciunt potentiam viſiuam ſecundum quod ſunt colores; ideo omnes reſpiciunt eandem potentiam ſecundum eandem rationem, & modum; & ſic eodem modo omnes mouent. Vnde cum eſſentia diuina contineatur ſub ente quod eſt obiectum adæquatum intellectus in communi ex natura potentiæ, & moueat intellectum diuinum naturaliter, ſequitur quod moueat quoque naturaliter intellectum creatum.

1. Ratio contra concluſionem aſſertam.

2. Ratio.

93 Secunda ratio. omnis actus præcedens actum voluntatis eſt merè naturalis; ſed eſſentia diuina prius mouet intellectum creatũ, quam voluntas diuina habeat aliquem actum circa illam cognitionem; ergo. Maior eſt clara. Minor probatur: quia eſſentia vt eſſentia eſt obiectum beatificum, non autem eſſentia vt voluntas, vel vt volens; ergo

eſſentia mouet ad actum beatificum qua eſt eſſentia , non quatenus eſt
volens : & ſic prior eſt actio motionis eſſentiæ ad actum beatificum ,
quàm actus voluntatis .

94 Confirmatur. Quia ſi per impoſſibile Deus non eſſet volens, *Cõfirmatio.*
adhuc eſſentia naturaliter moueret intellectum ad vidẽdum ſeipſam ;
ergo etiam modò licèt ſit volens eodem modo mouebit ; quia nõ mo-
uet volens, ſed vt eſt hæc eſſentia .

95 Tertiò, omne obiectum gignit notitiam actualem ſui naturali- 3. Ratio.
ter , & propter hoc notitia dicitur proles ſecundum D. Auguſtinum
9. de Trinitate cap. vlt. ergo viſio eſſentiæ in intellectu beati naturali-
ter gignitur in eo .

96 Quartò , ſi eſſentia diuina non mouet naturaliter intellectum 4. Ratio.
creatum ad ſui cognitionem , hoc non poteſt aliunde prouenire niſi ,
quia voluntas concurrit cum eſſentia diuina ad cauſandum actum co-
gnitionis, & ipſa impedit ne eſſentia moueat , & propter hoc dicitur
quod eſſentia eſt obiectum voluntarium . At hoc eſſe non poteſt, quia
tunc vel voluntas eſſet prima ratio motiua , & eſſentia ſecunda quaſi
ratione voluntatis mouens ; & hoc non, quia eſſentia habet à ſe quod
ſit motiua intellectus diuini ; ergo oportet dicere, quod è conuerſo eſ-
ſentia ſit prima ratio motiua etiam intellectus creati. At prima ratio
motiua ſemper retinet ſuum proprium modum mouendi : non enim
determinatur ad mouendum per illud , quod eſt ſecundum : Cauſa
enim prima determinat ſecundam non è conuerſo . Vnde cum volun-
tas eſt prima cauſa in mouendo, facit eſſentiam mouere cõtingenter ;
ergo cum eſſentia eſt prima cauſa in cauſando , & voluntas ſecunda ,
eſſentia determinat voluntatem ad agendum , non voluntas eſſentiã ;
ergo eſſentia naturaliter mouet intellectum creatum ad cognoſcen-
dum ſe ; ergo naturaliter intellectus creatus poteſt cognoſcere Deum,
& conſequenter poteſt cognoſcere Trinitatem .

97 Pro ſolutione iſtarum obiectionum Scotus iacet quædam fun- *Fundamen-*
damenta , ex quibus patebit ſolutio ad illas ; & repetit doctrinam de *ta pro ſolutio*
ordinibus , & ſignis originis in diuinis , de quibus egimus in primo in *ne obiectio-*
propria diſputatione ; ideo hic breuiter eſt declarandum id, quod hic *num addu-*
dicit Scotus. Primũ ergo fundamentum eſt iſtud , quod prima mo- *ctarum.*
tio, quæ fit in entibus, eſt naturalis, non libera. Hoc fundamentum pa- *Primũ fun-*
tet, quia omni motioni voluntatis ſemper præſupponitur aliqua prior *damentum.*
motio, nimirum intellectus, quæ eſt naturalis. Secundum fundamen- *Secundũ fun*
tum eſt , quod ſi admittenda eſt in entibus aliqua motio , quæ non ſit *damentum.*
naturalis , maximè huiuſmodi debet dici motio voluntatis : Voluntas
enim ſola eſt, quæ habet libertatem, ideo ſoli voluntati poteſt compe- *Tertium fun*
tere, quod non moueatur naturaliter, ſed liberè ab obiecto . Tertium *damentum.*
funda-

Google

fundamentum eſt, quod aliqua motio poteſt intelligi eſſe ad terminũ ſimpliciter infinitum; aliqua autem ad terminum finitum, vel ad infinitum includentem finitum; & illa, quæ eſt ad terminum infinitum ſimpliciter eſt prior; quia non poteſt infinitum præexigere finitum. accipitur autem hic motio non propriè, ſed largè, & extendendo nomen: in Deo enim non eſt motio propriè, ſed impropriè, & extendendo nomen motionis.

Quis ſit ordo motionũ in entibus.

98 Ex his ſuppoſitis aſſignat Scotus quis ſit ordo motionum in entibus; & inquit primam motionem omninò eſſe motionem intellectus diuini ab eſſentia diuina. Ratio eſt, quia eſſentia diuina, quæ eſt obiectum primum, & adæquatum intellectus diuini, eſt infinita, ideo mouet priuſquam aliquod obiectum finitum moueat ex tertio ſuppoſito. Mouet etiam naturaliter; quia motio naturalis eſt omninò prior quàm non naturalis, & libera ex primo ſuppoſito. Ex hoc vlterius deducit, quod eſſentia diuina in illa prima motione naturali habet quoſdam gradus, ſeu ſigna ſecundum quæ eſt quidam ordo. Nam primò mouet ad intellectionem ſui ipſius, & hoc in intelligentia ingenita illius perſonæ in qua primò eſt eſſentia ideſt mouet ad actum operatiuum, quo Pater eſt beatus, quod eſt primum ſignum originis in ordine ad intra. Secundò ad actualem notitiam ſui genitam ideſt mouet ad actum productiuum filij, quod eſt ſecũdum ſignum originis ad intra, in quo Pater generat Filium intelligendo eſſentiam. Quod autem eſſentia diuina moueat ad vtrunque horum actuum, & ordine quodam probat: Quia obiectum, quod naturaliter mouet, mouet ſuum mobile inquantum poteſt; cum ergo poſſit mouere ad vtrunque prædictorũ actuum naturaliter, ſequitur quod actu moueat ad vtrunque; & cum actus operatiuus, ſeu eſſentialis, & beatificus ſit prior quam notionalis, & non beatificus, ſequitur quod prius origine moueat ad actum operatiuum, quàm ad actum productiuum: nam requiritur quod Pater in ſe ſit prior beatus, & perfectus quam generet Filium.

99 Quod ſiquis obijciat, inquit Scotus, nullam eſſe rationẽ quod Pater prius debeat habere actum operatiuum, quam productiuum; quia vtraque eſt operatio immanens. Reſpondet Scotus, (& hoc nota,) quod adeſt magna differentia; quia actus operatiuus, quo Pater eſt beatus eſt omninò immanens, quia immanet nedum in eadem eſſentia, & natura diuina; ſed etiam in eadem perſona. At actus productiuus ſcilicet generare Verbum licèt ſit immanens quo ad eſſentiam, quia terminatur ad perſonam, & notitiam, quæ manet intra eandem eſſentiam diuinam. tamen non immanet quantum ad perſonam, ſed eſt extra perſonam producentem: quia eſt ſecunda perſona Trinitatis.

Producere Verbũ quomodo ſit actio immanens, & quomodo non.

Habita

100 Habita hac prima motione naturali ad intra, eſsentia diuina habet aliam motionem naturalem, quæ eſt, quod mouet intellectum diuinum naturaliter ad intelligendum quodcunque intelligibile ſimplex ideſt mouet intellectum diuinum ad producendum res omnes in eſſe intelligibili. ſed hæc motio eſt in ſecundo ordine originis, qui reſpicit res ad extra, & ſupponit productionem completam ad intra diuinarum perſonarum; non quia ſine productione omnium diuinarum perſonarum eſſentia diuina non eſſet ſufficiens principium actiuum mouendi intellectum diuinum ad producendum creaturas in eſſe intelligibili, ſed quia ordo originis ad intra eſt neceſsarius, ideo prius cõmunicatur eſsētia tribus perſonis, quàm ipſa moueat intellectũ ad producendum creaturas in eſse intelligibili. Vnde motio voluntatis ab eſsentia diuina ad producendum amare ſimplex, & amorem productum ideſt ad amorem eſsentialem, & ad amorem notionalem, qui eſt Spiritus ſanctus, licèt non ſit naturalis, quia tamen eſt motio neceſsaria; hinc eſt quod præcedit notionem eſsentiæ ad producendum res in eſse intelligibili. Et per hoc tollitur obiectio, quæ fieri poſset, ſic. Actio naturalis præcedit actionem non naturalem; motio eſsentiæ ad producendum in eſse intelligibili creaturas eſt naturalis; productio Spiritus ſancti non eſt naturalis; ergo motio ad producendum creaturas in eſse intelligibili præcedit productionem Spiritus Sancti. Reſpondetur enim non valere conſequentiam. Ratio eſt, quia ſunt diuerſi ordines, qui diſtinguuntur pęnes obiecta, & terminos. Primus terminatur ad obiectum primarium, qui eſt eſsentia. Vnde illa debet eſse omnino communicata ante ſecundum ordinem originis. Secundus autem ordo originis terminatur ad obiectum ſecundarium; & ſic motio ad producendũ creaturas in eſse intelligibili eſt in ſecundo ordine originis; ideo motio ad producendum amorem ſimplicem, & notionalem, licèt non ſit naturalis, tamen quia eſt neceſsarius præcedit hanc motionem ad obiectum ſecundarium; ratio autem illa valeret, ſi procederet in eodem ordine.

101 Completo ergo primo ordine originis ad intra eſsentia diuina mouet intellectum diuinum ad producendum res ad extra in eſse ſimplici, & hæc eſt motio naturalis, non mouet autem naturaliter ad cognoſcendum res futuras, & contingentes in eſse complexo; quia illæ in hoc eſse dependent à voluntate diuina, quæ pro illo ſigno nondum aliquid futurum vel non futurum eſse decreuit. Vnde ſi eſsentia diuina moueret naturaliter intellectum ad cognoſcendum res futuras ſecundum eſse complexum determinatum, tunc tolleretur contingentia, & omnes res neceſsario euenirent, quod eſt abſurdum. Hic eſt totus ordo motionis neceſsariæ ad terminum infinitum Simpliciter.

ter.

Digitized by Google

ter,qui eſt ordo ad intra, & ad terminum infinitum continentem finitum,qui eſt ordo ſecundus ad extra;quos ordines & ea ſigna diligenter explicauimus in primo in propria diſput.de ordine naturæ, & originis in diuinis,quæ hìc non oportet repetere.

102 Completo ergo toto ordine motionis neceſsariæ, ſequitur motio non naturalis, ſed contingens. Hæc non poteſt eſse ab eſsentia ſic abſolutè ſumpta,quia,vt dictum eſt,illa mouet naturaliter. Neceſsarium eſt ergo illam eſse a voluntate diuina, quia hæc eſt principium liberum, & contingens. In hac autem motione eſt quoque ordo: Quia voluntas diuina primò ad intra determinat ſe ad volendum hoc fore determinatè. Secundò, intellectus videns hanc determinationem voluntatis infallibilem nouit hoc eſse futurum. Completa motione ad intra ſequitur motio ad extra. (vbi nota, quod Scotus appellat actum voluntatis, quo determinat hoc, & illud futurum in ſe, motionem ad intra;& in 2.diſtinct. 1. quæſt. 1. & primo diſt. 39. appellat motionem illam, qua determinat res futuras, motionem ad extra. Vbi videtur ſibi contradicere. Reſpondetur quod iſtam motionem vocat hìc ad intra in comparatione ad motionem temporalem,qua ad extra in eſse realis exiſtentiæ producit creaturas, quæ hìc appellatur ab ipſo motio ad extra; ibi autem appellatur motio ad extra reſpectu motionis, quæ fit in primo ordine originis per productiones diuinarum perſonarum: in illo enim ordine nullus eſt reſpectus ad extra ſcilicet ad creaturas;at in productione rerum in eſse ſimplici, & in eſſe complexo determinato,licèt fiat intra Deum ipſum, eſt reſpectus ad extra; ideo dicitur productio ad extra, ſed in eſſe ideali, & intelligibili) Ex hoc deducit Scotus, quod motio tota, quæ fit à Deo ad extra in eſſe reali eſt contingens,& proinde tota fit à volũtate creata; & ſic quicunque intellectus creatus mouetur ad producendũ aliquam notitiam de aliquo intelligibili eſt contingens, non naturalis, & facta à voluntate diuina,non ab eſſentia diuina,vt eſt eſſentia.

Contradictio apparens ſolnitur.

103 Hinc reſpondet ab obiectiones ſuperius factas. Ad primam Reſpondet quod maior eſt vera, intelligendo eam de motione immediata,non de motione mediata;obiectum enim habens potentiam adæquatam eodem modo mouet illam ſecundum totam ſuam indifferentiam,quando illam mouet immediatè;non eſt vera quando mouet illam mediante aliquo alio principio libero. Tunc autem ad minorem dicitur,quod non eſt par ratio de intellectu diuino,& creato:quia verum eſt, quod eſſentia diuina mouet naturaliter, & immediatè intellectum diuinum, at non eſt verum,quod moueat naturaliter,& immediatè intellectum creatum, ſed mouet illum mediante voluntate, quæ eſt principium liberum.& contingens;ideo,ratio non concludit.

Ad primã rationem.

Ad ſe-

Digitized by Google

104 Ad ſecundam reſpondetur, quod licèt eſſentia diuina ſit obiectum primum, & immediatum viſionis beatificæ in ratione terminantis; tamen non eſt obiectum immediatum ratione mouentis, ſed tantum eſt mouens remotum: quia non mouet niſi mediante actu voluntatis diuinæ, quo vult eſſentiam illam mouere actu intellectum creatum ad illam viſionem. *Ad ſecundam.*

105 Ad confirmationem dicitur, quod eſſentia mouet vt volens: ſi enim non eſſet formaliter volens nihil omnino poſſet cauſare ad extra: tunc enim non poſſet cauſare, niſi naturaliter; quod autem cauſaretur naturaliter à Deo eſſet neceſſe eſſe: eſſe autem neceſſe eſſe repugnat rebus creatis ad extra ſeipſum, quia ſunt formaliter poſſibiles, non autem neceſſe eſſe; ideo neceſſariò prouenit à principio libero, & contingenti. *Ad confirmationem.*

106 Ad tertiam. Reſpondetur, quod eſſentia vt viſa cauſat notitiam vt prolem ſuam naturaliter; ſed non poteſt videri, niſi actus voluntatis præcedat, & faciat eſſentiam ipſam videri. Quod ſi quis arguat, voluntas non poteſt facere, vt eſsentia quatenus eſsentia videatur ab intellectu creato, ſed ſolum vt voluntas ipſa diuina videatur, quia voluntas eſt poſterior natura eſsentia: eſt enim voluntas diuina quaſi proprietas eſsentiæ diuinæ: proprietas autem eſt poſterior eſsentia natura. Reſpondetur, quod voluntas & eſsentia ſunt idem realiter, differunt ſolum formaliter, ideo poteſt eſse ratio videndi eſsentiam vt eſsentia eſt, & vt eſt obiectum beatificum, & licèt fundetur in eſſentia, eſt tamen perfectè idem illi, & eſt formaliter infinita eadem infinitate eſsentiæ. Vnde propter hoc eſt ratio communicandi eandem eſsentiam. *Ad tertiam.*

107 Præterea. Reſpondetur, quod licèt quæcunque notitia actualis obiecti ſit ſimilitudo naturalis obiecti, non tamen quæcunque notitia naturalis obiecti eſt verbum, & proles eius, ſed ſolum notitia naturalis, & naturaliter genita. Et ideo notitia, quam habet beatus de obiecto beatifico, licèt ſit naturalis ſimilitudo illius eſsentiæ, non tamen eſt verbum, quia non eſt naturaliter genita, ſed immediatè eſt producta per voluntatem diuinam. Vnde eſsentiæ diuinæ eſt tantùm vnicum verbum, & hoc in ſolo intellectu diuino, in quo ſolo poteſt eſse notitia ipſius obiecti naturaliter genita. Quare cum D. Aug. loco citato dicit quod genita notitia eſt proles; loquitur de notitia, quæ eſt verbum, & naturaliter producitur, & eſt tantùm in diuinis, non de notitia, quæ producitur mediante actu voluntatis. *Notitia beatorum nõ eſt verbum, & ratio.*

108 Vbi eſt obſeruandum, quod eſsentia diuina non repræſentatur intellectui beatorum ante actum viſionis, ita quod intelligatur, eſsentiam diuinam prius eſse præſentem intellectui, & poſtea gignere viſionem, *Notandum.*

viſionem, vt contingit in obiectis à nobis naturaliter cognitis; ſed eſt præſens ſolum per ipſam viſionem eſſentiæ, quæ viſio eſt actus contingens. Vnde ſi quis inſtet, quod in hac viſione debet eſſe repręſentatio quodammodo prior intellectione actuali; quia intellectio cauſatur ab obiecto, & intellectu; cauſæ autem præcedunt effectum. Reſpondet Scotus quod iſta repręſentatio prior habetur tantum in memoria reſpectu actus, & notitiæ ſuæ genitæ. Quia obiectum per pręſentiam ſuam eſt principium immediatum actus ſecundi; in viſione autem beatifica non habetur; quia illa non naſcitur ex memoria, ſiue ex obiecto diuino naturaliter, ſed per actum diuinæ voluntatis, Vnde eſſentia diuina non mouet intellectum beati vt præexiſtens in memoria, ſed vt per voluntatem diuinam gignit.

Obiectio Scoti.

Quomodo lapis in Deo videatur à beatis.

Solutio.

109 Sed tunc eſt obiectio, inquit Scotus, quia non eſt intelligibile quomodo beatus videat lapidem in eſſentia, quod eſt obiectum ſecundarium, ſi eſſentia ipſa non repręſentatur ante actum intellectionis; nam lapis non videtur, niſi quia repręſentatur in eſſentia. Nam voluntas non eſt ſpeculum, in quo lapis videatur, licèt per voluntatem videatur; ergo debet repręſentari per eſſentiam, & ſic eſſentia repręſentatur ante actum viſionis. Reſpondet Scotus, quod lapis videtur in eſſentia non vt in ſpeculo, in quo reluceat, vt obiectum præſens ante actum viſionis; ſed ipſa eſſentia ſe ſolam, & ſoli ſuo intellectui ſe repręſentat ante actum intelligendi; lapis verò, & obiecta ſecundaria videntur in eſſentia diuina poſt actum intellectus; Vnde non ſunt obiectum motiuum, vt eſt eſſentia, ſed ſunt obiecta terminatiua; adeò quod eſt imaginandum, quod voluntas diuina eſt quæ mouet intellectum beati ad videndum eſſentiam diuinam, quę eſt obiectum primarium tanquam ad primum terminum viſionis, & ad lapidem, & obiecta ſecundaria tanquam ad terminum ſecundum virtute primi; ita quod voluntas diuina mouet ad actum viſionis vtriuſque obiecti, ſed ordine quodam; ita quod viſio terminatur ad eſſentiam primò, ſecundariò ad lapidem, & obiecta ſecundaria. Et ſic habemus quomodo viſio eſſentiæ in beatis non ſit actus naturalis ideſt naturaliter, & neceſſariò productus, ſed contingenter, & liberè à Deo cauſatus.

Ad vltimū.

110 Ad vltimum non reſpondet Scotus, ſed ſolutio patet ex dictis. Nam non eſt par ratio de eſſentia diuina reſpectu intellectus diuini, & reſpectu intellectus creati; Nam verum eſt, quod eſſentia diuina de ſe eſt motiua intellectus diuini; ſed reſpectu intellectus creati ipſa non eſt cauſa prima motiua, ſed voluntas; ideo non ſequitur quod ſi mouet intellectum diuinum naturaliter, moueat quoque intellectū creatum naturaliter, ſed ſequitur quod mouet ſolum contingenter, & liberè, vt dictum eſt.

An

An Anima pro quocunque ſtatu ex naturalibus, vel Angelus poſſit cognoſcere eſſentiam diuinam ſub ratione propria per aliquod medium. Vbi explicatur tertius articulus quæſtionis prædictæ Scoti. Caput Quintum.

IN tertio articulo quęſtionis 14. quolibetalis diſputat de tertio principali propoſito, ſcilicet an Anima rationalis pro quocunque ſtatu, etiam in patria naturaliter poſſit habere perfectam notitiam de Deo, ſiue de Trinitate in aliquo medio, quo cognito cognoſcatur perfectè, & diſtinctè Trinitas diuina. Ad hoc reſpondet vnica concluſione negatiua. Probatur hac ratione vnica. Nihil poteſt per ſe diſtinctè intelligi per aliquod medium quo cognito illud per ſe, & propriè cognoſcatur niſi in illo medio contineatur eſſentialiter, & virtualiter, & hoc perfectè ſcilicet ſecundum totam rationem ſuæ cognoſcibilitatis. At eſſentia diuina in nullo alio à ſe ſic cõtinetur; ergo Minor patet: Quia nihil aliud à diuinitate continet perfectè diuinitatem ſub ratione entitatis, igitur neque ſub ratione cognoſcibilitatis: quia cognoſcibilitas ſequitur entitatem, & ideo qualis eſt continentia entitatis, talis eſt continentia cognoſcibilitatis. Maior propoſitio verò probatur. Quia obiectum quodcunque mouet ad gignendum notitiam ſui, mouet ſecundum vltimum virtutis ſuæ; ergo non poteſt mouere ad gignendũ perfectiorem cognitionem, quam ſit propria cognoſcibilitas ſui, & per conſequens non poteſt mouere ad notitiam propriam obiecti perfectioris ſe ipſo; quia hæc ſuperat virtutem ipſius obiecti. Quare nullum obiectum creatum poteſt gignere propriam notitiam eſſentiæ diuinæ, cum illam non contineat, & illa excedat vires, & virtutem motiuam obiecti creati. *Reſponſio per cõcluſionem negatiuam.*

112 Hæc eſt aſſertio clara Scoti; & hæc eſt ratio clara pro confirmatione prædictæ aſſertionis, ideo patet Gabrielem Vaſquez p. p. diſput. 134. cap. 1. & 2. & Suarez p. p. lib. 1. de Trinitate cap. ij. malè tribuere Scoto, quod aſſerat propriam, & perfectam notitiam Trinitatis viribus naturalibus, & ex propria perfectione in quocũque ſtatu poſſe habere. Ipſi citant Scotum in 4. diſt. 49. quæſt. ij. ſed Scotus de hac re nihil ibi dicit. Sed volunt citare ſecundum librum diſt. 3. quæſt. 9. vt patet ex citationibus, & locis aſſignatis a Vaſquez. Eo enim loco probat Scotus Angelo potuiſſe infundi à Deo in ſua creatione ſpeciẽ repręſentãtem eſſentiam diuinam diſtinctè, & conſequenter Trinitatem; atque illam ex hac ſpecie cognoſcere potuiſſe. Sed vt diximus ſuperiori capite, aliud eſt quærere an Angelo potuerit infundi in ſua creatione ſpecies repræſentans Deum diſtinctè, & aliud an poſſit Angelus, *Vaſquez, & Suarez tribuunt Scoto opinionẽ falſam, quã Scotus reijcit.*

gelus,& homo per propriam perfectionem naturalem cognoſcere Trinitatem propriè, & per ſe in aliquo medio cognito non cauſato immediatè à Deo: Quia ibi non concurrunt ſolę vires naturales Angeli, & animæ, ſed actio diuina ſupernaturalis, per quam illud repræſentatiuum producitur in eſſe a Deo; In hoc verò ſecundo non concurrit actio aliqua ſupernaturalis Dei, ſed ſolum vires naturæ cum concurſu generali Dei, & cauſarum naturalium, ideo ſi iſti auctores legiſſent hanc quęſtionem Scoti, eam opinionem ei non tribuiſſent. Quomodo autem ſit poſſibile creari a Deo ſpeciem repræſentantem Deum diſtinctè in eodem ſecundo diſtinctione & quæſt. illa, diximus; ideo ea hìc non ſunt repetenda.

Prima ratio Scoti contra ſeipſum.

113 Nunc redeundo ad Scotum, poſita, & probata hac concluſione ſua, aduerſus eam arguit tribus rationibus, vt magis declaretur, & eas ſoluit. Primò arguit contra rationem. Secundò contra concluſionem. Contra rationem ſic. Cauſa ad hoc vt ſit cauſa non eſt neceſſe quod contineat virtualiter illud cuius non eſt cauſa, ſed ſufficit quod contineat virtualiter illud cuius eſt cauſa. At aliquod medium cognitum licèt non contineat eſſentiam diuinam virtualiter, poteſt tamen continere virtualiter notitiam Trinitatis; ergo per aliquod medium creatum poteſt Angelus, & anima cognoſcere diſtinctè Trinitatem. Maior eſt euidens. Minor probatur. Non eſt inconueniens quod perfectius contineat imperfectius in ſe virtualiter; ſed ſubſtantia Angeli eſt perfectior illa notitia diſtincta, & perfecta ac propria de Deo, quia ſubſtantia eſt perfectior accidente; illa autem notitia eſſet accidens. Præterea eſt multo immediatior eſſentiæ diuinæ, quàm illa notitia; ergo videtur quod Angelus per propriam eſſētiam, & anima per propriam eſſentiam poſſit eminenter continere notitiam propriam Trinitatis, & conſequenter venire in cognitionem Trinitatis per cognitionem ſuæ eſſentiæ tanquam per medium cognitum.

2. Ratio. 114 Secundò, arguit contra concluſionem ſic. Obiectum quodlibet poteſt cognoſci per propriam imaginem diſtinctè. At Angelus, & anima ſunt imago Dei ſecundum D. Auguſt. 14. de Trinitate cap. 8. & anima noſcit ſeipſam naturaliter diſtinctè, de qua minus videtur, ſecundum D. Auguſtinum lib. 14. de Trinitate cap. vlt. ergo multo magis Angelus; ergo vterque cognoſcere poteſt Trinitatem per cognitionem ſui ipſius, quæ ſunt media cognita.

3. Ratio. 115 Tertiò, contra eandem concluſionem arguit ſic. Intellectus creatus beatus poteſt naturaliter videre, & intelligere actum ſuum beatificum; ergo poteſt per illum naturaliter cognoſcere obiectum beatificum, quod eſt eſſentia diuina; Actus autem ille beatificus eſſet medium cognitum; ergo. Antecedens ſupponitur verum. Conſequentia

tia

Digitized by Google

tia verò probatur dupliciter. Primo,quia actus eſt ſimilitudo naturalis obiecti : immo videtur eſſe expreſſior ſimilitudo obiecti,quàm ſpecies intelligibilis eſſentiæ diuinæ , ſi daretur . Actus enim videtur clarius exprimere obiectum,quàm ſpecies impreſſa,quia actus eſt ſpecies expreſſa ; ergo eſſentia diuina per actum illum tanquam per naturalē ſimilitudinem ſui poteſt cognoſci ab Angelo,& anima.Secundò,quia non videtur quod actus poſſit cognoſci vt eſt huius obiecti,niſi cognoſcatur hoc obiectum ſub ea ratione ſub qua ipſius eſt actus . Quicunque ergo cognoſcit actum beatificum , naturaliter cognoſcit quoque obiectum,vt eſt illius actus obiectum ; & conſequenter cum Angelus, & anima cognoſcant naturaliter actum ſuum beatificum , ſequitur quod cognoſcat Deum naturaliter propriè.

116 Reſpondet Scotus ad primum argumentum,negando Minorem . Ad probationem reſpondet nihil continere virtualiter notitiam alicuius obiecti,niſi ſit repræſentatiuum obiecti formaliter, vel virtualiter:ſubſtantia autem Angeli,& anima non eſt repræſentatiuum formaliter eſſentiæ diuinæ, nec virtualiter , ideo licèt ſit perfectior non propter hoc continet virtualiter notitiam illius: quia non eſt repræſentatiua formaliter: quia hoc modo eſt ſola ſpecies ipſius obiecti, quæ licèt ſit diminuta quo ad entitatem , tamen quoad repræſentationem formalem non eſt diminuta. Neque virtualiter:quia tale eſt ſolum illud quod continet in ſe entitatem obiecti; cuiuſmodi non eſt ſubſtantia Angeli reſpectu eſſentiæ diuinæ,vt patet. Medium autem repręſentans vt cognitum debet continere obiectum , quod per ipſum repræſentatur per entitatem . *Ad primum argumentū.*

117 Ad alia duo argumēta ſimul dat reſpōſiones. Prima eſt,quod aliquis poſſet negare minorem vtriuſque argumenti ſcilicet quod Angelus,& homo poſſint cognoſcere ſe, & actum beatificum ex proprijs viribus naturalibus: ſed inquit Scotus illam minorem non poſſe negari:quia tam eſſentia Angeli,& animæ, quā actus beatificus ſunt entia, & ſic continentur ſub ente , quod eſt obiectum adæquatum intellectus,ſed continentur etiam ſub ente limitato,& finito, quod eſt obiectum attingibile ex perfectione naturali ipſius Angeli, & animæ in ſtatu tertio ſcilicet beatitudinis, vbi Angeli, & anima habent ſupremam perfectionem naturalem , & ſic eſt concedendum quod poterunt cognoſcere perfectè ſuam eſſentiam,& actum beatificum . *Ad alia duo argumenta.*

118 Vbi obſerua,quod licèt homo pro ſtatu viæ non poſſit cognoſcere animam rationalem eſſe naturaliter capacem beatitudinis , & Deum eſſe ſuum finem naturalem , vt dixit Scotus in prima quæſtione prologi in ſolutione cuiuſdam reſponſionis ad primum argumentum pro Theologis contra Philoſophos : tamen pro alio ſtatu patriæ *Anima rationalis, licèt pro hoc ſtatu nō cognoſcat inclinationē ſuam ad beatitudinem,tamen hanc cognoſcet in patria viribus naturalibus.*

in quo habebit ſupremam perfectionem, poterit cognoſcere hanc capacitatem, & ordinationem.

Alia ſolutio 119 Dat ergo Scotus aliam ſolutionē ad prædicta duo argumenta, quę eſt, quod licèt anima poſſet cognoſcere quantum ad entitatem abſolutam ſuam eſſentiam, & ſimiliter actum beatificum quantum ad entitatem abſolutam, non tamen poteſt cognoſcere ſe ſub illa relatione, qua eſt imago Dei, & qua actus repræſentat eſſentiam diuinam. Ratio eſt, quia relatio non poteſt cognoſci naturaliter niſi extrema, inter quæ inſurgit, cognoſcantur: ideo cum Angelus, & anima naturaliter non poſſint cognoſcere eſſentiam diuinam, quæ eſt alterum extremum inter quod & animam inſurgit relatio imaginis, & ſimilitudinis, & idem dicendum eſt de actu beatifico; ideo naturaliter non poteſt hanc relationem imaginis, & ſimilitudinis inter ſe, & Deum cognoſcere.

120 Hanc reſponſionem confirmat auctoritate Diui Auguſtini 15. de Trinitate cap. 24. vbi inquit, quod qui vident in ſua mente hanc Trinitatem, memoriam, intelligentiam, & voluntatem, vident quidē ſpeculum, ſed non vident per ſpeculum, ita ſcilicet vt ſciant ſpeculum ipſum quod vident eſſe ſpeculum ideſt imaginem Trinitatis diuinæ. Videtur ergo veriſſimum, quod etſi anima, & Angelus poſsint ſe cognoſcere quo ad abſoluta, non tamen poſſint ſe cognoſcere quo ad hanc relationem.

Prima obiectio. 121 Contra hanc reſponſionem, quæ tamen eſt probabilis adducit Scotus duas obiectiones, vt magis declaretur. Prima eſt. Relatio imaginis, vel eſt idem quod eſſentia animæ (idem de Angelo) vel ſaltem neceſſariò conſequitur naturam eius; ergo cognita eſſentia animæ, cognoſcitur quoque ipſa relatio. Conſequentia eſt euidens; quia quando aliqua ſunt idem, vel vnum naturaliter conſequitur ad alterum, vno cognito, cognoſcitur & reliquum. Antecedens probatur. Quia relatio imaginis videtur eſſe relatio dependentiæ imitantis ad imitabile; relatio autem dependentiæ eſſentialis vel eſt idem quod natura, & eſſentia dependentis, vel ſaltem neceſſariò ad illam ſequitur; alioquin ſi contingenter adueniret illi naturæ, natura poſſet eſſe ſine illa dependentia eſſentiali, quod eſt abſurdum.

Secunda obiectio. 122 Secunda ratio. Relatio illa imaginis, & imitationis eſt ens finitum; At ens finitum eſt obiectum adæquatum non ſolum inclinationis, ſed attingentiæ naturalis intellectus creati; ergo poteſt illam anima rationalis per propriam perfectionem attingere.

Ad primam 123 Ad primam reſpondet Scotus, & reſponſio breuiter eſt hæc, quod licèt relatio ſequatur naturaliter eſſentiam animæ, quæ eſt quid abſolutum, non tamen ob hoc ſequitur, quod cognita eſſentia cognoſcat

ſcat relationem. Ratio eſt, quia eſſentia non includit illam relationem in ratione cognoſcibilitatis totaliter, ſed ſolum partialiter, ſicut etiã includit illam relationem in entitate non totaliter, ſed ſolum partialiter. Nam relatio oritur ex vtroque extremo, ideo partialiter continetur tantùm in vno extremo, non autem totaliter; ideo poteſt concedi, quod ſicut anima partialiter continet entitatem relationis, ſic etiam continet partialiter cognitionem ipſius. At non poteſt illam in actu producere niſi cognito altero extremo, quia ſicut non habet entitatem actu niſi ex vtroque extremo, ita neque cognoſcibilitatem; alterum autem extremum naturaliter non eſt cognoſcibile ipſi animæ, & Angelo, ideo neque ipſa relatio imaginis.

124 Ad ſecundam reſpondetur, quod ens limitatum eſt duplex; Alterum eſt limitatum, & eſt ad ſe; Alterum verò eſt limitatum, ſed tamen eſt ad aliud, & illud eſt illimitatum. Ad propoſitum vtrunque limitatum ad ſe, & ad alterum in quantum ſunt entia limitata cadunt ſub obiecto adæquato intellectus; at quod eſt limitatum, ſed tamen refertur ad illimitatum, in quantum refertur ad illimitatum non cadit ſub obiecto intellectus creati, ſicut nec illud extremum illimitatum cadit ſub obiecto naturalis attingentiæ intellectus creati. Et hæc ſolutio eſt notanda ad ſoluendum multas obiectiones contra illam aſſertionem, quod Deus ſit finis naturalis hominis. Concludit ergo Scotus ex his reſponſionibus, quod poteſt intelligi animæ, & Angeli eſſentia quantum ad entitatem abſolutam, abſque eo, quod cognoſcatur relatio ipſius ad Deum, & hoc viribus naturalibus. *Ad ſecũdã.* *Notabilis ſolutio valens ad obiectiones, qđ Deus non ſit finis naturalis hominis.*

125 Cæterùm licèt reſponſiones allatæ ſatisfaciant illis obiectionibus adductis, tamen non videntur ſatisfacere adæquatè duobus primis illis argumentis. Vnde adſunt aliquæ aliæ difficultates propter quas videntur illa duo argumenta eſſe efficacia contra concluſionem principalem. Prima difficultas valet ad confirmandum vtrunque argumentum, & eſt hæc. Quando aliquid eſt imago naturalis obiecti poteſt facere cognoſcere obiectum abſque eo quod cognoſcatur eſſe imaginem illius obiecti. At anima rationalis eſt naturalis imago Dei; ergo poteſt deducere nos in cognitionem Dei, licèt non cognoſcatur eſſe imaginem Dei. Minor eſt clara. Maior probatur exemplo. Nam per ſpeciem albi in oculo, videtur album in oculo, licèt non cognoſcatur relatio illius ſpeciei ad album; & idem eſt de intellectu ponendo quod intelligat per ſpeciem intelligibilem impreſſam. Et ratio eſt quia illa relatio ſimilitudinis ſpeciei ad obiectum non eſt formalis ratio propter quam ſpecies illa faciat videre obiectum, ſed eſt forma ipſa ſpeciei abſoluta, in qua fundatur relatio. Ita ergo in propoſito cum anima ſit ſimilitudo, & imago naturalis Dei poterit anima per *Duæ aliæ obiectiones confirmãtes duo illa priora argumenta.* *Prima obiectio.*

ipſam venire in cognitionem Dei, licet non cognoſcat illam relationem imaginis in anima ad Deum.

2. Ratio. 126 Hæc ratio videtur concludere etiam de actu beatifico, immo magis de actu beatifico, quàm de ſpecie: Quia actus, quo cognoſcitur aliquod obiectum, eſt ſimilitudo actualior, quam ſit ipſa ſpecies impreſſa: eſt enim ſpecies expreſſa; ergo videtur quod cum per ſpeciem poſſit obiectum diſtinctè cognoſci, multo magis poſſit per actum.

2. *Obiectio.* 127 Secunda obiectio eſt ſpecialiter pro confirmatione rationis ſecundæ deductæ ex actu. Ratio enim illa videtur habere maximam efficaciam: quia quod actus intelligatur vt eſt obiecti, & non intelligatur obiectum ſub illa ratione, ſub qua terminat actum, videtur eſſe cōtradictio. At anima ex naturalibus ſuis poteſt cognoſcere actum beatificum, vt eſt beatificus, & per conſequens vt eſt obiecti beatifici; ergo ex viribus naturalibus poteſt cognoſcere Deum ſub propria ratione. Maior eſt euidens. Minor probatur; quia licèt anima ex puris naturalibus non poſſit habere actum beatificum, tamen poſtquam illum habet ex gratia poteſt reflectere ſe ſuper illum actum iam exiſtentem, & hoc virtute ſua naturali, & illum cognoſcere in ſe, ille autem eſt obiecti beatifici, & conſequenter poteſt cognoſcere illum, vt eſt beatificus, & ſimul obiectum beatificum. Quod autem anima poſſit reflectere ſe ſuper actum beatificum probat Scotus primò per illud 15. de Trinitate cap. 15. vbi D. Auguſtinus apertè concedit actus reflexos multiplicari poſſe ſuper eundem actum: Ait enim. *Qui dicit ſcio me viuere, vnum aliquid ſe ſcire dicit. proinde ſi dicat. ſcio me ſcire me viuere, duo ſunt.* & ſequitur. *ſic poteſt tertium, & quartum, & innumerabilia, ſi*

2. *Probatio.* *ſufficiat iſtos actus reflexos.* Secundò probatur eadem Minor. Quia non eſt dicendum, quod ad habendum hunc actum reflexum requiratur aliquid ſupernaturale; quia ſi requireretur, ſequeretur, quod ad quemlibet actum nouum reflexum, nouum ſupernaturale requireretur, & tunc ſicut in infinitum poteſt procedi in actibus reflexis, ſic in infinitum requireretur aliud, & aliud ſupernaturale, quo reflecteretur: hoc autem eſt abſurdum; ergo dicendum eſt, quod ſine aliquo ſupernaturali poſſit anima reflectere ſe ſuper illum actum beatificum, & cognoſcere obiectum beatificum.

128 Confirmatur, quod ſi eſſet neceſſarium aliquid ſupernaturale ad actum reflexum, daretur proceſſus in infinitum. Nam actus tertius reflexus ſe haberet ad ſecundum, ſicut ſecundus ad primum, qui eſt actus rectus; ſi ergo non poſſet actus ſecundus reflectere ſe ſuper rectum niſi mediante alio ſupernaturali eleuante intellectum, pariter nec tertius ſine aliquo ſupernaturali eleuante, & ſic in infinitum.

3. *Probatio.* 129 Tertiò probatur naturaliter poſſe haberi actum hunc reflexũ

ſuper

Digitized by Google

ſuper actum beatificum. Nam quæcunque potentia poteſt percipere, & experiri actum, quem producit ex propria perfectione, & ſecundũ propriam perfectionem actus; ergo intellectus poteſt percipere, & experiri actum beatificum, quem habet. Antecedens probatur. quia potentia viſiua ſicut naturaliter videt, ſic etiam naturaliter poteſt percipere, & experiri ſe videre, etſi eſſet reflexiua, poſſet habere actum reflexum ſuper illam viſionẽ ex propria perfectione. Conſequẽtia patet.

130 Ad hæc argumenta reſpondet Scotus, & ad primum diſtinguit. Duplex eſt medium, ſeu ſpecies per quam aliquid cognoſcitur. Prima eſt ſpecies, quæ eſt ratio cognoſcendi ſolum vt cognita. Exemplum. Principium eſt ratio cognoſcendi concluſionem ſolum vt cognitam. Secunda eſt ſpecies, quæ eſt ratio cognoſcendi non vt cognita, ſed quia eſt ratio cognoſcendi tantùm. Exemplum. Vt ſpecies ſenſibilis in oculo ad videndum colorem: hæc enim eſt ratio videndi colorem, & tamen ipſa non videtur. Medium autem primo modo non poteſt repręſentare diſtinctè obiectũ niſi contineat virtualiter cognoſcibilitatem perfectam illius; non poteſt autem perfectè continere cognoſcibilitatem eius, niſi contineat entitatem illius in ſe actualiter, vel eminenter, vt ſupra dictum eſt: medium autem & ſpecies ſecundo non eſt neceſſarium quod contineat cognoſcibilitatem obiecti in ſe, ſed ſufficit, quod ſit natum ducere in cognitionem illius obiecti. Vnde ſpecies ſenſibilis, licèt in ſua viſibilitate deficiat à viſibilitate obiecti viſibilis, tamen quia eſt nata ducere in cognitionem obiecti viſibilis ſecundum ſuum eſſe formale, hinc eſt quod repræſentat vt non cognita. Ad propoſitum anima rationalis, & eſſentia Angeli eſt mediũ cognoſcendi tantùm, vt cognita, ideo non poteſt ducere naturaliter in cognitionem Dei, quia non continet in ſe entitatem Dei actualiter, nec eminenter; & conſequenter neque eius cognoſcibilitatem perfectam, ſed ſolum diminutè, & ſic Deus poteſt intelligi in anima tanquã in aliquo diminuto intelligibili imitante, & participante intelligibilitatem eius.

Ad primum argumentũ.

Duplex eſt ſpecies quæ eſt ratio cognoſcendi.

131 Per hoc idem reſpondetur ad ſecundum, quia etiam actus eſt medium faciens cognoſcere, vt cognitum tantum, non autem vt ratio cognoſcendi præciſè; quia eſt ſimilitudo cognita obiecti; ideo cũ non contineat obiectum, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi diſtinctè & propriè obiectum. Dat exemplum Scotus, vt ſpecies intelligibilis de aliquo obiecto in illo intellectu à quo non videtur, ſed eſt illi ſolum ratio videndi, facit videre obiectum, cuius eſt ſpecies diſtinctè; At in alio intellectu vidente illam non eſſet ratio videndi perfectè obiectũ illud cuius eſt ſpecies: Ratio eſt, quia in primo intellectu eſt ratio videndi ſolum, in ſecundo intellectu eſt ratio vidẽdi vt viſa, & cognita.

Ad ſecundũ

Contra

Obiectio. 132 Contra hoc replicat Scotus probans quod videns actum beatificum, videat eſſentiam diuinam. Nam ſicut actus ille beatificus eſt ratio perfectè videndi eſſentiam diuinam, quæ eſt eius obiectum; quia per illum actum fit præſens eſſentia diuina illi intellectui in perfectiſſima cognoſcibilitate; ita actus ille debet eſſe ratio cognoſcendi eſſentiam diuinam illi intellectui, cui eſt notus ille actus: nam priori intellectui non eſt nota eſſentia diuina, niſi mediante actu beatifico, quo eſſentiam diuinam cognoſcit; at illemet actus eſt notus intellectui alteri; ergo ille alter intellectus per actum illum notum poterit naturaliter cognoſcere Deum.

Solutio. 133 Reſpondet non valere conſequentiam; quia non eſt par ratio de intellectu in quo eſt actus beatificus, & de intellectu, qui videt actũ beatificum: quoniam in priori actus ille beatificus eſt ratio proxima illi intellectui cognoſcendi obiectum beatificum; at in alio intellectu actus ille non eſſet proxima ratio videndi obiectum beatificum, ſed remota, quia videret obiectum beatificum in actu illo tanquam in medio cognito. Vnde præter illum actum requireretur alius actus, qui eſſet ratio proxima videndi illud obiectum; & quod obiectum eſſet præſens: nam videndo actum abſque præſentia obiecti, eſſet viſio præcisè per medium cognitũ, nõ per medium, quod eſſet rõ videndi.

134 Ad tertium de actu reflexo reſpondet, falſum eſſe, quod anima rationalis virtute propria poſſit ſe reflectere ſuper actum beatificum. Nam verum eſt quidem quod poteſt reflectere ſe ſuper actum beatificum, ſed non niſi virtute illius ſupernaturalis, virtute cuius habet actum rectum beatificum. Neque auctoritas D. Auguſtini plus probat; quia non dicit, quod poſſit ſemper ex propria natura ſola habere actum reflexum, ſed ſolum, quod ſi habet actum rectum, poteſt reflecti ſuper illum actum vel ex virtute naturæ, vel ex virtute illius

Ad ſecundã probationẽ. per quod habet actum rectum. Ad illud de proceſſu in infinitum, reſpondet non valere conſequentiam; quia datur ſtatus ad primum ſupernaturale virtute cuius actus rectus primus habitus eſt: illud enim

Ad tertiam probationẽ. ſufficit ad omnes actus reflexos ſequentes. Ad tertiam probationem de ſenſu reſpondet eam facere ad oppoſitum: quia cum percipio me videre, & experior me videre, hoc non facio per potentiam viſiuam, neque per potentiam aliquam inferiorem potentia viſiua; ſed per potentiam ſuperiorem ſcilicet per ſenſum communem, qui facit iudicium de ſenſationibus externis, & illas diſtinguit. Et ſic deducit, quod intellectus per propriam ſuam virtutem ſolam non poteſt habere actum reflexum, ſed per virtutem aliquam ſuperiorem, quæ eſt ſupernaturalis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Supereſſet vt hic poneremus quæſtionem primam Scoti ex Primo Sententiarum Diſtinct. 2. qua probat dari vnum ens infinitum in rerum natura multis vijs efficaciſſimis, quæ ad propoſitum contra Atheos maximè facit. Verùm, ne opuſculum plus equò creſcat, ea cum alijs diſputationibus in duodecim libros Metaphyſicorum Ariſtotelis edendis Deo dante in lucem prodibit. Interim ſatis ſuperque, cum probatum puto, Numen aliquod ſupra naturam corpoream dari; atque proinde Atheorum tentationibus non leuiter conſultum eſſe: quid autem, & quale Numen illud ſit, non eſſe petendum ex Philoſophorum doctrinis, vel Gentium ſuperſtitionibus, ſed ex reuelatione, & fide Catholica Chriſti Domini lumen naturale dictare non obſcurè concluſimus diſputatione ſecunda, cap. vltimo. Adeò vt homo ratione præditus ſi aliter ſapiat, meritò iudicio Apoſtoli damnationis ſuæ nullam habeat excuſationem.

Digitized by Google

Libri ſtampati da Marco Ginammi.

D. Laurentij Iuſtiniani opera omnia f.
Quæſtiones, & Expoſitio Scoti in Metaphiſicam Ariſtotelis f.
Fauentinus in quattuor Libros Sententiarum f.
Idem. De Prædeſtinatione f.
Idem. De Pœnitentia f.
Idem. De Reſtitutione, & Extrema Vnctione f.
Idem. Aduerſus Atheos 4.
Dioſcoride del Mattiolo Volg. con figure f.
F. Petri Poſnanienſis in primum lib. Sententiarum f.
F. Andreæ Rochmanij in primum librum Sententiarum f.
Vite di Plutarco Volg. 4.
Parere ſopra li Caratteri del Manico del Coltello di S. Pietro 4.
Conſiderationi Politiche, e Morali del Zuccoli 4.
Diſcorſi dell'Honor del medeſimo 4.
Diſcorſo delle Ragioni del numero del Verſo Italiano del medeſimo 4.
Dialogi del medeſimo 4.
Diſcorſo della Nobiltà commune, & Heroica del medeſimo 4.
Diſcorſi ſopra Cornelio Tacito del Maluezzi 4.
De coniectandis cuiuſque moribus Scipionis Claramontij 4.
De operibus Sex Dierum 4.
Iſtoria della diſtruttione dell'Indie di Monſig. Veſcouo di Chiappa 4.
Lettere di D. Antonino Collurafſi 4.
Maſchera Iatropolitica, ouero Ceruello, e Cuore Principi Riuali 4.
Tragedie di Seneca tradotte in Volg. dal Nini 8.
Sommario delle Scienze del Signor Domenico Dolfino 8.
Capricci del Bottaio del Gelli 8.
Horribile Inferno del Gliſſenti 8.
Il Parto della Vergine Rappreſentatione 8.
La Maddalena rauueduta Rappreſentatione 8.
Rime del Salomoni 12.
Concerto di Rime del Petrelli 12.
Sentiero al Paradiſo del Petrelli in Rame, & in legno 12.
Spenſierato fatto penſieroſo 12.
Morte Innamorata 12.
Diligente, ò ſollecito 12. } Fauole del Gliſſenti.
Giuſta Morte 12.
Poſſanza della Carne 12.
Mercato della vita humana 12.
Ninfa Guerriera Paſtorale 12.
Regole di San Franceſco 32. Lat. & Volg.
Libri diuerſi in lingua Slaua, & in carattere Slauo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-1-2